

G. LAROUSSE, S. J.

SUMMA
PHILOSOPHICA

I

Logica - Ontologia - Cosmologia

DA
CCI

23

009723

B765
.T54
L3
1892
c.1




1080021629



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS



FONDO EMETERIO
VALVERDE Y TELLEZ



UANL

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS ia



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

SUMMA PHILOSOPHICA

AD MENTEM D. THOMAE

IN USUM ALUMNORUM SEMINARIORUM

AUCTORE

G. LAHOUSSE, S. J.

OLIM PHILOSOPHIAE, NUNC THEOLOGIAE DOGMATICAЕ
IN COLLEGIO LOVANIENSIS S. J. LECTORE

TOMUS PRIMUS

Logica. — Ontologia. — Cosmologia.



Capilla Alfonsina
Biblioteca Universitaria

LOVANII
TYPIS EDIT. CAR. PEETERS, BIBLIOPOLAE
Via Namurensi, 20
LUTETIAE PARISIORUM
VICTOR LECOFFRE
MOGUNTIACI
FR. KIRCHEIM
NEO-EBORACI, BENZIGER & FR.

1892

46177

B765-T54

1892

27 FACULTAS R. P. PROVINCIALIS.

Ego LEOPOLDUS DELVAUX, Praepositus Provincialis Societatis Jesu in Belgio, potestate ad hoc mihi facta ab Admodum Reverendo Patre ANTONIO ANDERLEDY, ejusdem Societatis Praeposito Generali, facultatem concedo, ut opus cui titulus : **SUMMA PHILOSOPHICA**, a Patre GUSTAVO LAHOUSSÉ, S. J. conscriptum, et a deputatis censoribus rite recognitum atque approbatum, typis mandetur.

In quorum fidem has litteras manu mea subscriptas et sigillo meo munitas dedi.

Leodii, die 14 Decembris 1891.

L. DELVAUX, S. J.

L. S.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE MÉXICO

IMPRIMATUR.

Mechliniae, 18 Decembris 1891.

P. C. C. BOGAERTS, Vic. Gen.

PRAELECTIONES PHILOSOPHICAE.

INTRODUCTIO AD UNIVERSAM PHILOSOPHIAM

Quaeritur : 1. Quae sit definitio philosophia? 2. Quomodo dividatur? 3. Quaenam sit ejus habitudo ad ceteras scientias?

1. **Definitio Philosophiae.** — Spectata voci etymologia, *Philosophia* (φιλος, φισια) est amor, studium sapientiae; definitio igitur realis a definitione sapientiae accipienda est.

A. **De SAPIENTIA.** *Sapientia* et *sapiens* adaequate et inadæquate, simpliciter et secundum quid usurpantur :

1. Qui res *alicuius generis* ita perspectas habet ut noverit earum causas, sive rationes, in hoc genere ultimas, dicitur *sapiens inadæquate et secundum quid*, h. e. secundum hoc genus. Sic habetur *sapiens medicus*, *sapiens architecta*, etc.

2. Qui res *omnium generum* ita perspectas habet, ut noverit ordinem quo inter se devincuntur, earumque omnium causas rationesque ultimas, dicitur *sapiens adaequate et simpliciter*. *Sapientia* igitur simpliciter est *rerum omnium cognitio per causas ultimas*. — Est perfectissima vel perfecta :

a) *Perfectissima* est cognitio rerum omnium per causas tum proximas propriasque, tum medias, tum ultimas communesque sive pluribus rerum generibus sive omnibus. Plato et Tullius eam definivit *rerum divinarum et humanarum, causarumque quibus haec res continentur, scientiam*. Ejus objectum sunt omnes species rerum etiam infimae, omnia genera tum proxima, tum subalterna, tum suprema. Patet hanc sapientiam perfectissime haberi in solo Deo.

b) *Perfecta* est cognitio rerum omnium per causas rationesque altissimas et maxime universales, non autem medias et infimas.

009723

B765-T54

1892

27 FACULTAS R. P. PROVINCIALIS.

Ego LEOPOLDUS DELVAUX, Praepositus Provincialis Societatis Jesu in Belgio, potestate ad hoc mihi facta ab Admodum Reverendo Patre ANTONIO ANDERLEDY, ejusdem Societatis Praeposito Generali, facultatem concedo, ut opus cui titulus : **SUMMA PHILOSOPHICA**, a Patre GUSTAVO LAHOUSSÉ, S. J. conscriptum, et a deputatis censoribus rite recognitum atque approbatum, typis mandetur.

In quorum fidem has litteras manu mea subscriptas et sigillo meo munitas dedi.

Leodii, die 14 Decembris 1891.

L. DELVAUX, S. J.

L. S.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE MÉXICO

IMPRIMATUR.

Mechliniae, 18 Decembris 1891.

P. C. C. BOGAERTS, Vic. Gen.

PRAELECTIONES PHILOSOPHICAE.

INTRODUCTIO AD UNIVERSAM PHILOSOPHIAM

Quaeritur : 1. Quae sit definitio philosophia? 2. Quomodo dividatur? 3. Quaenam sit ejus habitudo ad ceteras scientias?

1. **Definitio Philosophiae.** — Spectata voci etymologia, *Philosophia* (φιλος, φισια) est amor, studium sapientiae; definitio igitur realis a definitione sapientiae accipienda est.

A. **De SAPIENTIA.** *Sapientia* et *sapiens* adaequate et inadæquate, simpliciter et secundum quid usurpantur :

1. Qui res *alicuius generis* ita perspectas habet ut noverit earum causas, sive rationes, in hoc genere ultimas, dicitur *sapiens inadæquate et secundum quid*, h. e. secundum hoc genus. Sic habetur *sapiens medicus*, *sapiens architecta*, etc.

2. Qui res *omnium generum* ita perspectas habet, ut noverit ordinem quo inter se devincuntur, earumque omnium causas rationesque ultimas, dicitur *sapiens adaequate et simpliciter*. *Sapientia* igitur simpliciter est *rerum omnium cognitio per causas ultimas*. — Est perfectissima vel perfecta :

a) *Perfectissima* est cognitio rerum omnium per causas tum proximas propriasque, tum medias, tum ultimas communesque sive pluribus rerum generibus sive omnibus. Plato et Tullius eam definivit *rerum divinarum et humanarum, causarumque quibus haec res continentur, scientiam*. Ejus objectum sunt omnes species rerum etiam infimae, omnia genera tum proxima, tum subalterna, tum suprema. Patet hanc sapientiam perfectissime haberi in solo Deo.

b) *Perfecta* est cognitio rerum omnium per causas rationesque altissimas et maxime universales, non autem medias et infimas.

009723

Eius objectum non sunt omnes species infimae, sed dumtaxat genera, ita ut nulla sit species infima ad quam non descendat aliquodd ex generibus circa quae versatur.

2. B. DE PHILOSOPHIA (1). Philosophia aliter antiquitus accipiebatur, aliter hodieum accipitur.

1. Apud veteres philosophia considerabat omnes rerum causas, tum proximas tum remotas tum ultimas; itaque idem audiebat ac *sapientia perfectissima*.

2. A tempore Wolfii (1679-1754) investigatio causarum quae attinguntur experientia sensuum externorum, a philosophia est distracta et scientiis experimentalibus commissa; philosophiae autem demandata est provincia investigandi causas experientiam sensibilem superantes, et proinde tum ea quae per solam experientiam internam homini sunt manifesta, tum ea quae de essentiis rerum et de earum causis extrinsecis soli intellectui innotescunt. — Itaque philosophia juxta modernos idem est ac *sapientia perfecta* et definitur: « *Scientia naturali lumine acquisita, quae eas rerum omnium rationes considerat quae experientiae sensuum non sunt subjectae.* » — Quare ejus objectum materiale sunt *res omnes*; objectum formale sunt *rationes suprasensibiles rerum*.

Philosophia sic accepta discernitur a Theologia ratione principii, a ceteris scientiis naturalibus tum ratione amplitudinis objecti materialis, tum ratione objecti formalis. — Theologia enim veritates acquirit lumine supernaturali, seu *revelatione*; ceterae autem scientiae naturales non omnes rerum species considerant, in iisque non perpendunt nisi causas sensibles et ultimas in aliquo tantum genere.

3. Partitio Philosophiae. — Duce Philosopho (2), partitur philosophia ratione finis, in *speculativam* et in *practicam*. Prior

(1) Pythagoras, interrogatus quem se esse profiteretur, Graecorum que arrogantium aversatus, respondit se esse non quidem sapientem (*ποιητην*), sed scientiae amatorem inquisitoremque. (Cfr. D. AUG. de Trin. L. IV. c. I.). Ab hac responsione videtur repetenda esse origo vocis *philosophi*.

(2) Met. L. II. c. 1.

finem habet solam rei cognitionem; posterior praxim, h. e. operationem intellectus et voluntatis. Hinc practica respicit eas veritates quae ex se ad praxim ordinantur.

A. PHILOSOPHIAE SPECULATIVAE divisio alia erat apud veteres, alia apud modernos:

1. Veteres philosophiam speculativam dividebant ratione abstractionis rerum a materia et a conditionibus materiae. Triplex autem modus abstractionis reperitur:

a) Res cogitatione abstrahi potest a qualitatibus *individuantibus*, ita tamen ut non abstrahatur a qualitatibus sensibilibus. Illa autem pars philosophiae, quae in his rebus occupabatur, *Physica* (*φυσική*, naturalis) dicebatur. Multiplices complectebatur partes, inter quas una agebat de anima humana, quae est forma corporis humani, intrinsecus a corpore pendens in operationibus vitae vegetativae et vitae sensitivae, extrinsecus in operationibus vitae rationalis.

b) Res cogitatione abstrahi potest tum a qualitatibus *individuantibus*, tum a *sensibilibus*, ita tamen ut non abstrahatur a quantitate. Pars autem philosophiae circa haec occupata *Mathesis* audiebat.

c) Tandem cogitatione abstrahi potest res ab omni omnino materia. Pars autem philosophiae in his occupata *Metaphysica* (post *physica*) audiebat; vocabatur *scientia transcendentalis* eo sensu quod ejus objectum transcendentia materiam et conditiones materiae; definiebatur *scientia rerum vel cogitatione ab omni materia abstractarum*. — Hac definitione liquet duplex esse *Metaphysicae* objectum:

α) Id quod *praetexte immateriale* est, h. e. id quod *cognitione a materia est immune*, realiter tamen rebus materialibus aequo atque immaterialibus est commune. Talia autem sunt ens in communi et consequentia ad ens.

β) Id quod *positive immateriale* est, seu id quod *realiter materiae est expers*. Tale autem objectum duplex agnoscebant veteres, Deum nimurum et puros spiritus. Spiritum enim existentiam sola ratione esse demonstrabilem, falso quidem arguento innixi, communiter tenebant.

2. Juxta recentiores, duce Wolfio, tota philosophia specula-

tiva, considerans supremas rerum rationes, easque solas, omissionis causis proximis limites experientiae non superantibus, appellata est *Metaphysica, scientia transcendentalis* (1).

Porro Metaphysica a modernis definitur : *Scientia eorum que in rebus non sunt subjecta experientiae, sed soli ratione sese manifestant.* Dividitur in generalem et specialem :

a) *Metaphysica generalis*, quae *Ontologia* dicitur, determinat analysique subjicit notiones maxime universales, et tuerit vim primorum rationis principiorum ex his efflorescentium.

b) *Metaphysica specialis* notiones principiaque *Ontologiae* classibus primariis substantiarum applicat, earumque naturam et proprietates rimatur. — Substantiae autem naturaliter cognoscibiles sunt res e quibus mundus corporens coalescit, atque earam causa increata, Deus Optimus Maximus. — Res autem corporeae, pro definitione Philosophiae a modernis adhibita, tum universim inspiciuntur, tum speciatim quoad nobilissimam corporum speciem, quibus inest principium vitae. — Hinc elnescit Metaphysicam specialem tribus partibus absolvit :

- 1. *Cosmologia* videlicet, quae de corporibus universim agit.
- 2. *Psychologia*, quae de corporibus viventibus tractat.
- 3. *Theodicea seu Theologia naturali* quae de Deo agit :

B. *PHILOSOPHIA PRACTICA*, respiciens operationes intellectus et voluntatis, complectitur *Logicam et Ethicam*.

1. Ut ex definitionibus et divisionibus traditis liquet, scientia philosophica supponit mentem humanam, dum secundum certas regulas dirigat operationes suas, hanc imparem esse veritati cum certitudine assequendae, aliisque veritatibus ex aliis educendis. Id autem declarare et vindicare pertinet ad *Logicam*. Est itaque praecambulum philosophiae et aequo spectat ad alias scientias quas moderni a philosophia distinguunt.

(1) Alio igitur sensu accipiuntur termini - *metaphysicum, transcendentalis* - apud veteres, alio apud modernos. Veteres enim hoc vocabulo significant id quod transcendent *conditiones materiae*, moderni autem id quod transcendent *limites experientiae sensibilis*. Sensus esse diversum constat quia multa ex his quae limites experientiae superant, a conditionibus materiae non sunt realiter immunia.

2. *Ethica* tradit normas secundum quas variae actiones humanae fieri debent ut sint honestae. Haec autem pars Philosophiae enascitur ex aliis partibus, potissimum ex *Theodicea et Psychologia*.

ORDO TRACTATIONIS. In tradendis variis Philosophiae partibus, ea praecedat oportet quae ad ceteras viam sternit, principiaque suppeditat quibus ceterarum juvatur intelligentia. Quamobrem, tradita Logica, primum explicatur *Ontologia*, utpote principia continens *Metaphysicae specialis, Ethicae, imo omnis scientiae*; deinde, quia Dei « invisibilia... per ea quae facta sunt, intellecta, conspiciuntur (1), » *Cosmologia et Psychologia Theodiceae* praemittuntur; *Cosmologiam* autem *Psychologiae* anteire ex modo dictis perspicuum est; postremo *Ethica Metaphysicam specialem* subsequitur, utpote plura ex ea praesupponens.

4. *Habitu Philosophiae ad ceteras scientias.* — Quae de habitudine Philosophiam inter scientiasque physicas dicenda sunt, remittimus ad prolegomena *Cosmologiae et Psychologiae*. De Philosophiae habitudine ad *Theologiam*, quaeritur : a) Qua ratione Philosophia a *Theologia*, seu *Ratio a Fide*, dependeat? b) Quaenam emolumenta *Theologia Philosophiae subministret?* c) Quaenam emolumenta *Philosophia Theologiae offerat?*

A. DEPENDENTIA PHILOSOPHIAE A THEOLOGIA (2).

Philosophia in considerando objecto suo pendet ab auctoritate Ecclesiae, adeoque a *Theologia*, tanquam a norma extrinseca, non tamen positiva sed negativa :

1. *Auctoritas Ecclesiae, et proinde Theologiae, est norma respectu Philosophiae.* — Duo enim praestat Ecclesia, quorum Philosophiae ratio est habenda :

- a) *Multas veritates revelatas ac fide credendas proponit circa*

(1) *Rom. I. 20.*

(2) Philosophiam esse prorsus a *Theologia* independentem damnatum est duabus syllabi propositionibus : « Quum aliud sit *Philosophus*, aliud *Philosophia*, ille jus et officium habet se submittendi auctoritati quam veram ipse probaverit ; at *Philosophia* neque potest neque debet ulli sese submittere auctoritati. » (*Prop. 10.*) • *Philosophia tractanda est, nulla supernaturalis revelationis habita ratione.* » (*Prop. 14.*)

Deum, originem, naturam finemque hominis; quid legi naturali conforme sit, quid ab ea disforme, docet. Inter eas autem veritates, aliae sunt etiam lumine rationis demonstrabiles, aliae vero mentis humanae captum superexcedunt.

b) Censuram haereseos inurit erroribus directe oppositis dogmatibus quibus constat depositum Fidei, censuram vero haeresi inferiorem inurit iis quae indirecte et remote opponuntur veritatibus revelatis.

Porro horum rationem esse habendam a Philosopho ultro patet. Cum enim verum vero repugnare non possit, cum Christus Ecclesiam suam instruxerit auctoritate in docendo *infallibili*, fas non est philosopho tanquam verum defendere id quod ab Ecclesia uti falsum reprobatur; neque ut falsum, id quod Ecclesia verum esse *infallibiliter* declarat.

Itaque Theologia, quae decreta Ecclesiae proponit, merito vocatur *index scupulorum*; eademque est norma Philosophiae, seu regula a qua Philosophia deflectere nequit.

2. *Hæc norma est extrinseca et negativa.* — Philosophia enim veritatem aut falsitatem non demonstrat auctoritate Theologiae et revelationis, sed argumentis e solo rationis penu depromptis; quare in considerando objecto suo nonnisi a seipsa positive pendet. Unum ab ea exigit Theologia, scilicet ut non laedantur veritates, quae revelatione innotescunt.

B. EMOLUMENTA A THEOLOGIA AD PHILOSOPHIAM DIMANANTIA. E modo dictis colligitur rationem multiplici errore liberari per revelationem, multipliceque notitia instrui:

a) Inter ea enim quae non sunt absolute impervia rationi, non pauca reperiuntur quae solius revelationis beneficio omnibus expedite, firma certitudine et nullo admixto errore innotuerint. Sic revelationi debetur quod mens humana multiplici errore circa Deum, et legem naturalem se exuerit.

b) Cum, circa objectum commune, Fides Rationi ostendat quid *infallibiliter* sit verum, proindeque quid sit falsum, ideo stimulus ipsi addit ut propria methodo propriisque principiis falsitatem quidem discutiat, veritatem autem investiget argumentisque muniat.

c) Praeterea Fides Rationem ornat mysteriorum cognitione, ad quam haec numquam per seipsam evchi valuisse.

d) Mysteriorum revelatione docetur mens humana corrigenda esse quaedam principia e consideratione rerum naturae hausta, eaque non ita esse universaliter vera ut exceptionem non patientur. Sic existimabatur non multiplicari naturas nisi multiplicarentur supposita, neque supposita multiplicari nisi multiplicarentur naturae. Mysteriis autem SS. Trinitatis et Incarnationis Verbi constat tres personas divinas subsistere in singuli natura divina, atque contra unam personam Verbi subsistere in duabus naturis realiter distinctis. Quocirca ex iisdem mysteriis perspicuum est naturam completam et suppeditum nequaquam converti.

C. EMOLUMENTA A PHILOSOPHIA AD THEOLOGIAM DIMANANTIA :

a) *Ratio demonstrat praembula fidei*: existentiam, unitatem et Providentiam Dei; possibilitatem et cognoscibilitatem miraculorum et revelationis; revelationis credibilitatem.

b) *Fidem fovet et confirmat*, dum argumentis sibi propriis plura demonstrat quae ad depositum fidei etiam pertinent.

c) *Ostendit mysteria Fidei esse quidem supra rationem*, h. e. eorum veritatem positive non comprobari ratione, nullatenus vero *contra rationem*, h. e. nullum in medio ponи posse principium certum quo falsitas mysterii evidenter demonstretur.

d) *Principia subministrat quibus revelata scientifice excolantur*. Applicatione enim principiorum philosophicorum ad dogmata fidei, enata est theologia scholastica.

Porro mutuis his amicitiae officiis (in quibus praestandis, Philosophia, eo quod, ubi opus est, Theologiae obtemperare tenetur, humiliores ancillae vices agit) vera esse apparent haec synodi Vaticanae verba: « Neque solum fides et ratio inter se dissidere nunquam possunt, sed opem quoque sibi mutuam ferunt, cum recta ratio fidei fundamenta demonstret, ejusque lumine illustrata rerum divinarum scientiam excolat; fides vero rationem ab erroribus liberet ac tueatur, eamque multiplici cognitione instruat (1). »

(1) Sess. 3. Const. Dei Filius, c. 4.

LOGICA.

PRAENOTIONES.

5. *Descriptio Logicae.* — Ex notionibus in Introductione traditis perspicuum est ad Logicam pertinere ut declaret et vindicet mentem humanam, dum secundum certas leges dirigat operationes suas, haud imparem esse veritati cum certitudine assequendae, factis nempe et causis vere attingendis. — Itaque duplex est Logicae munus :

1. Subjicienda sunt analysi operationes quibus mens humana veritatem investigat, argumentisque fulcit, atque alias ex aliis veritatibus educit : stabilienda sunt leges quibus istae operationes, ut recte fiant, regi oportet.

2. Ejus munus etiam est demonstrare contra Scepticos mentem humanam esse capacem veritatis cum certitudine assequendae ; ejus partes sunt tradere criteria quibus verum a falso cum omnimoda certitudine dijudicetur, aperire fontes e quibus elementa cognitionum certarum hauriantur, demum indigitare media quibus hae notitiae amplificantur et in aedificium scientificum exstruantur.

Ex his colliguntur definitio et divisio Logicae.

6. *Definitio Logicae.* Logica (rationalis, a λογική) definiri potest *institutio rationis* ad veritatem attingendam. Mens autem in hunc finem dirigitur normis seu regulis quibusdam. Inde Logica etiam definitur : *complexus regularum quibus reguntur mentis operationes in assecutionem veritatis*; aut cum S. Thoma : *scientia directiva ipsius actus rationis, per quam scilicet homo in ipso actu rationis ordinate, et faciliter, et sine errore procedat* (1).

Ex hoc eruuntur finis Logicae, media, objectum : — a) *Finis ejus est mentem expeditam facere ad verum certo attingendum.*

(1) In 1. 1. Poster., lect. 1.

— b) *Media quibus utior sunt regulae menti in investiganda veritate sequendae.* — c) *Objectum distinguitur duplex : a) Materiale, seu id circa quod versatur Logica; sunt operationes mentis.* — *b) Formale, seu id quod in objecto materiali respicit; est ordo in operationibus mentis ponendus, ut rectae sint h. e. conformes naturae mentis, et ut verum certo attingant.*

7. *Quaeres utrum Logica ars sit an scientia.*

RESP. Est ars simul ac scientia, seu est *scientia practica*.

1. *Ars est* : ars enim est ordinatio rationis qua per determinata media ad debitum finem actus humani pervenient. — Jamvero Logica ordinat operationes mentis in assecutionem veri. — Utis ars alia est utens alia, docens, sic et Logica :

a) *Ars docens* est complexio dictaminum ac praceptorum quae modum recte perficiendi operis determinant. — Logica, ut ars docens, est complexio praceptorum et regularum quae praefigunt modum veritatem certo assequendi.

b) *Ars utens* est habitus rationis adhibens normas acceptas, seu est facilitas acquisita dirigendi opus juxta normas praescriptas. — Logica, ut ars utens, est acquisita facilitas operationes mentis dirigendi in veritatem certo assequendam.

2. *Logica est scientia*, quia argumentis propriis probat ea quae per se evidenter non sunt, quod est proprium scientiae.

8. *Divisio Logicae.* Dupliciter Logica dividitur :

1. *Ratione principii a quo procedit*, dividitur in *naturalem et scientificam seu artificialem* :

a) *Naturalis* illa est quae a natura sponte procedit, seu quae induta est cuique menti a natura, et sufficit in rebus obviis et necessariis.

b) *Artificialis* illa est quae praeterea procedit ab accurata reflexione mentis super actus suos ; est igitur Logica *naturalis magis evoluta*, et distincte explicata ope reflexionis.

2. *Ratione objecti* dividitur in *Dialecticam et Criticam*.

a) *Dialectica* tradit regulas quibus regendae sunt variae mentis operationes, ut sint rectae, seu conformes indoli mentis. — Vocatur etiam Logica *pura, subjectiva, formalis*.

b) *Critica* ostendit operationes, juxta Dialecticam exactas, esse pares assequendis factis et causis factorum. — Vocatur etiam Logica *applicata, objectiva, materialis*.

LOGICAE PARS PRIOR.

DIALECTICA.

9. I. Definitio. *Dialectica* ^{disserere} disserere, disputare, e noto ignotum oratione patefacere tradit regulas quibus reguntur operationes mentis. — Operatio autem mentis eo vergit ut cognitiones primo acquirat, atque ut e notis educat ignota notis implicita. Illud vero est *disserrere*. Dialectica igitur tradit *varios modos disserrendi* quibus quaeque doctrina comparatur ac continetur. Ideoque ab aliis apex disciplinarum, ab aliis disciplinarum disciplina, ab aliis ars maxima et lux omnium vocatur. Definitur *complexio scientificae proposita regularum quibus regitur intellectus ut in suis operationibus rectum ordinem ponat*. Rectus ordo est ille qui par est ad gignendam claram notitiam rerum. — Ex modo traditis obvie colliguntur finis, objectum materiale et formale Dialecticae.

10. II. Partitio Dialecticae. — Tres sunt modi disserrandi, quibus omnis cognitio comparatur : a) *Divisio*, quae omnia rerum genera et partes singulorum excurrens, totam entis confusionem explicat. — b) *Definitio*, quae cujusque naturam circumscribit, docetque quid quaeque res commune cum ceteris habeat, quid sibi proprium. — c) *Argumentatio*, quae apta ratione concludit quid cuique rei conveniat. — Tres vero huiusmodi praesupponunt propositiones et judicia quorum haec signa existunt, judicia vero praesupponant ideas, quae foetus sunt apprehensionis et per terminos significantur.

Porro ut a simplicioribus exordientes ad complexiora gradum facimus, sequens instituetur Dialecticae partitio :

Capite I agetur de idea et de signo ideae seu de termino.

Capite II de judicio, et de signo judicii seu de propositione.

Capite III de primo modo sciendi, seu de divisione.

Capite IV de secundo modo sciendi, seu de definitione.

Capite V de tertio modo sciendi, seu de argumentatione.

CAPUT I.

DE IDEA ET DE TERMINO.

ARTICULUS I.

DE APPREHENSIONE SEU DE IDEA.

§ 1. Notio apprehensionis et ideae.

11. I. APPREHENSIO. Tradere notionem apprehensionis est dicere *quid sit apprehensio*. — Qua quaestione tria quaeri possunt : a) *quid sit apprehensio vi vocis*; b) *quid sit vi rei*; h. e. quaenam res indigitetur per eam; c) *quid sit vi essentiae*, seu quaenam sit natura rei apprehensione significatae.

Porro apprehensio *vi vocis* est *actus apprehendendi, concipiendi, intus-suscipiendi*. — *Vi rei* definitur : *actus quo intellectus sibi vitaliter aliquid repraesentit*. Ut videlicet intellectus judicare valeat Deum esse infinitum, immensum, aeternum etc., has notas prius cognoscere debet sibi eas repraesentando. Actio autem, per quam gignit sibi representationem, vocatur apprehensio. — Ulterius aperire *essentiam* apprehensionis non est hujus loci, sed ad psychologiam pertinet.

12. II. IDEA SUBJECTIVA. Repraesentatio rei, mentis activitate effecta, vocatur *idea, conceptus*. Ab Aquinate definitur : *forma alicuius rei praeter ipsam rem existens in mente* (1). Definitur etiam *repraesentatio intellectualis rei alicuius*. — Idea vocatur *conceptus*, quia mente concepit; hic *conceptus* vocatur *subjectivus*, quia ejus essentia inhaeret subjecto h. e. menti; dicitur etiam *formalis*, quia ei proprie inest forma *conceptus* (2).

(1) I. q. 15. art. 4.

(2) Sequentia plerumque *ideae efformationem* anteeunt : a) Objecta externa modificant sensus externos, determinantque cognitionem sensibilem facti; b) in phantasia producuntur perfectiores rerum imagines,

Apprehensio et idea distinguuntur non realiter sed connotative. Non realiter, apprehendere enim est videre, apprehensio est visio; connotative, apprehensio enim in recto dicit actionem intellectus, in obliquo autem terminum actionis seu representationem; idea vero in recto dicit representationem, in obliquo actionem mentis.

13. III. IDEA OBJECTIVA. Res ipsa, seu *objectum* quod proprie et immediate per conceptum formalem et in conceptu formaliter concipitur et representatur, seu materia circa quam versatur, ad quam terminatur intellectus vel conceptus formalis, vocatur *objectum ideae*, seu etiam *conceptus objectivus, idea objectiva*. — Objectum ideae duplex est: a) *Materiale* seu ipsum objectum ut est in se cum omnibus suis notis. b) *Formale* seu objectum secundum hanc praeceps notam sub qua ab intellectu apprehenditur. Quidquid autem in objecto cogitatur, vocatur *nota*.

S 2. Partitiones idearum.

Partitione idearum instituitur: 1. ratione comprehensionis notarum; 2. ratione objecti et extensionis objecti. Extenditur vero a) vel ad unum objectum, idque α aut determinatum, β aut indeterminatum; b) vel ad plura objecta, eaque α aut singulatim inspecta, β aut collective. 3. Ratione relationis ideae ad objecta, seu perfectionis in representando.

I. PARTITIO IDEARUM RATIONE COMPREHENSIONIS NOTARUM.

14. Comprehensio ideae est complexio notarum ideae; mens enim potest plures paucioresve rei proprietates attingere. Ratione comprehensionis, idea vel simplex est vel composita.

quae *phantasmata* audiunt, manentque, remota sensuum perceptione. Vis intellectiva et spiritualis animi ad phantasmata conversa, sibi efformat nobiliores rerum representationes a conditionibus materiae immunes, quae vocantur species intelligibles, ideae, conceptus. His informatus, intellectus est actu intelligens. Addendum superest intellectum ope specierum suarum multa in rebus pereipere quae a sensibus et a phantasmatis aliena sunt; sic percipit rationes ordinis, pulchritudinis, similitudinis, disparitatis, causae, effectus.

a) Idea *simplex* repraesentat *unam tantum* objecti notam quae in alias resolvi non potest. Talis est conceptus entis.

b) Idea *composita* repraesentat menti *plures objecti notas* vel notam quae in plures resolvitur. Talis est conceptus hominis seu animalis rationalis.

II. PARTITIO IDEARUM RATIONE OBJECTI REPRAESENTATI.

15. 1. Ratione objecti, idea est directa aut reflexa: *Reflexa* idea pro objecto habet *actum animae*, puta volitiones aut cogitationes. — Secus idea est *directa*.

Actus mentis quo efformatur idea reflexa, vocatur *reflexio* seu apprehensio reflexa. — Distinguitur ab *attentione*: haec enim est modus rem considerandi, in eo nempe positus quod mens *defixa manet in objecto considerando*.

16. 2. Ratione objecti, idea adhuc est abstracta vel concreta:

a) Idea *abstracta* repraesentat menti *unam vel plures formas subjecti*, non representando subjectum cui hae formae insunt. Sic abstractae sunt ideae humanitatis, animalitatis, doctrinae, virtutis, coloris, magnitudinis, quae competit Petro; hae enim ideae subjectum Petrum non representant. Dicuntur *abstractae*, quia a subjecto aliquam formalitatem abstrahunt quam seorsim considerant.

Actus mentis quo efformatur idea abstracta vocatur *abstractione* seu apprehensio abstractiva.

b) Idea *concreta* repraesentat *unam vel plures formalitates subjecti* ut inherentes subjecto, seu etiam representant subjectum sub aliqua formalitate. Sic concretae sunt ideae hujus hominis, hujus animalis, docti, pii, colorati, magni. Vocatur *concreta* quia habet modum significandi compositum.

Triplex distinguitur concretum: *metaphysicum, physicum, logicum*; quare triplex datur idea *concreta*:

a) Concretum dicitur *metaphysicum*, quando forma *intrinsecus et essentialiter* inheret subjecto: sic ideae Petri, hominis, animalis, sunt ideae concretorum *metaphysicorum*.

b) Dicitur *physicum*, quando forma connotata *intrinsecus inheret* subjecto, *non tamen essentialiter*. Sic idea Petri virtute praediti, est idea *concreti physici*.

c) Dicitur *logicum*, quando forma *non intrinsecus* inhaeret subjecto, sed per *denominationem extrinsecum* ei adscribitur. Sic idea Petri cogniti, laudati, est idea concreti logici. Petrus enim accipit eas *denominationes non ob aliquam novam formam* ei *intrinsecus* inhaerentem, sed ob aliquid extrinsecum, nempe ob cognitionem laudesve aliorum hominum. — Talia attributa dicuntur subjecto competere *denominative*.

III. PARTITIO IDEARUM RATIONE EXTENSIONIS OBJECTI.

17. Extensio seu amplitudo ideae, est ejus *capacitas plurium pauciorumve objectorum repraesentandorum*.

A. Ratione extensionis objecti, idea est vel *singularis* vel *universalis*, vel *particularis* vel *collectiva*.

1. Idea *singularis* repraesentat *id quod uni determinatoque individuo convenit*, proinde id quod de pluribus nec dicitur nec dici potest : tales sunt *ideae Petri, Lutetiae*. — Ut idea sit *singularis*, exigitur ut ejus notae complexive sumptae non nisi *uni et determinato individuo convenienti*. In hoc tamen complexu dari possunt notae quae seorsim consideratae multis individualiis convenienti ; sic in *idea Petri* reperiuntur notae entis, substantiae, viventis, animalis, intelligentis etc., quae omnibus hominibus sunt communes ; verum his notis addendae sunt aliae notae per quarum additionem conceptus evadat *singularis*. Hae autem notae dicuntur *individuantes*, individuant enim conceptum, efficiendo *nimirum ut unum individuum determinatum significet*. — Sequenti versiculo continentur :

Forma, figura, locus, tempus, stirps, patria, nomen.

2. Idea *particularis* repraesentat *id quod uni, eique indeterminato individuo inest* : dicitur etiam idea *universalis coarctata ad unum subjectum idque indeterminatum suae extensionis*. Talis est idea *alicujus hominis*.

3. Idea *collectiva* repraesentat *id quod pluribus simul sumptis inest et de his simul sumptis praedicari potest*. Tales sunt *ideae familiae, exercitus, civitatis*.

4. Idea *universalis* repraesentat *id quod pluribus ex se toto distinctis distributive seu singulatim inest et de his pluribus*

praedicari potest : talis est idea hominis. Id enim quod repraesentatur aequi convenit Petro, Paulo, etc.

Idea universalis est vel directa vel reflexa :

a) Directa repraesentat *id quod pluribus distributive inest et de pluribus dici potest, non tamen repraesentat hanc notam de facto pluribus inesse*.

b) Reflexa repraesentat *id quod pluribus inest et insuper repraesentat notam hanc de facto pluribus inesse*.

Universalis idea subdividitur tum ratione modi diversi quo objectis diversis convenit, tum ratione diversae amplitudinis objecti repraesentati.

18. B. Ratione modi quo idea universalis pluribus distributive convenit, dividitur in *ideam univocam* et in *analogam*.

1. Idea universalis *univoca* repraesentat formam quae pluribus distributive inest secundum eamdem rationem praecise sumplam, seu *intrinsecam*. Forma concepta potest duobus modis sic inesse pluribus :

a) Si in pluribus *per nihil perficitur*. Sic forma est univoce communis duobus entibus perfecte similibus. — Tale univocum vocatur *reale*.

b) Si pluribus quidem inest diversa perfectione, verum perfici concipitur *nota formaliter diversa*. Talis perfectio inest secundum diversam rationem extrinsecam et secundum eamdem rationem intrinsecam. Sic homini et bruto univoca est animalitas. Etenim animalitas inest homini et bruto diversa perfectione, at concipitur perfici in homine per rationalitatem, in bruto per irrationalitatem. Neutra autem includit notam animalitatis. — Tale univocum vocatur *logicum*.

19. 2. Idea *analogia* repraesentat formam quae pluribus distributive inest secundum diversam rationem *intrinsecam*. Ejus itaque objectum pluribus inest diversa quidem perfectione, verum concipitor in pluribus perfici per *id quod in conceptu suo includit eamdem notam*.

OBSERVA. Formae per conceptus univocos aut analogos repraesentatae vocantur et ipsae univocae aut analogae; eodem nomine appellantur termini quibus significantur.

4. *Triplex* est *ideae ejusque objecti analogia, inaequalitatis nempe, attributionis, proportionis*.

a) Inter objecta viget analogia *inaequalitatis*, quando forma per ideam repraesentata iis inest inaequali perfectione secundum diversam rationem intrinsecam, licet tamen haec objecta inter se *nullam habent habitudinem*. Sic forma entis inest spiritui perfectius ac materiae; materia tamen dicitur ens sine habitudine ad spiritum.

b) Viget analogia *attributionis*, quando forma per ideam repraesentata uni inest *principalius*, per se, perfecte; ceteris *secundario*, imperfecte, ob *habitudinem* ad *principalium*. Objectum cui forma *principalius* inest vocatur *analogum princeps*; cetera vocantur *analogia secundaria*.

Analogia attributionis est vel *intrinseca* vel *extrinseca*:

Intrinseca est, quando ipsa forma per ideam repraesentata inest *tum analogo principi, tum analogis secundariis*. Sic forma entis inest Deo et rebus creatis, Deo *principalius*, creatis *secundario*: creatis enim inest tamquam participatio *essentialiae divinae*, imitatio ejus longinqua et imperfecta.

Extrinseca est quando forma inest *soli principi*, ita ut in analogis secundariis non habeatur nisi *ordo quidam ad analogum princeps*, ob quem ordinem idem nomen et idem conceptus iis convenient. Sic forma per conceptum sanitatis repraesentata inest soli animali; medicina vero, cibus, aer, color, dicuntur sana vel quia conferunt ad sanitatem animalis, vel quia sunt signa hujus sanitatis.

c) Viget analogia *proportionis*, quando forma pluribus adscribitur propter aliquam proportionem. Proportio autem est identitas habitudinis quam duo habent ad alia duo.

20. C. Ratione diversae amplitudinis, idea universalis est vel transcendentalis, vel simpliciter universalis.

1. Idea *transcendentalis* repraesentat id quod *omnibus* quae sunt vel esse possunt *distributively* inest et de his *singulis* praedicari potest. — Objectum ejus vocatur *transcendentale*; talia sunt *ens, unum, verum, bonum*.

2. Idea *simpliciter universalis* repraesentat id quod *pluribus*, non vero *omnibus*, *distributively* inest et de his praedicari potest. Tales sunt *ideae hominis, animalis*.

Universalitas *ideae*, seu ejus extensio, est eo major quo

minor est ejus comprehensio; sive aliter eo major est multitudo individuum ad quae idea extenditur, quo pauciores sunt notae quas complectitur. Sic idea hominis est majoris comprehensionis et minoris extensionis quam idea animalis; idea entis est minimae comprehensionis, et maximae extensionis.

21. D. Idea simpliciter universalis subdividitur: est specifica enim, generica, differentialis, propria, accidentalis.

1. Idea *specifica* pro objecto habet *speciem*. — Species varie definitur: a) *essentia completa* quae pluribus numero distinctis univoce inest et de his praedicatur; b) id quod univoce de pluribus numero distinctis praedicatur essentialiter et complete, c) *unum aptum inesse pluribus numero differentibus et praedicari de illis in quid complete*. — Praedicare in quid idem est ac enuntiare substantiae quid res sit, seu quaenam sit ejus essentia. Sic homo, humanitas, animal, praedicantur in quid de Petro, de Paulo numero distinctis.

Sequentes *ideae* sunt *specificae*: a) *idea animalis rationalis*: repraesentat enim essentiam completam singulorum hominum, seu id quod de singulis praedicatur in quid complete; b) *idea animalis irrationalis*: exhibet essentiam completam singulorum brutorum; c) *idea corporis vegetantis*, sensu carentis: exhibet essentiam completam plantarum.

OBSEVA. Species ex usu scientiarum experimentalium significat collectionem *individuum* quae similem naturam participant, seu quibus eadem *idea specifica* convenit. Sic species humana accipitur pro stirpe aut familia humana.

2. Idea *generica* pro objecto habet *genus*. — Genus definitur: a) id quod univoce de pluribus differentibus specie praedicatur tanquam pars determinabilis *essentialiae*; b) *unum aptum inesse pluribus specie differentibus et praedicari de illis in quid incomplete*. Sic animal exprimit genus ad quod pertinent species humana et species brutorum.

3. Idea *differentialis* pro objecto habet *differentiam*. Haec definitur: a) id quod univoce de pluribus distinctis numero praedicatur tanquam pars determinans eorum *essentialiae*; b) *unum aptum inesse pluribus et praedicari de illis in quale quid*. — Praedicare in quale quid idem est ac enuntiare adjective quid ad essentiam pertineat.

OBSERVAT. a) Patet diversam esse speciei et differentiae comprehensionem, siquidem species constituitur notis generis et differentiae.

b) In conceptu speciei, genus vocatur *materia*, differentia vocatur *forma*. Materia enim generatim est pars determinabilis compositi, h. e. illa pars quae ex se est indifferens ad plura et postulat determinari ad unum. Forma est pars determinans compositi, h. e. illa pars quae ex se non est indifferens ad plura et determinat materiam ut per unionem secum determinatum ens constitut. Patet autem genus esse ex se indifferens et determinabile ad varias species, differentiam autem determinare genus ad unam speciem.

4. Idea proprii pro objecto habet *proprium*, quod definitur : a) id quod de pluribus univoce praedicatur tanquam necessario nexus cum eorum essentia; b) unum aptum inesse pluribus et praedicari de illis in quale necessario. — Porro proprium seu proprietas est id quod per conceptum essentiae seu speciei non concipitur, necessario tamen ex hac essentia fluit et proinde convenit omnibus iis quibus communis est ista essentia. Sic risibilitas et locutivitas sunt proprietates hominis.

Aliiquid potest esse proprium speciei aut generi : a) Quod solis omnibusque individuis speciei competit, est proprium speciei; sic posse ridere est homini proprium strictissimo sensu. — b) Quod omnibus et solis individuis omnium specierum sub eodem genere contentarum competit, est proprium generi; sic posse videre est proprium generi animalis.

5. Idea accidentis logici pro objecto habet *accidens logicum*, quod definitur : a) id quod de pluribus praedicatur tanquam contingenter nexus cum eorum essentia; b) unum aptum inesse pluribus et praedicari in quale contingenter. Sic esse album, esse doctum, sunt accidentia logica hominis.

22. E. Genus iterum subdividitur in *supremum*, *subalternum* et *proximum*. Pluribus enim generibus inter se collatis, detegi possunt quea iis essentialiter sunt communia, ita ut genus superius efformetur. Inter genera superiora comparatio nova institui potest, et genus novum detegi :

1. Genus supremum comprehendit sub se alia genera et ipsum immediate ponitur sub transcendentalibus.

2. Genus *subalternum* comprehendit sub se alia genera et ipsum sub superioribus generibus ponitur.

3. Genus *proximum* sub se non comprehendit alia genera; ipsum vero sub aliis generibus comprehenditur.

4. Ex his liquet speciem *infimam* esse illam quae non est genus, seu quae non comprehendit sub se alias species; differentiam *ultimam* esse quae cum genere proximo speciem ultimam constituit.

Circa praefatas divisiones sequentia sunt sedulo observanda. Ea subjicimus per modum scholion.

23. Scholion 1. In ontologia probatur ens reale dividi in *decem praedicamenta*, nempe in substantiam, cuius subdivisiones tradit arbor porphyriana, et in accidens quod dispescitur in novem praedicamenta quae sunt *quantitas*, *relatio*, *actio*, *qualitas*, *passio*, *ubi*, *quando*, *situs*, *habitus*. Haec partitio diversa est a partitione ideae universalis mox tradita. Species enim, genus, differentia specifica, proprium et accidens logicum praedicantur de singulis praedicamentis et proinde tum de substantia tum de singulis accidentibus realibus, ideoque vocantur *quinque praedicabilia*. — Res enim diversae inter se comparari possunt non modo secundum substantiam, sed etiam secundum accidentia; inde detegi potest non tantum in quanam specie substantiae convenient; sed etiam videri potest in quanam specie accidentis convenient. — Uti substantia habet essentiam, proprietates, accidentia logica; ita etiam accidentia realia, quibus substantia afficitur, his non carent. — Uti substantiae specie diversae inter se convenient secundum partem communem seu genus; ita eodem modo plura accidentia realia specie diversa inter se convenient in eodem genere (i).

(i) A. Sequenti modo efformantur ideae specificae, genericae, propriae, substantiarum, etc. :

1. *Species*. Efformatur conceptus distinctus Petri, removentur notae sine quibus remanet integra essentia Petri; reliquus est conceptus animalis rationalis, constans duplii nota essentiali.

Eadem fit operatio circa Paulum... etc.; cernitur conceptum animalis rationalis repraesentare essentiam completam singulorum hominum familiae humanae. Talis essentia vocatur *species humana*.

24. Scholion 2. Hinc cernere est in quo differant accidentis reale et accidentis logicum :

a) Accidentis logicum est universale; est enim forma per con-

Circa equum, canem... etc. similis efficitur operatio mentis; cernitur eorum essentiam completam repraesentari per conceptum *animalis irrationalis*, quae est *species belluina*.

2. Genus et Differentia.

Comparantur species humana et species belluina; cernitur animalitatem esse partem essentiae tum *humanae* tum *belluinae*; ex hoc sequitur animalitatem seorsim inspectam esse indifferentem ut praedictetur de specie bruti et de specie hominis, eamque esse determinabilem, h. e. eam per additionem notae rationalis determinate significare speciem hominis, et per additionem notae irrationalis determinate significare brutum; patet notas rationalis et irrationalis esse determinantes. Pars essentiae completas quae est determinabilis et communis speciebus diversis, vocatur *genus*. Pars determinans genus ad constituendam determinatam speciem, vocatur *differentia*.

3. De proprio et de accidente nihil dicendum superest.

4. Genus supremum, subalternum, proximum.

a) Animal idem est ac vivens sensibiliter seu per sensus. Efformatur conceptus diversarum plantarum; cernitur essentiam completam singularum repraesentari conceptu viventis insensibilis.

Comparatur species plantae seu viventis insensibilis cum genere animalis seu viventis sensibilis; cernitur vivens esse partem essentialem communem speciei plantae et generi animalis. Efformatur novum genus quod est genus proximum respectu plantae et animalis, genus autem remotum respectu brati et hominis.

b) Ens extensum vivens est idem ac corpus organicum.

Genus viventis seu corporis organici comparatur cum alia specie, nempe corporum anorganicorum; nota corporis est pars essentialis communis huic speciei et generi viventis; efformatur novum genus quod est proximum relate ad corpora anorganica et organica, remotum relate ad vivens sensibile et insensibile, remotius relate ad brutum et ad hominem.

c) Corpus idem est ac substantia corporea.

Ex consideratione animae humanae efformatur conceptus substantiae incorporeae seu simplicis. Genus substantiae corporeae comparatur cum hac specie et efformatur conceptus novi generis alienus quod erit proximum relate ad substantiam incorpoream et corpoream, remotum relate ad corpus organicum et anorganicum, remotius relate ad

ceptum repraesentata quae pluribus distributive et contingenter inest. — Accidentis reale est *singulare*; realitas enim accidentalis quae omni inest non potest alteri inesse.

3) Accidentis logicum competit *substantiis* realibus et *accidentibus* realibus, distributive sumptis. Utrisque enim quaedam contingenter convenientia abstracte concipi possunt. Hae formae conceptae, seu accidentia logica, de inferioribus distributive praedicantur. — Accidentis reale non est substantia realis.

25. Scholion 3. Subordinationi generum et specierum exemplo sit illud schema quo vulgo audit *arbor porphyriana*; tradit subdivisionem praedicamenti substantiae :

Substantia	incorporea;	inorganicum;	insensibile,	rationale,
	corporea, seu corpus	organicum, seu vivens		
			seu vegetale;	seu brutum;
			sensibile,	rationale
			seu animal	sen homo.

Ad schema observa. I. Superiora dicuntur ea quae sub extensione sua continent inferiora, de his praedicantur, iis magis vivens sensibile et insensibile, remotissimum relate ad animal rationale et irrationaliter.

B. Sequenti modo efformantur ideas specificae, genericae etc. accidentium realium :

Res inter se comparari possunt secundum rationes accidentales. Sic homo albus, equus albus, arbor alba comparantur secundum albedinem. — Haec abstracte concipiuntur. Conceptus repraesentat formam universalem seu id quod his pluribus distributive et univoce inest. Ista albedo abstracte concepta habet : a) *Speciem*, seu essentiam completam per quam est albedo potius quam nigror, calor, etc. — b) *Genus et differentiam*. Possunt comparari inter se equus albus et equus niger. Abstrahitor forma universalis nigroris. Hic comparatur cum albedine. Videntur inter se convenire in genere coloris. Hoc genus praedicatur de inividuis albis et nigris. — c) *Proprietates*; Sic albedo reflectit radios solares. Haec proprietas, potest concipi abstracte et praedicari de singulis albis. — d) *Accidentia logica*. Quaedam enim contingenter competere possunt nonnullis rebus albis. Abstracte concipiuntur et praedicantur distributive de his nonnullis.

sunt universalia. — Genus est superius speciebus suis; species individuis speciei.

2. Superiora possunt concipi ideis abstractis, puta anima-
litatis, vitae; aut terminis concretis, puta animalis, viventis.

3. Superiora nominibus concretis significata, de inferioribus
iisdem nominibus significatis, praedicantur *substantive* seu *in
quid*; inferiora vero de superioribus non praedicari possunt. —
Sic de Petro dicitur: est homo, est rationalis, est animal, vivens,
habens corpus, est *substantia*. — De *substantia* autem non dici-
tur: est corpus, est homo.

IV. PARTITIO IDEARUM RATIONE PERFECTIONIS SECUNDUM QUAM OBJECTA
REPRESENTANTUR.

26. Ratione perfectionis in repraesentando:

1. Idea est *clara* vel *obscura*. — a) Idea *clara* ita objectum
repraesentat ut illud ab *omni* *alio* discerni possit. Ut patet,
objectum potest esse genas, species, individuum. — b) Idea
obscura ita repraesentat objectum *ut ab omni* *alio* *discerni non
possit*. Sic ideae entis, animalis, non clare sed obscure repre-
sentant hominem; per conceptum enim animalis non discernitur
homo a brutis; per conceptum entis a nulla alia re discernitur.

2. Idea clara est *distincta* vel *confusa*. Idea clara est *distincta*
quando *plures* *objecti* *notas* *sufficienter* *inter se* *distinguit*; secus
est *confusa*.

3. Idea distincta est completa seu *adaequata*, si distincte
repraesentat *omnes* *objecti* *notas*; secus est incompleta seu
inadaequata.

ARTICULUS II.

DE SIGNO IDEAE.

§ 1. *De signo in genere.*

27. Notio signi. Vi vocis signum est id quod significare
potest; significare autem est aliud notum facere; est itaque

id quod *aliud a se repraesentat potentiae cognoscitive*. Id
quod per signum repraesentatur, vocatur *signatum*.

In signo duo considerari possunt: a) *Res* quae significat,
vocatur *materia signi*. b) *Significatio*, seu vis significandi, h. e.
deducendi mentem in cognitionem alterius, seu etiam nexus
signi cum signato; vocatur *forma signi*.

28. Partitio signi. Signa partiuntur praesertim ratione ori-
ginis et ratione modi significandi:

1. RATIONE ORIGINIS, signa sunt vel *naturalia*, vel ex instituto
seu *arbitraria*. — a) *Naturalia* apud omnes idem significant,
seu *sua natura vim significandi habent*. Sic gemitus est signum
naturale doloris, risus laetitiae, fumus ignis. — b) *Arbitraria*
habent vim significandi *ex institutione* sive Dei, sive hominum.
Sic vexillum significat nationem, vocabulum ideam mentis, etc.
— Signa arbitraria subdividi possunt ratione institutionis, quae
potest esse divina vel humana, publica vel privata.

2. RATIONE MODI SIGNIFICANDI, signa sunt vel manifestativa
vel suppositiva. — a) *Manifestativa* seu demonstrativa mani-
festant tantum existentiam alterius. Talia sunt risus, gemi-
tus, etc. — b) *Suppositiva* non tantum manifestant intellectui
alterius existentiam, sed substituuntur alteri *ut ejus vicibus fun-
gantur*. Talia sunt statuae; talia erant sacrificia V. L.

§ 2. *De signis idearum seu de terminis.*

Tria queruntur: 1^a notio; 2^a divisio; 3^a proprietates.

29. Notio termini. Ut conceptus mentis aliis communicaren-
tur, alligati fuerant signis quibusdam manilestativis, nempe
vocabulo, scripto, gestibus; duo priora apud philosophos *ter-
mini* audiunt. — Terminus definitur *signum manifestativum
conceptus et suppositivum rei per conceptum significatae*. Voca-
tur etiam *signum logicum*.

30. Divisio terminorum. Termini dividiri possunt ratione rei
significantis aut ratione rei significatae et ejus extensionis.

A. RATIONE REI SIGNIFICANTIS, termini sunt:

1. *Complexi*, vel *incomplexi* seu *simplices*: a) *Simplex* est
vocabulum *unum* significans ideam simplicem vel compositam,

v. g. homo, ens. — b) *Complexus* reprezentat pluribus vocalibus unam ideam compositam, v. g. insignis philosophus.

In termino complexo distinguitur terminus principalis, et terminus incidens : a) *principalis* significat *subjectum*, v. g. philosophus; b) *incidens* significat *subjecti modum* seu determinationem, v. g. bonus. Terminus incidens est duplex : a) *explicativus*, explicatus significat id quod principalis jam per se significabat, v. g. homo *mortalis*; b) *restrictivus*, restringit extensionem termini principalis, v. g. homo *doctus*, homo *justus*.

2. *Categorematici*, vel *syncategorematici*, vel *mixti* : a) *Categorematicus* aliquid significat *per se solum*; tales sunt homo, anima, Petrus. — b) *Syncategorematicus* *per se solum nihil* significat, sed *alteri termino est adjungendus*, ut significet; exprimit quantum hic alter significet, ideo vocatur etiam *con significativus*. Tales sunt omnis, quidam, aliquis. — c) *Mixtus* utraque vi pollet. Talis est *nemo*.

31. B. RATIONE REI SIGNIFICATAE, EJUSQUE EXTENSIONIS :

1. Termini sunt *positivi* cum rem significant; et *negativi* cum absentiam rei significant, v. g. vacuum, tenebrae, caecitas.

OBSERVA. Inter terminos qui exprimunt perfectionem positivam, sunt qui negationem praese ferunt, v. g. immensitas, infinitas, immutabilitas. — Contra inter eos qui absentiam perfectionis significant, sunt qui nullam negationem praese ferunt; tales sunt mortalitas, corruptibilitas. — Prioris terminos vocamus *positivos*; posteriores vero *negativos*. Attamen termini qui negationem includunt non raro vocantur *negativi*; ceteri vero *positivi*.

2. Termini *concreti* et termini *abstracti*, prout sunt signa ideae concretae vel abstractae.

3. Termini *absoluti*, et termini *connotati*.

a) *Connotativus* significat aliquid *adjacens quasi adjacens alicui*, h. e. formam ut alteri inhaerentem et adjectitiam, v. g. candidum, vestitum, caecum : candidum significat album ut adjacens cygno, papyro; vestitum significat vestem ut adjacentem homini, etc. — Itaque significat formam in obliquo (h. e. indirecte), licet clare; dicitur de *subjecto*, h. e. connotat *subjectum quod in recto*, licet *obscure*, reprezentatur.

b) *Absolutus* significat aliquid, non quasi adjacens alicui, sed *quasi per se subsistens*, h. e. formam ut per se stantem; sive realiter per se stet, v. g. homo, animal; sive coacipiatur ut per se stans, v. g. humanitas. — Color, virtus etc. sunt aliquid adjacens, sed concipiuntur quasi aliquid per se stans; quare hi termini sunt absoluti.

4. Termini sunt *singulares seu proprii, universales seu communes, collectivi, indefiniti*, ut mox dicetur.

5. Termini sunt *univoici aut analogi seu aequivoci consilio*, cum significant communia pluribus univoce aut analogice. Praeterea habentur termini *aequivoci casu*, qui significant ideas *formaliter diversas, resque diversas*. Aequivoci sunt v. g. « *gallus* » reprezentans hominem natione gallum, et avem; « *perdo* » idem sonans ac *amitto et destruo*.

Proprietates terminorum. Duplex potissimum est terminis proprietas : *suppositio et appellatio*.

32. DE SUPPOSITIONE TERMINORUM. — Terminum pro aliquo supponere, idem est ac poni pro aliquo, substitui alicui rei, ejus vicibus fungi. Suppositio igitur termini definitur *usus termini pro re aliqua*. In omni oratione terminus significat aliquam rem et pro ea supponit et non nisi pro una; ista res per subjectam materiam et contextam orationem determinatur. Porro diversae sunt terminorum suppositiones :

1. Si terminus supponit *pro se ipso* seu significat seipsum, suppositio est *materialis*. Qui dicit : « Cicero est vox trium syllabarum » supponit terminum « *Cicero* », pro ipso hoc termino. — Si supponit *pro re significata* per terminum, suppositio est *realis*. Sic supponit Cicero in his verbis « *Cicero est orator* ».

2. Suppositio *realis* est vel *absoluta*, vel *personalis* : a) Si terminus supponit *pro natura abstracte sumpta*, suppositio est *absoluta*; b) si supponit *pro individuis*, est *personalis*.

3. Suppositio *personalis* est *quadruplicis* : *singularis, universalis seu distributiva, collectiva, particularis* :

a) Si terminus supponit *pro uno individuo determinato* v. g. « *Socrates est homo* », suppositio est *singularis*.

b) Si terminus supponit *pro singulis inferioribus*, h. e. pro

singulis ex his, quae per terminum communem significari possunt, distributive sumptis, suppositio est *universalis* et *distributiva*. Propositio in qua talis habetur suppositio subjecti, aequivalet propositionibus multiplicatis pro numero inferiorum et conjunctis particula *et*. Sic terminus « *omnis homo* » supponit distributive in propositione « *omnis homo est mortal*is; » ista autem propositio his aequivalet: Petrus est mortal, et Paulus est mortal, etc. Illa enumeratio inferiorum termini communis vocatur *descensus copulativus*.

Suppositio distributiva est *completa* vel *incompleta*.

a) *Completa* est, si designat *individua omnia* quae ideae significatae subjacent, ut « *omnis circulus est rotundus*. »

b) *Incompleta* est, si designat solummodo *species* quae ideae genericae per terminum significatae subjacent, ut « *omnia animantia ingressa sunt arcam Noe*; » animantia enim supponit pro aliquo individuo ex omnibus speciebus animantium.

c) Si terminus supponit pro *omnibus inferioribus simul sumptis*, suppositio est *collectiva*. Talis est suppositio termini « *omnes apostoli* » in propositione: « *omnes apostoli sunt duodecim*. » Huic termino substitui possunt inferiora conjuncta per particulam *et*, « *Petrus et Paulus... etc.* sunt duodecim apostoli; » quae enumeratio vocatur *descensus copulatus*. Patet propositiones non multiplicari.

d) Si terminus supponit pro *uno individuo indeterminato inferiorum*, suppositio est *particularis*. Habetur in propositione « *aliquis apostolus fuit proditor*. »

33. B. DE APPELLATIONE. — Est applicatio unius termini *supra alium*; terminus qui applicatur, dicitur *appellans*; terminus cui applicatur, dicitur *appellatus*. In verbis « *homo justus* », terminus « *justus* » appellat terminum « *hominem* ». — Appellatio termini concreti est *materialis* aut *formalis*:

1. Si terminus appellans applicatur termino concreto *ratione formae* per hunc terminum significatae, appellatio est *formalis*, et terminus appellatus dicitur sumi *formaliter*. In verbis « *medicus sanat* », terminus « *sanat* » appellat medicum ratione formae (artis medicinalis), sub qua subjectum repraesentatur.

2. Si applicatur *ratione subjecti*, ut est in se, cum omnibus

suis notis, non vero ratione formae expresse connotatae, appellatio est *materialis*, et terminus appellatus sumitur *materialiter*. Sic quando dicitur « *medicus cantat* », « *cantat* » appellat medicum ratione subjecti, et medicus sumitur *materialiter*.

Ut terminus appellans applicetur termino appellato secundum hujus formale significatum, requiritur ut vera maneat propositio, additis ad terminum appellatum particulis *quatenus, in quantum, formaliter...* etc. Sic vera est propositio « *medicus*, *quatenus medicus*, *sanat* »; falsa vero est: « *medicus, quatenus medicus, cantat* ».

OBSERVA. a) Terminus appellans semper sumitur *formaliter*. b) Terminus *concretus* appellatus, per se, sumitur *materialiter*. Hinc simpliciter verae sunt propositiones: « *Deus Verbum mortuus est*; *medicus cantat*; *philosophus dormit*. » c) Terminus appellatus *abstractus*, cum tantum aliquam formam significet, non potest sumi nisi *formaliter*.

CAPUT II.

DE JUDICIO ET DE PROPOSITIONE.

ARTICULUS I.

DE JUDICIO.

34. Notio Judicii. 1. *Descriptio.* Mens comparare potest inter se duas ideas objectivas; sic comparat *Petrum* et *bonum*. Qua comparatione instituta, vel percipit formam apprehensam per conceptum boni inesse Petro, vel cernit ei deesse, vel tandem neutrum percipit. In primo et in secundo casu, mens elicit novum actum, scilicet percipit affirmatque identitatem vel repugnantiam posterioris ideae objectivae cum priori. Iste actus est *judicium*.

2. *Definitio.* Definitur *perception* vel *affirmatio identitatis* vel

singulis ex his, quae per terminum communem significari possunt, distributive sumptis, suppositio est *universalis* et *distributiva*. Propositio in qua talis habetur suppositio subjecti, aequivalet propositionibus multiplicatis pro numero inferiorum et conjunctis particula *et*. Sic terminus « *omnis homo* » supponit distributive in propositione « *omnis homo est mortal*is; » ista autem propositio his aequivalet: Petrus est mortal, et Paulus est mortal, etc. Illa enumeratio inferiorum termini communis vocatur *descensus copulativus*.

Suppositio distributiva est *completa* vel *incompleta*.

a) *Completa* est, si designat *individua omnia* quae ideae significatae subjacent, ut « *omnis circulus est rotundus*. »

b) *Incompleta* est, si designat solummodo *species* quae ideae genericae per terminum significatae subjacent, ut « *omnia animantia ingressa sunt arcam Noe*; » animantia enim supponit pro aliquo individuo ex omnibus speciebus animantium.

c) Si terminus supponit pro *omnibus inferioribus simul sumptis*, suppositio est *collectiva*. Talis est suppositio termini « *omnes apostoli* » in propositione: « *omnes apostoli sunt duodecim*. » Huic termino substitui possunt inferiora conjuncta per particulam *et*, « *Petrus et Paulus... etc.* sunt duodecim apostoli; » quae enumeratio vocatur *descensus copulatus*. Patet propositiones non multiplicari.

d) Si terminus supponit pro *uno individuo indeterminato inferiorum*, suppositio est *particularis*. Habetur in propositione « *aliquis apostolus fuit proditor*. »

33. B. DE APPELLATIONE. — Est applicatio unius termini *supra alium*; terminus qui applicatur, dicitur *appellans*; terminus cui applicatur, dicitur *appellatus*. In verbis « *homo justus* », terminus « *justus* » appellat terminum « *hominem* ». — Appellatio termini concreti est *materialis* aut *formalis*:

1. Si terminus appellans applicatur termino concreto *ratione formae* per hunc terminum significatae, appellatio est *formalis*, et terminus appellatus dicitur sumi *formaliter*. In verbis « *medicus sanat* », terminus « *sanat* » appellat medicum ratione formae (artis medicinalis), sub qua subjectum repraesentatur.

2. Si applicatur *ratione subjecti*, ut est in se, cum omnibus

suis notis, non vero ratione formae expresse connotatae, appellatio est *materialis*, et terminus appellatus sumitur *materialiter*. Sic quando dicitur « *medicus cantat* », « *cantat* » appellat medicum ratione subjecti, et medicus sumitur *materialiter*.

Ut terminus appellans applicetur termino appellato secundum hujus formale significatum, requiritur ut vera maneat propositio, additis ad terminum appellatum particulis *quatenus, in quantum, formaliter...* etc. Sic vera est propositio « *medicus*, *quatenus medicus*, *sanat* »; falsa vero est: « *medicus, quatenus medicus, cantat* ».

OBSERVA. a) Terminus appellans semper sumitur *formaliter*. b) Terminus *concretus* appellatus, per se, sumitur *materialiter*. Hinc simpliciter verae sunt propositiones: « *Deus Verbum mortuus est*; *medicus cantat*; *philosophus dormit*. » c) Terminus appellatus *abstractus*, cum tantum aliquam formam significet, non potest sumi nisi *formaliter*.

CAPUT II.

DE JUDICIO ET DE PROPOSITIONE.

ARTICULUS I.

DE JUDICIO.

34. Notio Judicii. 1. *Descriptio.* Mens comparare potest inter se duas ideas objectivas; sic comparat *Petrum* et *bonum*. Qua comparatione instituta, vel percipit formam apprehensam per conceptum boni inesse Petro, vel cernit ei deesse, vel tandem neutrum percipit. In primo et in secundo casu, mens elicit novum actum, scilicet percipit affirmatque identitatem vel repugnantiam posterioris ideae objectivae cum priori. Iste actus est *judicium*.

2. *Definitio.* Definitur *perception* vel *affirmatio identitatis* vel

repugnantiae inter duas ideas objectivus; vel adhuc : actus quem mens percipit affirmatque unum inesse vel non inesse alteri.

3. *Elementa objectiva.* Altera idea objectiva vocatur *subjectum judicii*; altera, *praedicatum*. *Subjectum* est id cui aliquid cernitur convenire; *praedicatum* vero id quod cernitur convenire alteri et de eo esse *praedicandum*. — His elementis objectivis continetur *materia judicii*, seu id de quo fit *judicium*.

4. *Elementa subjectiva.* Uti ex his cernere est, *judicium antecedunt a apprehensio subjecti et praedicati, b) comparatio utrinque. Essentialiter reponitur in perceptione identitatis vel repugnantiae terminorum; in hac reponitur forma judicii.*

Ex praeictis liquet *judicium esse affirmativum*, quando intellectus percipit unum convenire alteri; *negativum*, quando negat unum alteri convenire. *Negativum* tamen revocari potest ad *affirmativum*: negare enim identitatem duorum est affirmare defectum identitatis.

Divisio Judicii. Institutui potest dupliciter:

1. *Ratione subjecti*: est *prudens vel temerarium*, prout praecessit vel non attenta subjecti et praedicati comparatio.
2. *Ex parte objecti*: est a) *immediatum vel mediatum*; b) *analyticum vel syntheticum*. — De hac autem divisione redibit quaestio in altera parte Logicae.

ARTICULUS II.

DE SIGNO JUDICII SEU DE PROPOSITIONE.

Quaerendum est: a) Quid sit *propositio*; b) Quaenam sit propositionum partitio; c) Quomodo diversae propositiones queant se habere inter se; ubi agendum est de oppositione propositionum, de earum aequipollentia et de conversione seu reciprocatione.

§ 1. *Notio propositionis.*

35. *Definitio.* — *Judicium, interius elicatum, exterius manifestamus per propositionem, quae definitur: oratio quae judicium exprimit, seu quae unum de alio negat aut affirmat.*

Elementa propositionis. Uti *judicium constat ex apprehensione duplicitis ideae objectivae, et ex perceptione identitatis vel repugnantiae; sic propositio constat ex signo utriusque ideae objectivae, et ex signo perceptionis identitatis vel repugnantiae. Tria igitur sunt elementa constitutiva propositionis:*

a) *Subjectum*, est id de quo aliquid affirmatur aut negatur. Nomine *subjecti* insignitur, quia subjacet *praedicato*; in eo enim reperitur forma quae per *praedicatum* significatur.

b) *Praedicatum*, est id quod de *subjecto* affirmatur.

c) *Copula* « est » vel « non est », affirmat identitatem vel repugnantiam *subjecti et praedicati*.

*Subjectum et praedicatum sunt materia propositionis, significant enim, simul sumpta, rem quae per copulam dicitur esse vel negatur esse. Copula est forma propositionis; ab aliis vocatur *qualitas essentialis*.*

36. *OBSERVA* circa elementa propositionis:

1. *Circa numerum terminorum*: Omnis propositio essentialiter constat tribus terminis formaliter sumptis, supra explicatis. At termini materialiter sumpti, h. e. vocabula, tres vel plures paucioresve esse possunt. Sic: a) *subjectum et praedicatum* possunt singula *pluribus vocabulis* constare, v. gr.: initium sapientiae est timor Domini. b) *Subjectum et praedicatum* possunt singula *uno vocabulo* enuntiari, v. gr.: Deus est bonus. Talis propositio a scholasticis dicebatur *de tertio adjacente*. c) *Copula et praedicatum eodem vocabulo* enuntiari possunt, v. gr. homo orat. Haec propositio vocatur *de secundo adjacente*. d) *Tres termini uno vocabulo efferriri* possunt, v. gr. oro. Haec propositio vocatur *de primo adjacente*.

37. 2. *Circa copulam* propositionis tria advertenda sunt:

a) *Forma propositionis* est semper *verbum esse* eoque exprimitur identitas aut repugnancia inter *subjectum et praedicatum*. Quare vocatur *verbum copulativum*. — Notandum est *verbum esse* posse significare *actum existentiae* seu aequivalere his verbis « *esse existens* », in quo casu vocatur *verbum substantivum*.

b) *Cum praedicatum sumitur sensu metaphorico, copula est* significat identitatem realem *subjecti* cum re quam *praedicatum* translate significat. Exemplo sit: Achilles est leo; sensus

est : Achilles est strenuus ut leo. — Cum praedicatum sumitur pro re significante, copula indicat identitatem realem subjecti cum re significante. Exemplo est : haec effigies est Beatae Virginis. Sensus est : effigies est significans B. V.

c) Verbum copulativum adhibetur tribus differentiis temporum, nempe praesenti, praeterito et futuro, et tribus modis, nempe indicativo, subjunctivo et imperativo.

Tempore futuro vel praeterito positum, revocari potest ad copulam praesentis temporis, futuritione vel praeteritione adjectis praedicato per modum adverbii. Sic sequens : « S. Ignatius condidit Societatem Jesu, » huic aquivalet : « S. Ignatius est alius olim condens etc. »

Modo indicativo adhibitum, significat actum praesentem intellectus affirmantis identitatem subjecti et praedicati; modo subjunctivo vel imperativo significat actum praesentem voluntatis volentis hanc identitatem.

38. 5. Circa subjectum et praedicatum haec teneantur :

a) In propositione subjectum exhibetur ut subjacens praedicato, seu habens inter varias formalitates eam, quae expresse per praedicatum significatur; unde naturaliter subjectum propositionis est majoris comprehensionis (h. e. plures notas comprehendens), et proinde minoris extensionis (h. e. ad pauciora objecta se extendens, quam praedicatum). Exemplo sit « Deus est bonus. » Inter varia attributa quae Deo convenient, habetur et bonitas; conceptus Dei plures notas habet quam conceptus boni. Dein bonitas non tantum ad Deum, sed etiam ad alia entia extenditur. — Propositio hujusmodi dicitur *naturalis*.

b) Interdum praedicatum ponitur loco naturalis subjecti, v. gr. : « Aliquis bonus est Deus; — aliquod animal est homo; » pro : « Deus est bonus; — homo est animal. » — Haec propositio dicitur *innaturalis*, *inordinata*, *contra ordinem*, *indirecta*.

c) Propositiones, in quibus subjectum concretum est aequo vel etiam magis universale quam praedicatum, et in quibus praedicatum non convenit subjecto concreto formaliter sumpto sed tantum materialiter sumpto, dicuntur *praeter ordinem*, *praeter naturam*, *per accidens*. Talis est propositio : Aliquod album est dulce.

d) Ex paejectis liquet subjectum exprimere in confuso id quod praedicatum exprimit distincte; idcirco, licet subjectum et praedicatum in re sint idem, nugatoria tamen nec identica est propositio.

§ 2. De partitione propositionum.

Cum propositio essentialiter constet materia seu subjecto et praedicato, et forma; cum insuper varia esse possit materiae extensio seu quantitas, triplex potissimum institui potest propositionis divisio : 1^o Ratione formae; 2^o Ratione quantitatis; 3^o Ratione materiae.

I. PARTITIO PROPOSITIONUM RATIONE FORMAE.

Ratione formae propositio est :

39. 1. Vel negativa, vel affirmativa, prout particula non adjicitur copulae vel non adjicitur.

OBSERVA : a) Si particula non afficit praedicatum vel subjectum, propositio est affirmativa, v. g. : *Surdus est non audiens*; *Non peccare est bonum*. Tales propositiones dicuntur *indefiniti praedicati*, vel *indefiniti subjecti*.

b) In propositione negativa, *praedicatum* sumitur secundum comprehensionem suam *collective* sumptam, non vero secundum comprehensionem *disjunctive* sumptam; h. e. negatur notas praedicati *simul sumptas* convenire subjecto, non vero dicitur nullam esse notam praedicati quae huic subjecto competit; sic in propositione : « *brutum non est homo*, » quaedam notae hominis convenient *bruto*. — Deinde idem praedicatum sumitur secundum *omnem partem extensionis sua*; h. e. negatur esse ullum ex inferioribus praedicati quod de subjecto *praedicari* possit; sic dicendo : « *homo non est angelus*, » asseritur nullum ex angelis *praedicari* posse de homine. Igitur in propositione negativa *praedicatum supponit distributive*.

c) In propositione affirmativa, *praedicatum* convenit *subjecto* : 1) secundum *omnes et singulas notas*; 2) secundum *aliquam partem extensionis sua*. Igitur *praedicatum supponit disjunctive*. Sic propositio : « *Petrus est homo*, » huic adaequat : *Petrus est aliquis homo*, seu *aliquod ex objectis*, ad quae

se extendit homo, identificatur cum Petro. — Attamen ab hac regula excipiuntur definitiones; excipitur etiam *casus quo praedicatum est terminus singularis*.

40. 2. *Vel modalis, vel non-modalis, seu de inesse :* a) Prior explicat modum quo praedicatum inest aut non inest subjecto. Hi modi immediate *copulam* afficiunt, quare istae propositiones dicuntur etiam *complexae in forma*. — b) Posterior non explicat hunc modum. — Observandum est non agi de propositionibus in quibus praedicatum afficitur modo; v. g.: « Petrus est diligens philosophus; » de his dicetur n. 43.

Quatuor sunt modi secundum quos praedicatum inesse potest subjecto : a) *Necessarius*, si praedicatum non potest non inesse subjecto; v. g.: homo est necessario risibilis. — b) *Impossibilis*, si praedicatum non potest inesse subjecto; v. g. impossibile est hominem esse lapidem. — c) *Mere possibilis*, quando res potest esse, licet non sit; v. g.: possibile est bovem esse alatum. — d) *Contingens*, si praedicatum inest quidem subjecto, at potuisse non inesse ei; v. g.: Petrus contingenter est philosophus.

Propositio quae modificatur per unum ex his modis vocatur *dictum*. Dictum autem potest proferri, vel per indicativum, addendo modum adverbialiter, v. g.: homo est *necessario* risibilis; vel per infinitivum, addendo modum nominaliter, v. g.: *necesse* est hominem esse risibilem. — Propositiones habent eundem sensum, sive modus adverbialiter proferatur, sive nominaliter. Excipitur tamen modus contingens; sic idem non est: « Petrus currit contingenter, » et « contingens est Petrum currere; » prima enim propositio asserit Petrum actu currere, secunda hoc non asserit.

II. PARTITIO PROPOSITIONUM RATIONE QUANTITATIS.

Ratione quantitatis propositio est vel *singularis*, vel *collectiva*, vel *universalis*, vel *particularis*, vel *indefinita*.

41. 1. *Singularis* est, si subjectum est terminus *singularis*, seu supponit *pro uno individuo determinato*, et proinde si res affirmata se extendit ad unum tantummodo individuum; v. g.: Socrates est homo.

2. *Collectiva* est, si subjectum supponit pro inferioribus *collective sumptis*; h. e. si praedicatum convenit iis simul sumptis; v. g.: omnes sensus externi hominis sunt quinque.

3. *Universalis* est, si subjectum supponit pro omnibus inferioribus *distributive*, seu si praedicatum convenit singulis inferioribus termini communis. Tale subjectum notatur signo syncategorematico universalis: omnia, nulla, etc.

4. *Particularis* est, si subjectum supponit pro aliquo ex inferioribus eoque indeterminato; h. e. si praedicatum convenit aliqui ex inferioribus, eique indeterminato. Tale subjectum afficitur signo syncategorematico particulari, qualia sunt: aliquid, quoddam, unum, multa.

5. *Indefinita* est seu indeterminata, si non exprimitur quomodo subjectum supponat, utrum *particulariter* an *distributive*; h. e. si non exprimitur utrum praedicatum conveniat singulis inferioribus, an uni indeterminato; tale subjectum nullo signo syncategorematico afficitur.

Universalitas propositionis est triplex :

a) *Metaphysica*, si praedicatum singulis inferioribus vi essentiae suae ita convenit, ut nulla exceptio haberi possit, v. g.: *omnis circulus est rotundus*.

b) *Physica*, si, attentis legibus physicis, praedicatum convenit omnibus inferioribus, ita tamen ut possibilis sit exceptio; v. g. *ignis comburit*.

c) *Moralis*, si, attentis legibus moralibus, ut plurimum praedicatum convenit subjecto, ita tamen ut non desint exceptions; v. g.: *matres diligunt natos suos*.

42. OBSERVA. 1. Saepe adhibetur subjectum nullo signo syncategorematico affectum; materia de qua agitur determinat utrum subjectum propositionis supponat distributive, collective, particulariter, etc. Sic in his propositionibus « homo est mortal is, » homo supponit distributive; « homo est dolosus, » homo supponit particulariter; « milites vincent hostes, » milites supponit collective.

2. In omni propositione universalis, sive affirmativa sive negativa, subjectum supponit distributive. — Praedicatum supponit particulariter in propositione affirmativa; distributive vero in propositione negativa.

Quae sequentibus exemplis illustrantur : Sint propositiones ; *Omnis homo est animal.* — *Nullus homo est lapis* (*homo non est lapis*). — *Propositio* : « *omnis homo est animal*, » affirmat de singulis inferioribus hominis, nempe de Petro, de Paulo... singulos esse *unum ex animalibus*. — *Propositio* : « *Nullus homo est lapis* » affirmat de singulis inferioribus hominis esse neganda singula ex inferioribus lapidis.

III. PARTITIO PROPOSITIONUM RATIONE MATERIAE.

43. Materia propositionis est res per subjectum et praedictum significata. — Ratione autem materiae propositio est vel *simplex* vel *composita*.

1. **PROPOSITIO SIMPLEX** affirmat vel negat rem unam ; tales sunt : *Deus est bonus*; homines sunt mortales. — Est *absoluta seu categorica*, vel *hypothetica*.

A. **Propositio categorica** rem unam affirmat *absolute*, seu independenter ab olla conditione. — Aliae propositiones sunt *aperte seu simpliciter categoricae*, quando nempe manifeste affirmant vel negant rem unam; aliae vero *occulte categoricae*, seu *apparenter compositae*, realiter vero categoricae.

Occulte categorica praesertim triplex distinguitur :

1. *Conjunctiva* : negat simultaneitatem duorum, h. e. affirmat duo vel plura simul esse non posse, v. g. : *nemo est simul justus et injustus*.

2. *Relativa* : affirmat relationem convenientiae duorum a) sive in *qualitate*, v. gr. *qualis pater, talis filius*; b) sive in *quantitate*, v. g. : *tot sententiae quot capita*; γ) sive in *loco*, v. g. : *ubi ego sum, et tu eris*; δ) sive in *tempore* v. g. : *Christus eodem tempore vixit ac Tiberius*.

3. *Complexa*, seu cuius subjectum vel praedicatum vel utrumque constat terminis *complexis*, v. g. : *Deus bonus est diligendus*. — *Propositio ista* aequivalet duabus propositionibus, principali nempe et incidenti. Incidens propositio est vel *restrictiva*, v. g. : *homo justus placet Deo*; vel *explicativa* ut supra : *Deus, etc.*

OBSERVA. a) *Propositio complexa* opponitur propositioni *incomplexae*, cuius subjectum et praedicatum constant terminis

incomplexis. — b) *Propositionem complexam esse simplicem* eo constat quod una res affirmatur. — c) *Veritas propositionis principalis modo pendet, modo non pendet a veritate incidentis* ; sic pendet in hac propositione : *Deus, qui est omnipotens, potest creare*; non pendet in hac altera : *Homerus, qui est natus sive Salaminae, sive Athenis, etc. est eximus poeta*.

44. B. *Propositio hypothetica* affirmat unam rem *conditionate*, v. g. : si *Deus non est, nihil esse potest*. — Constat duobus membris : alterum, quod vocatur *antecedens* et *hypothesis*, exprimit conditionem; alterum vero, quod vocatur *consequens* et *thesis*, exprimit conditionatum, h. e. id quod cum conditione connectitur. — Porro propositionem hypotheticam esse simplicem, liquet quia affirmat haberi nexus inter duo; asserit nempe unam affirmationem aut negationem dependere ab altera affirmatione aut negatione.

De propositione hypothetica affirmativa vel negativa, vera vel falsa, quedam notata digna occurunt :

1. *Affirmativa* affirmat haberi dependentiam α) sive inter duas affirmaciones, v. g. si *Deus existit, justi praemio aeterno donabuntur*; β) sive inter duas negationes, v. g. si *Deus non existit, justi praemio aeterno non donabuntur*; γ) sive inter affirmationem et negationem, v. g. si *homo necessario agit, non potest peccare*.

Negativa negat haberi nexus, γ) sive inter duas affirmaciones, v. g. si *dives es, non ideo felix eris*; δ) sive inter duas negationes, v. g. si *non es dives, non ideo non es felix*; ε) sive inter affirmationem et negationem, v. g. si *es pauper non ideo non es felix*.

2. *Propositio hypothetica* est vera, si affiratur nexus qui reapse inter conditionem conditionatumque datur, vel si negatur nexus qui reapse non datur; secus falsa est.

3. Inter id quod ut conditio, et id quod ut conditionatum ponitur, triplex intercedere potest nexus :

a) *Necessarius*, seu talis ut, purificata conditione, *necesse sit poni conditionatum*. Eae propositiones dicuntur *illativae*, semperque sunt verae. Exemplo sit : si *Deus est infinite perfectus, nec fallere nec falli potest*.

b) *Contingens*, seu talis ut conditio *influxum verum* in conditionatum exerceat, ita tamen ut, purificata conditione, *necesse non sit* ponи conditionatum. Talis est : si bene egeris, praemio te afficiam; sin autem, in te animadvertis. Hae propositiones dicuntur *indicativae*: praedicatum afficit subjectum conditionate. Certae dumtaxat sunt eo momento quo eventus sequitur; hinc si propositio affirmat nexus esse antea infallibilem, est falsa; vera est, si indicat conditionem influxum esse exercitaram in conditionatum, vel probabiliter conditionatum ad conditionem esse consecuturum.

c) *Nullus*; tales propositiones dicuntur *de conditione disparate seu impertinente*, semperque sunt falsae. Talis est : si Papa vigilat, Turca dormit. Fieri tamen potest ut otrumque membrum talis propositionis, seorsim ab altero inspectum, verum sit, licet falsa sit ipsa propositio, ob defectum nexus.

45. II. PROPOSITIO COMPOSITA AFFIRMAT VEL NEGAT PLURA. Aliae sunt *aperte compositae*, aliae *occulte*.

A. *Aperte compositae* illae dicuntur quarum structura *manifeste* prae se fert compositionem. — *Triplex* est :

1. *Copulativa*; plura subjecta vel plura praedicata connectit particulis copulativis, *et*, *nec*, etc. quae vel exprimuntur vel subaudiuntur; v. g. pietas, humilitas, modestia gratos nos faciunt Deo et hominibus. — Talis propositio resolvi potest in tot propositiones simplices quot sunt subjecta vel praedicata copulata. Ut vera sit, requiritur ut singulae propositiones in quas resolvitur, verae sint; si una falsa est, propositio copulativa vel negatur, vel dividitur.

2. *Adversativa*; plura subjecta vel praedicata connectit particulis adversativis, *sed*, *at*, etc.; v. g. Petrus non est eximus philosophus, sed candidus vir. — Resolvi potest in plures propositiones simplices, quae singulae verae sint oportet, ut propositio adversativa sit vera.

3. *Causalis*; continet plures propositiones connexas particulis causalibus, *quia*, *quoniam* etc.; seu duo affirmat, unum autem ut causam alterius; v. g. beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Propositio cui adjicitur particula, dicitur *causalis*, altera vocatur *causatum*. — Ut vera sit haec propo-

sito, oportet ut unum reapse sit causa alterius; oportet etiam ut singula quae affirmantur sint vera. Sic ut vera sit propositio : « beatus es quia dives es », oportet ut is ad quem dirigitur propositio, revera sit beatus, ut sit dives, demum ut ideo sit beatus quia est dives. Si vel unum est falsum, propositio simpliciter falsa esse dicenda est.

46. B. Propositiones occulte compositae illae dicuntur quarum structura non manifeste compositionem prae se fert. — Vocantur *exponibiles*, quia indigent expositione; propositiones in quas resolvuntur, dicuntur *exponentes*. Sunt sequentes :

1. *Exclusiva*; cuius subjectum vel praedicatum afficit particula exclusiva, *solum*, *dumtaxat*, etc. — a) Si particula afficit subjectum, significatur praedicatum convenire huic soli subjecto, vel huic soli subjecto non convenire; v. g. solus Deus est infinite perfectus. Talis propositio vocatur *exclusi subjecti*. — b) Si afficit praedicatum, significatur hoc solum praedicatum convenire subjecto, vel hoc solum non convenire subjecto; v. g. avarus solas divitias appetit. Talis propositio vocatur *exclusi praedicati*. — Uti patet, in his propositionibus duo affirmantur : unum haberi et alterum non haberi.

2. *Exceptiva*, cuius subjectum vel praedicatum afficit particula *exceptiva*; v. g. omnia entia, praeter Deum, sunt finita.

3. *Comparativa*, cuius subjectum vel praedicatum afficit particula *comparativa*; v. g. Petrus est doctior quam Paulus; est aeque doctus ac Paulus. — Talis propositio affirmat aut negat : a) praedicatum convenire subjecto; b) ei convenire magis vel minus quam alteri vel aeque ac alteri. — Ad comparativam spectat propositio *superlativa*.

4. *Reduplicativa* et *specificativa*; harum subjectum afficitur particula *reduplicante* seu *geminante*, *quatenus*, *secundum* *quid* etc.; particulam sequitur terminus significans formam quae inest subjecto propositionis reduplicatae seu *geminatae*. Hae particulae significant unum ex his duobus :

a) Vel formam, vocabulo sequenti expressam, esse *causam* seu rationem ob quam praedicatum convenit subjecto; in hoc casu propositio dicitur proprio *reduplicativa*. Talis est : homo qua rationalis est liber, h. e. rationalitas est causa seu ratio ob quam libertas homini competit.

b) Vel cum formam esse *notam* secundum quam praedicatum convenit subjecto; in hoc vero casu propositio dicitur *specificativa*. Talis est: homo qua homo vel qua intellectu praeditus videbit Deum. Notare juvat has propositiones specificativas, sensu reduplicativo, falsas fore.

47. OBSERVA. Ut dictum est n. 33, cum subjectum propositionis est terminos concretus, modo praedicatum convenit subjecto ob formam sub qua suppositum exhibetur, modo ob formam non connotatam. In primo casu subjectum sumitur *formaliter*, in secundo sumitur *materialiter*. Porro:

a) Quando praedicatum convenit subjecto *formaliter*, reduplicari potest suppositum sub eadem forma. Exemplo sit: Medicus sanat. Reduplicatio ita fit: « Medicus qua medicus sanat. »

b) Quando praedicatum convenit subjecto *materialiter* sumpto, reduplicari potest suppositum sub ea forma quae est ratio cur praedicatum conueniat subjecto. — Exemplo sit: « medicus dormit. » Reduplicatio ita fit: « Medicus, qua animal, dormit. »

3. *Disjunctiva propria seu in sensu exclusivo*, connectit ope particulae disjunctivae *vel*, *aut*, etc. plures terminos aut enuntiationes quae nec simul verae nec simul falsae esse possunt, seu quae non admittunt medium. Hinc affirmatio vel negatio unius membra importat negationem vel affirmationem alterius. Talis est: corpus movetur aut quiescit.

48. OBSERVA. a) Ut propositio disjunctiva sit vera, tria requiruntur, a) ut divisio sit adaequata; b) ut plura quae enuntiantur non possint esse simul vera; c) ut non possint esse simul falsa. Hinc falsa est ista propositio: Petrus est vel catholicus vel turca.

b) Propositio disjunctiva, si est vera, resolvi potest in propositionem hypotheticam; sic propositio modo tradita sequentibus adaequat: si corpus non movetur quiescit; si corpus movetur, non quiescit; si non quiescit, movetur; si quiescit, non movetur. — Vicissim tamen hypothetica non semper in disjunctivam resolvitur; sic vera est haec: « si paries est albus, non est niger »; ista autem falsa esset: « Paries vel albus est vel niger. »

c) Propositionem disjunctivam esse compositam, eo patet

quod affirmatur tum utrumque membrum simul verum esse non posse, tum alterutrum esse verum.

d) Praeter propositionem disjunctivam propriam, habetur *disjunctiva impropria seu in sensu praecisivo*; dicitur illa qua affirmatur unum saltem membrum disjunctivae admitti debere, altero sive negato sive concesso, v. g. vel Petrus vel Paulus mortuus est. Talis propositio est realiter simplex.

§ 3. *De oppositione propositionum.*

49. I. DE OPPONITIONE PROPOSITIONUM SIMPLICIUM NON MODALIUM ET ABSOLUTARUM.

Duae propositiones possunt habere:

1. *Diversum subjectum*, praedicatum vero sive diversum sive idem. Sic: omnis homo est risibilis; nullus equus est risibilis. Dicuntur disparatae, et de his non agitur.

2. *Idem subjectum et diversum praedicatum*.

3. *Idem subjectum et idem praedicatum*. Ulterius a) unius propositionis copula potest affici negatione, alterius vero non affici negatione; b) ejusdem subjecti diversa potest esse quantitas seu extensio; c) utrumque simul haberri potest. — Tales vero propositiones sunt *oppositae*. His positis:

Opposito est duarum propositionum, habentium idem praedicatum et idem subjectum, differentia secundum quantitatem, vel secundum qualitatem, vel secundum utramque. — Quare oppositio propositionum est triplex:

4. *Secundum solam quantitatem*, quando videlicet idem subjectum diverso signo syncategorematico afficitur, v. g. *omnis homo est justus*, *aliquis homo est justus*. — Opposito vocatur *subalterna*; eodem nomine appellantur propositiones inter quas viget. Hae simul verae esse possunt, ideoque non sunt repugnantes; simul etiam falsae esse possunt. Sic simul falsae sunt: *omnis homo est brutum*; *aliquis homo est brutum*.

OBSERVA. Propositio: *nullus homo est justus*, huic aequivalit: *omnis homo est injustus*; hinc *subalterna* erit: *aliquis homo est injustus*.

2. Secundum *sciam qualitatem*, cum una propositio est affirmativa, altera negativa; ulterius, utriusque subjectum erit :

a) Vel *singulare*, v. g. Petrus est justus, Petrus non est justus. Haec oppositio vocatur *contradictoria*; propositiones contradictorie oppositae sunt *repugnantes*: simul enim verae esse non possunt; insuper simul falsae esse non possunt.

b) Vel *particulare*, v. g. aliquis homo est justus; aliquis homo non est justus. Haec oppositio vocatur *subcontraria*. Utraque propositio vera esse potest, utraque non potest esse falsa. Si enim falsum est aliquem hominem esse justum, seu si praedicatum non convenit alicui parti indeterminatae extensis subjecti, sequitur nullum hominem esse justum. Sed si nullus homo justus est, dici potest: aliquis homo non est justus.

c) Vel *universale*, v. g. omnis homo est justus; nullus homo est justus. — Prior propositio affirmat praedicatum convenire inferioribus distributive sumptis termini communis « omnis homo »; posterior negat omne id quod prior affirmat, proinde asserit nullum hominem esse justum. — Haec oppositio vocatur *contraria*; propositiones sunt *repugnantes*, utraque enim vera esse non potest. Sed utraque falsa esse potest.

OBSERVA: Cum propositio collectiva aequiparari possit propositioni singulari, non est cur hic speciatim attendatur.

3. Tum secundum *quantitatem*, tum secundum *qualitatem*, v. g. omnis homo est justus; aliquis homo non est justus. Haec oppositio vocatur *contradictoria*. Propositiones inter quas viget neque simul verae neque simul falsae esse possunt.

Exempla harum propositionum exhibet sequens schema :

Omnis homo est justus. CONTRARIAE Nullus homo est justus.



Aliquis homo est justus. SUBCONTRARIAE Aliquis homo non est justus.

Ex praedictis colliges has leges :

1. In propositionibus contradictoriis una tantum affirmat aut negat, quantum opus est ut altera sit falsa; v. g. omnes homines sunt justi; aliquis homo non est justus.

2. In propositionibus contrariis una plus affirmat aut negat, quam opus est ut altera sit falsa; sic contrariae sunt : « omnes homines sunt philosophi » et « nullus homo est philosophus. »

50. II. DE OPPOSITIONE PROPOSITIONUM COMPOSITARUM.

1. Duabus regulis, quae modo traditae sunt, cernitur quaenam propositio contradictorie et quaenam contrarie opponatur propositioni compositae. Ceterum facilitatis gratia resolvi possunt propositiones compositae in simplices.

Sit propositio : Petrus et Paulus sunt docti et justi. — Propositio contradictoria erit : vel Petrus vel Paulus non est doctus vel non est justus. Contrariae erunt : a) Vel Petrus, vel Paulus non est doctus nec justus; b) Petrus et Pauli non sunt docti vel non sunt justi; c) nec Petrus nec Paulus neque docti sunt neque justi.

2. Quando subjectum et praedicatum sunt termini complexi, tot sunt propositiones oppositae quot fieri possunt combinationes diversarum quantitatum subjecti cum formis praedicati.

— Exemplo sit : « Omnis homo et omne bratum vegetat et sentit. » Subjectum sequentes formas accipere potest : a) aliquis homo vel aliquid bratum; b) aliquis homo et aliquid bratum; c) omnis homo et aliquid bratum; d) aliquis homo et omne bratum; e) omnis homo et omne bratum. — Praedicatum esse potest : a) vel vegetans vel sentiens; b) vegetans sed non sentiens; c) non vegetans sed sentiens; d) nec vegetans nec sentiens. — Hinc orientur viginti propositiones. Quae minimum negat, erit contradictorie opposita, nempe : « vel aliquis homo, vel aliquid bratum non est vegetans vel non est sentiens. » Ceterae erunt contrarie oppositae. Maxime erit contraria : « nullum bratum et nullus homo nec vegetans est nec sentiens. »

3. Exemplo sit sequens schema :

Petrus et Paulus sunt docti.	CONTRARIAE	Nec Petrus nec Paulus sunt docti.
Vel Petrus vel Paulus est doctus.	SUBCONTRARIAE	Vel Petrus vel Paulus non est doctus.
	CONTRA DICT.	

51. III. DE OPPOSITIONE PROPOSITIONUM MODALIUM.

1. Ut propositioni modali contradicatur, *sola qualitas modi mutanda est*. Sic contradictoria istius : *necesse est hominem esse risibilem*, sic effertur : *necesse non est hominem* etc.

2. Modus *impossibilis* opponitur : a) *contradicторie modo possibili*; nam inter hos non datur medium; b) *contrarie*, modo *necessario* et modo *contingenti*; nam datur medium inter modum *impossibilem* et *necessarium*, inter *impossibilem* et *contingentem*. Licet enim idem non possit esse *impossibile* et *necessarium*, potest tamen esse simul neque *impossibile* neque *necessarium*, sed *contingens*; pariter idem potest esse nec *impossibile* nec *contingens*, sed *necessarium*.

3. Sit sequens schema :

Necesse est esse.	CONTRARIA	Impossibile est esse.
Possible est esse.	SUBCONTRARIA	Possible est non esse, contingens est esse.
	CONTRA DICT.	

De oppositione modalium haec addidisse sufficiat :

- a) Subalternarum alia est quantitas; possunt esse a) simul verae; b) simul falsae; c) altera vera, altera autem falsa.
- b) Subcontrariae sunt particulares, aliamque habent qualitatem; possunt esse simul verae, sed non simul falsae.

§ 4. De aequipollentia propositionum.

52. Aequipollentia est duarum propositionum *aequivalentia in significando*. — Obtinetur propositio quae sit aequipollens alteri, utendo particula « non », et eam adjiciendo propositioni contradictoriae, contrariae, subalternae.

Regula fundamentalis est quod particula « non » est *mali-gantis naturae*, h. e. invertit et mutat quantitatem et qualitatem quibus praeponitur. Quantitati enim universalis praeposita, eam in particularem mutat; qualitati affirmativae praeposita, eam in negativam mutat.

Sit igitur propositio : *Omnis homo currit*; hujus contradictoria est : *aliquis homo non currit*; contraria : *nullus homo currit*; subalterna : *aliquis homo currit*.

Considerentur successive duae propositiones contradictoriae, duae contrariae, duae subalternantes.

a) Utraque ex duabus contradictoriis habet tamquam aequipollentem, alteram contradictoriam, negatione praeposita toti huic propositioni. — Sint propositiones contradictoriae : *Omnis homo currit*; *aliquis homo non currit*. Aequipollens prioris erit : *nullus homo non currit*; (h. e. *nullus est homo qui non currat*). Aequipollens alterius : *non omnis homo currit*.

b) Utraque ex duabus propositionibus contrariis habet tamquam aequipollentem, alteram contrariam, praeposita negatione soli ejus copulae. — Sint propositiones contrariae : *Omnis homo currit*; *nullus homo currit*. Aequipollens prioris erit : *nullus homo non currit* (h. e. *nullus est homo qui non currat*). Aequipollens posterioris erit : *omnis homo non currit* (h. e. *non currere praedicatur de singulis hominibus*).

c) Utraque ex duabus propositionibus subalternis habet tam-

quam aequipollentem, alteram subalternam, particula *non* praemissa tum toti propositioni, tum copulae. — Sint propositiones : Omnis homo currit; aliquis homo currit. Aequivalet priori : non aliquis homo non currit (h. e. non est aliquis ex hominibus qui non currat). Aequivalet posteriori : non omnis homo non currit (h. e. non currere non praedicatur de omni homine).

Triplex haec regula sequenti versiculo exprimitur :

Prae contradict. post contra, prae postque subalter.

53. Ex praefactis cernitur quamlibet universalem propositionem habere tres propositiones aequipollentes. Ut habeantur, efformatur ejus contradictoria, contraria, subalterna et servantur praedictae regulae. Nimurum : a) ejus contradictoriae praeponatur negatio. Sic ad praepositionem « *omnis homo moritur* », contradictorie opponitur « *aliquis homo non moritur* »; huic praeponatur particula malignantis naturae, et dicatur « *non* *aliquis homo non moritur* »; quae propositio aequipollethuic : « *omnis homo moritur*. » — b) Propositione contraria considerata, postponatur « *non* » subjecto ejus ita ut soli copulae praeponatur. Sic ad « *omnis homo moritur* » contrarie opponitur « *nullus homo moritur* »; dicatur « *nullus homo non moritur* »; haec aequipollethi : « *omnis homo moritur*. » — c) Propositione subalterna considerata, praeponatur negatio tum toti propositioni, tum copulae. Sic ad « *omnis homo moritur* », subalterne opponitur : « *Aliquis homo moritur* »; dicatur : « *non* *aliquis homo non moritur* » et habetur aequipollens.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE MÉXICO INSTITUTO NACIONAL DE BIBLIOTECAS § 5. De conversione propositionum.

54. 1. Quid est? Conversio seu reciprocatio propositionum est *commutatio extremorum propositionis, servata qualitate et veritate*. — Definitur etiam : unius propositionis ad alteram per extremorum transpositionem necessaria consequentia. — Ex. gr. Scientia non est virtus, ergo virtus non est scientia.

Propositio cuius extrema commutantur dicitur *conversa*; propositio quae fit ex extremis conversis dicitur *convertens*. — Servare qualitatem est efficere convertentem affirmativam ex

affirmativa, et negativam ex negativa. — Servare veritatem est efficere ex conversa vera convertentem veram.

55. II. QUOTPLEX EST? Conversio triplex est :

1. *Simplex*, seu *in terminis*; est conversio in qua *servatur quantitas*. — Simpliciter convertuntur : a) *universalis negativa* : nullus homo est lapis, ergo nullus lapis est homo; b) *particularis affirmativa* : quidam homo est albus, ergo quoddam album est homo. — Simpliciter *non convertuntur* : a) *universalis affirmativa* : sic data propositione : omnis homo est animal, falsa esset convertens : omne animal est homo; b) *particularis negativa* ; v. g. falsa est haec convertens : quoddam animal non est homo, ergo quidam homo non est animal.

2. *Per accidens*, seu *in parte*; est conversio in qua *mutatur quantitas universalis in particularem*. — Per accidens convertuntur *omnes propositiones universales affirmativae*, et *negativae* : v. g. *omnis homo est animal*, ergo *quoddam animal est homo*; *nullus homo est lapis*, ergo *quidam lapis non est homo*.

OBSERVA. In mutanda quantitate particulari in universale plerumque non servatur veritas. Sic data propositione : quidam homo est albus, falsa esset convertens : ergo *omne album est homo*; quidam homo non est philosophus, ergo *nullus philosophus est homo*.

3. *Per contrapositionem*; est conversio in qua *servatur quantitas et additione negationum ex finitis extremis simpliciter sunt infinita*. — Per contrapositionem convertuntur : a) *universalis affirmativa*, v. g. *omnis homo est animal*, ergo *omne non animal est non homo*; b) *particularis negativa*, v. g. *quoddam animal non est belua*, ergo *quaedam non belua non est non animal*.

56. Istae regulae significantur quatuor hisce versiculis :

Asserit A, negat E, verum generaliter ambae.

Asserit I, negat O, sed particulariter ambae.

Simpliciter fEcl convertitur; EvA per acc(dens);

AstO per contra(positionem); sic fit conversio tota.

Explicatur. Vocalis E significat universalem negativam; A universalem affirmativam; I particularem affirmativam; O particularem negativam. Universalis negativa et particularis affirmativa,

quae reprezentantur per vocem fEcl, convertuntur simpliciter; propositiones reprezentatae per EvA convertuntur per accidens; quae reprezentantur per AstO convertuntur per contrapositionem.

CAPUT III.

DE DIVISIONE.

*ALERE FLAMMAM
VERITATIS*

Circa divisionem quaeruntur tria: Quid sit, quotuplex sit, quibusnam legibus regatur. Quae ut rite perpendantur, praemittendae sunt notiones totius et partis; haec enim sunt elementa conceptus divisionis.

S 1. De toto.

57. QUID EST? Juxta conceptum vulgarem, ut aliquid dici possit *totum*, debet esse unum, constare pluribus quae dicuntur partes totius, habere omnia ea quae natura ejus requirit. — *Totum* definitur: *Id cui nihil deest ex iis quae ad ejus naturam spectant*; sive etiam: *Id quod est unum, completum, habens plura in quae resolvi potest*. Haec plura, quae dicuntur partes totius, sunt inter se aliqua ratione distincta.

II. QUOTUPLEX EST? *Totum* est *actuale* seu *reale*, vel *potentiale* seu *logicum*.

58. A. TOTUM ACTUALE componitur *partibus actu unitis*, seu est *unum, completum, habens plura in comprehensione sua*, de quibus complexive sumptis praedicatur. Sic homo componitur anima et corpore actu unitis; praedicatur non de singulis partibus, sed de his simul sumptis. — *Totum actuale est physicum* seu *reale*, vel *metaphysicum* seu *rationis*.

1. *Totum physicum* est *unum, completum, comprehendens plura realiter distincta, seu independenter ab operatione mentis*. Hae partes dicuntur *physicae*.

Totum physicum est *vel naturale, vel artificiale*. — **a) Artificiale** originem habet *ab ordinatione hominis*; talis est *domus*.

— **b) Naturale** originem habet *a natura*; talis est *homo, consistans ex anima et corpore realiter distinctis et unitis*.

In toto naturali distinguuntur: **a)** *Partes essentiales* quae absolute requiruntur ut ens sit hujus speciei: tales sunt *anima* et *corpus hominis*. — **b)** *Partes integrales*, quae requiruntur ut *totum sit integrum*, seu ut habeat *omnia ea quae postulat habere*; talia sunt *membra corporis humani*. — **c)** *Accidentia absoluta*, *qualia sunt doctrina, virtus, etc.*

2. *Totum metaphysicum seu rationis* est *unum, completum, comprehendens plura non realiter distincta, sed tantum ratione, seu consideratione mentis*. Hae partes dicuntur *metaphysicae*; talia sunt *genus et differentia* quibus ens concipitur constare, v. g. *animalitas*, quae est *genus hominis, rationalitas, quae est differentia*.

Explic. De aliquo ente, puta de angelo, praedicatur *conceptus generis*, puta *substantiae*, et *conceptus differentiae*, puta *spiritualis*; ideo tamen in eo non habetur *entitas distincta*, de qua praedicetur *conceptus generis*, et altera de qua praedicetur *differentia*, sed eadem *entitas prae perfectione sua, aequivalet pluribus perfectionibus, quae seorsim a mente concipiuntur quasi ens his perfectionibus realiter componeretur*.

59. B. TOTUM POTENTIALE est *unum completum habens plura sub extensione sua*, de quibus distributive praedicatur. Est itaque *unum ex quinque universalibus*; nam quidquid ad plura se extendit, vel est *essentia completa*, vel *pars determinabilis essentiae*, vel *pars determinans*, vel *essentialiter connectitur cum essentia*, vel *accidentaliter ei advenit* — Ea ad quae *totum se extendit*, dicuntur **a) inferiora universalis**, **b) partes subjectivae**, seu *subjecta*, quia *nimirum universale de iis ut de subjectis praedicatur*, **c) membra dividentia**. — Universale vero vocatur *totum potentiale* quia concipitur esse in *potentia ad se extendendum ad inferiora et ad praedicari de iis*. — Sic animal sub extensione sua continet hominem et brutum, adeoque animal est *totum potentiale*, homo et brutum sunt *partes subjectivae*; ita etiam homo pro *inferioribus* habet singulos homines.

quae repraesentantur per vocem fEcl, convertuntur simpliciter; propositiones repraesentatae per EvA convertuntur per accidens; quae repraesentantur per AstO convertuntur per contrapositionem.

CAPUT III.

DE DIVISIONE.

*ALERE FLAMMAM
VERITATIS*

Circa divisionem quaeruntur tria: Quid sit, quotuplex sit, quibusnam legibus regatur. Quae ut rite perpendantur, praemittendae sunt notiones totius et partis; haec enim sunt elementa conceptus divisionis.

S 1. De toto.

57. QUID EST? Juxta conceptum vulgarem, ut aliquid dici possit *totum*, debet esse unum, constare pluribus quae dicuntur partes totius, habere omnia ea quae natura ejus requirit. — *Totum* definitur: *Id cui nihil deest ex iis quae ad ejus naturam spectant*; sive etiam: *Id quod est unum, completum, habens plura in quae resolvi potest*. Haec plura, quae dicuntur partes totius, sunt inter se aliqua ratione distincta.

II. QUOTUPLEX EST? *Totum* est *actuale* seu *reale*, vel *potentiale* seu *logicum*.

58. A. TOTUM ACTUALE componitur *partibus actu unitis*, seu est *unum, completum, habens plura in comprehensione sua*, de quibus complexive sumptis praedicatur. Sic homo componitur anima et corpore actu unitis; praedicatur non de singulis partibus, sed de his simul sumptis. — *Totum actuale est physicum* seu *reale*, vel *metaphysicum* seu *rationis*.

1. *Totum physicum* est *unum, completum, comprehendens plura realiter distincta, seu independenter ab operatione mentis*. Hae partes dicuntur *physicae*.

Totum physicum est *vel naturale, vel artificiale*. — **a) Artificiale** originem habet *ab ordinatione hominis*; talis est *domus*.

— **b) Naturale** originem habet *a natura*; talis est *homo, consistans ex anima et corpore realiter distinctis et unitis*.

In toto naturali distinguuntur: **a)** *Partes essentiales* quae absolute requiruntur ut ens sit hujus speciei: tales sunt *anima* et *corpus hominis*. — **b)** *Partes integrales*, quae requiruntur ut *totum sit integrum*, seu ut habeat *omnia ea quae postulat habere*; talia sunt *membra corporis humani*. — **c)** *Accidentia absoluta*, *qualia sunt doctrina, virtus, etc.*

2. *Totum metaphysicum seu rationis* est *unum, completum, comprehendens plura non realiter distincta, sed tantum ratione, seu consideratione mentis*. Hae partes dicuntur *metaphysicae*; talia sunt *genus et differentia* quibus ens concipitur constare, v. g. *animalitas*, quae est *genus hominis, rationalitas, quae est differentia*.

Explic. De aliquo ente, puta de angelo, praedicatur *conceptus generis*, puta *substantiae*, et *conceptus differentiae*, puta *spiritualis*; ideo tamen in eo non habetur *entitas distincta*, de qua praedicetur *conceptus generis*, et altera de qua praedicetur *differentia*, sed eadem *entitas prae perfectione sua, aequivalet pluribus perfectionibus, quae seorsim a mente concipiuntur quasi ens his perfectionibus realiter componeretur*.

59. B. TOTUM POTENTIALE est *unum completum habens plura sub extensione sua*, de quibus distributive praedicatur. Est itaque *unum ex quinque universalibus*; nam quidquid ad plura se extendit, vel est *essentia completa*, vel *pars determinabilis essentiae*, vel *pars determinans*, vel *essentialiter connectitur cum essentia*, vel *accidentaliter ei advenit* — Ea ad quae *totum se extendit*, dicuntur **a) inferiora universalis**, **b) partes subjectivae**, seu *subjecta*, quia *nimirum universale de iis ut de subjectis praedicatur*, **c) membra dividentia**. — Universale vero vocatur *totum potentiale* quia concipitur esse in *potentia ad se extendendum ad inferiora et ad praedicari de iis*. — Sic animal sub extensione sua continet hominem et brutum, adeoque animal est *totum potentiale*, homo et brutum sunt *partes subjectivae*; ita etiam homo pro *inferioribus* habet singulos homines.

§ 2. *De divisione.*

60. I. QUID EST? Est oratio explicans rem per partes, seu distribuens totum in suas partes; dicitur etiam analysis, resolutio totius in suas partes.

II. QUOTPLEX? Divisio est duplex: vocis et rei. — Divisio *vocis* explicat varias significaciones *vocis*; vocatur distinctio. — Divisio *rei* explicat partes *rei* ipsius; duplex est pro duplice toto cuius partes explicat:

1. *Divisio actualis*: dividit *totum actuale* sive in partes physicas, sive in partes metaphysicas.

2. *Divisio potentialis*: dividit *totum potentiale*, seu explicat partes subjectivas. Sic genus dividitur in species.

61. III. LEGES DIVISIONIS. Quatuor dantur praecepta:

1. *Singula membra dividentia minus continent quam divisum*; omnia vero simul sumpta diviso adaequentur. — Non recte igitur dividuntur animalia a) in sensitiva et rationalia, quia omne animal sensu praeditum est; b) in bipedes, quadrupedes et plures habentia pedes: divisum enim latius patet quam membra dividentia simul sumpta; c) in bestiam, hominem, angelum: membra enim latius patent quam divisum.

2. *Quantum fieri potest, divisio totius fiat in partes subjectivas proximas.* — Minus recte corpus vivens dividitur in arborem, fruticem, herbam, bestiam et hominem: haec enim sunt membra dividentia remota corporis viventis; proxima enim sunt animal et planta; animalis partes proximae sunt homo et bestia; plantae vero, arbor, frutex et herba.

3. In dividendo non una tantum pars totius nominetur, ita ut reliquae negatione illius significantur; neque tam multae nominentur, ut longior aequo fiat oratio. — Ratio est quod si primum fit, totum non resolvitur in veras partes, negatio enim non est membrum totius; si alterum fit, deficit perspicuitas.

Attamen ob tres causas, res dividitur in unam partem ejusque negationem: a) Ut fiat divisio necessaria et quae negari non possit. b) Quia reliquae partes sola negatione enuntiari possunt. Ob hanc rationem substantia dividitur in corpoream et

incorpoream, animal in rationale et irrationale. c) Si partes immediatae sunt plures quam ut orationis claritas earum enumerationem ferre possit: v. g. colorum quidam est candor, quidam nigror, ceteri sunt medii inter hos.

4. Membra dividentia si non re, certe ratione sint opposita, h. e. nullum ex his in alio includatur. — Igitur corpus humanum vitiouse dividitur in caput, oculos, manus, digitos, etc.; viventia in plantas, animalia, hominem; animalia in natantia et alba, vel in urbana et sylvana.

CAPUT IV.

DE DEFINITIONE.

Inquiritur 1. Quid sit definitio? 2. Quotplex sit? 3. Quibusnam legibus subjiciatur? 4. Quibusnam viis investigetur?

62. I. Quid sit? Definitio, seu finitio, nomen accepit a finibus qui agros circumscribunt aliasque ab aliis secernunt. Est oratio quae *rei essentiam* seu *quidditatem aliquatenus declarat*; per eam respondeatur quaerenti: quid sit? Id cuius quidditas explicatur, vocatur *definitum*.

Distinguitur *definitum propinquum* et *remotum*: *Propinquum* est illud quod proxime explicatur definitione; *remotum* remote explicatur et aliquatenus in propinquuo continetur; sic cum equus definitur animal hinniens, equus est *definitum propinquum*, *Bucephalus* est *remotum*.

II. QUOTPLEX SIT? Definitio est duplex; *nominalis* et *realis*. Quando enim quis interrogat v. g. *quid sit homo*, duo casus reperiiri possunt: vel calleat quidem Petrum et Paulum eamdem naturam participare seu ex corpore et ex anima constare, at forte nescit ea omnia, quae sunt animalia rationalia, dici homines, quaeritque ejus vocabuli significacionem, seu quaerit de quibusnam objectis dicatur; hoc autem perinde est ac inquirere definitionem nominalem hominis. — E contra fieri potest ut

eum non lateat Petrum et Paulum vocari homines, sed penitus eum aufugit quomodo natura, hoc vocabulo indigitata, a ceteris naturis, puta a brutis, a plantis, a mineralibus distinguatur, quaeritque hoc edoceri. Illud autem idem est ac inquirere definitionem realem rei. Igitur :

63. A. Definitio nominis est oratio declarans *nominis naturam* seu significationem.

Significatio nominis declarari potest multiplici modo : a) per *nomen alterius linguae*. Sic quaerenti quid sit Kyrie eleison, responderetur : Domine miserere nobis. b) Per *synonymen*; sic gladius definitur ensis. c) *Etymologice*; sic philosophia definitur amor sapientiae. d) Declarando seu aliquatenus *definiendo rem* ita ut simul tradatur definitio realis.

64. B. Definitio realis est oratio qua aliquatenus declaratur *quid sit res pro qua nomen supponit*. — Duplex est : *descriptiva* et *essentialis*. — Etenim interroganti quid sit res per vocabulum significata, responderi potest vel tradendo partes quibus essentialiter constituitur, et datur definitio *essentialis*; vel tradendo *complexum* quemlibet notarum qui nonnisi huic rei convenire potest, et datur definitio *descriptiva*. Igitur :

1. *Definitio essentialis* est oratio *enumerans notas quae essentiam rei constituant, eamque in certa specie collocant*. — Notandum est non tantum inquiri definitionem rerum naturalium vel eorum accidentium, sed eodem pacto inquiri definitionem singularum notarum quibus aliqua res constare concipitur. In hoc processu deveniendum est ad notas quae resolvi nequeunt in alias. Quaerenti quae sit essentia talis notae, responderetur tradendo definitionem *essentialis improprie dictam*. — *Definitio essentialis tripliciter fit* :

a) *Enumerando partes essentiales physicas* easque generi aut transcendentii adjungendo. Sic homo definitur *ens constans anima rationali et corpore organico*.

b) *Enumerando partes metaphysicas essentiales*; quod iterum dupliciter fit : 1) Tradendo *genus proximum et differentiam ultimam*. Sic homo definitur *animal rationale*. Haec definitio apud philosophos est usitatissima. — 2) Tradendo *genus remotum omnesque differentias interjectas*; sic homo definitur *substantia corporata, vivens, sentiens, rationis particeps*.

c) Si essentia est *simplex*, seu unica nota constat, hanc notam declarando, explicando modos secundum quos ista nota inferioribus suis competere potest. Haec autem definitio traditur de ente; ens enim significat essentiam, realitatem, aliquid; duobus autem modis alicui convenit haec nota simplex entis; proprie enim convenit ei quod habet realitatem extra nihilum, minus proprie essentiae praescindendo ab hoc utrum existat necne. Talis definitio vocari solet *essentialis improprie dicta*.

2. *Descriptiva* est oratio quae rem explicat *per genus, aut transcendens, et adjuncta quorum complexus soli definito convenienti*. — Tribus praesertim modis fieri potest :

a) Praeter genus enim vel transcendens, tradi potest *proprietas definiti*. Haec definitio vocatur *propria*; sic homo definitur *animal risibile, vel animal disciplinae capax*.

b) Generi vel transcendentii subjungi possunt *accidentia quorum complexus uni definito competit*; vocatur definitio *accidentalis*. Apud poetas et apud rhetores usitatissima est. Hac Virgilius Polyphemum definit in *Aeneid. III* :

Monstrum horrendum, informe, ingens, cui lumen ademptum.
Trunca manum pini regit et vestigia firmat.

c) Generi vel transcendentii addi possunt causae extrinseciae rei, nempe *efficiens, exemplaris et finalis*. Sic homo definitur *animal a Deo factum, ad imaginem et similitudinem mentis divinae, ut aeterna felicitate perfruatur*.

65. III. LEGES DEFINITIONIS :

1. Quidquid definitur, *definiatur ex notioribus*. — Contra hanc regulam peccant a) qui idem per idem definit; v. g. qui solem definit astrum quod per diem hemispherum nostrum illustrat : talis definitio vocatur *tautologia*; b) qui contrarium per suum contrarium definit; v. g. qui dicunt bonum esse id quod est malo contrarium.

2. *Definitio sit propria definito*; h. e. conveniat *omni et soli definito*, seu reciprocetur cum eo, nec latius nec minus late pateat. — Contra hanc regulam peccant qui hominem definit substantiam rationalem; theologum, eum qui de Deo loquitur; philosophum, qui causas rerum scrutatur. Pariter qui geome-

triā definiunt rationem metiendi terram. Hae enim definitiones non soli definito convenient.

3. Definitio sit brevis, modo tamen sit perspicua.

4. Non sit negativa. Sic enim non explicatur quid res sit. — Excipitur duplex casus : a) Cum conceptus rei definiendae non potest esse distinctivus nisi per negationem, quod obtinet circa attributa divina; b) cum medium non datur inter duo quorum unum positive definitur : sic simplex definitur id quod non est compositum; compositum autem id quod constat partibus.

66. IV. DE VIA INVESTIGANDI DEFINITIONEM ESSENTIALEM.

A. Divisione, seu via descensus, seu analysi. Dividit genus in differentias successivas donec perveniantur ad collectionem notarum quae uni rei definiendae convenient.

Explic. 1. Ut ista methodus applicetur, tria debent esse nota : a) Cognoscenda est res ipsa cuius definitio seu cuius notae essentiales inquiruntur. Sic inquirenti definitionem hominis notum esse supponitur quod homo cognoscat appetatque intellectualiter atque sensibiliter, quod ridere possit et loqui. b) Cognoscendae sunt quaedam aliae res a quibus res definienda secundum essentiam differat. c) Demum cognoscendae sunt categoriae entis, divisiones praedicamenti substantiae et quaedam subdivisiones, pro indeole rerum quarum investigatur essentia.

2. His vero cognitis, assumitur aliquod genus, v. g. substancialia, in quo res definienda (v. g. homo) convenit cum aliis rebus essentialiter diversis, puta brutis. Deinde inspectis differentiis istius generis, puta esse corporeum et esse incorporeum, ea eligatur et generi addatur, quae rei definiendae convenient. Si complexus duarum notarum cum re definienda reciprocatur, habetur ejus definitio; si vero communis est ei aliisque rebus essentialiter ab ea diversis, iterum ex differentiis subsequentibus ea addatur quae a re definienda aliena non est. Tali metodo tamdem perveniendum est ad complexum notarum essentialium qui uni rei definiendae conveniet. Qua definitione habita, confletur et alia ex genere proximo et differentia ultima. — Sic definitur homo : substantia corporea, vivens, sentiens, rationis particeps; vel brevius : animal rationale. — Patet hanc methodum ab universaliori ad minus universalia descendere; quare vocatur *descensiva*. Vocatur *analysis* quia analysis fit rei cuius

essentia inquiritur; per analysis enim istius subjecti videtur quae nam notae ei insint.

67. B. Collectione seu via ascensus seu *synthesi*. Procedit a consideratione individuorum quibus res definienda communis est. Quae methodus supponit notum esse quibusnam individuis convenientia definitio quaesita.

Explie. Quaeratur v. g. quid sit magnanimitas, temperantia, fortitudo. Eorum vitas perpendimus qui apparent esse magnanimi, fortes, temperantes; cernitur quid sit ipsis commune ob quod tali nomine honestantur. Id quod ipsis est commune erit definitio quaesita. — Pariter quaeratur definitio hominis : a Petro, Paulo, Andrea, qui cognoscuntur participare naturam humanam, removentur notae quibus inter se differunt, puta statuae, coloris, indolis, etc.; inter notas communes eae removentur quae fundamentales non sunt, sed rationem sui habent in aliis notis essentiae constitutivis. — Patet talem viam a singulari ascendere ad universale, ideoque merito dici *ascensivam* (1).

CAPUT V.

DE ARGUMENTATIONE.

Postquam partes totius per divisionem illustratae fuerant, postquam omnibus notis inspectis, essentia rei per definitionem circumscripta fuit, reliquum est ut concludatur quid rei convenient et quae nam ex ea fluent consequaria. Hoc autem fit per illationem cuius exterior manifestatio argumentatio dicitur. Quare ultimum caput duobus articulis absolvetur, quorum alterum agit de illatione, alterum de argumentatione.

(1) Investigatio definitionis via descensus non immerito vocaretur *synthesis* quia a magis universalibus (a minus complexis) procedit ad minus universalia (ad complexiora) successive addendo notas ita ut efficiat aliquod totum actuale, quae est notio quaesita. — Investigatio via ascensus merito vocaretur *analysis* quia a minus universalibus (a complexioribus) procedit ad magis universalia, a rebus, quas considerat, auferendo varias notas.

triā definiunt rationem metiendi terram. Hae enim definitiones non soli definito convenient.

3. Definitio sit brevis, modo tamen sit perspicua.

4. Non sit negativa. Sic enim non explicatur quid res sit. — Excipitur duplex casus : a) Cum conceptus rei definiendae non potest esse distinctivus nisi per negationem, quod obtinet circa attributa divina; b) cum medium non datur inter duo quorum unum positive definitur : sic simplex definitur id quod non est compositum; compositum autem id quod constat partibus.

66. IV. DE VIA INVESTIGANDI DEFINITIONEM ESSENTIALEM.

A. Divisione, seu via descensus, seu analysi. Dividit genus in differentias successivas donec perveniantur ad collectionem notarum quae uni rei definiendae convenient.

Explic. 1. Ut ista methodus applicetur, tria debent esse nota : a) Cognoscenda est res ipsa cuius definitio seu cuius notae essentiales inquiruntur. Sic inquirenti definitionem hominis notum esse supponitur quod homo cognoscat appetatque intellectualiter atque sensibiliter, quod ridere possit et loqui. b) Cognoscendae sunt quaedam aliae res a quibus res definienda secundum essentiam differat. c) Demum cognoscendae sunt categoriae entis, divisiones praedicamenti substantiae et quaedam subdivisiones, pro indeole rerum quarum investigatur essentia.

2. His vero cognitis, assumitur aliquod genus, v. g. substancialia, in quo res definienda (v. g. homo) convenit cum aliis rebus essentialiter diversis, puta brutis. Deinde inspectis differentiis istius generis, puta esse corporeum et esse incorporeum, ea eligatur et generi addatur, quae rei definiendae convenient. Si complexus duarum notarum cum re definienda reciprocatur, habetur ejus definitio; si vero communis est ei aliisque rebus essentialiter ab ea diversis, iterum ex differentiis subsequentibus ea addatur quae a re definienda aliena non est. Tali metodo tamdem perveniendum est ad complexum notarum essentialium qui uni rei definiendae conveniet. Qua definitione habita, confletur et alia ex genere proximo et differentia ultima. — Sic definitur homo : substantia corporea, vivens, sentiens, rationis particeps; vel brevius : animal rationale. — Patet hanc methodum ab universaliori ad minus universalia descendere; quare vocatur *descensiva*. Vocatur *analysis* quia analysis fit rei cuius

essentia inquiritur; per analysis enim istius subjecti videtur quae nam notae ei insint.

67. B. Collectione seu via ascensus seu *synthesi*. Procedit a consideratione individuorum quibus res definienda communis est. Quae methodus supponit notum esse quibusnam individuis convenientia definitio quaesita.

Explie. Quaeratur v. g. quid sit magnanimitas, temperantia, fortitudo. Eorum vitas perpendimus qui apparent esse magnanimi, fortes, temperantes; cernitur quid sit ipsis commune ob quod tali nomine honestantur. Id quod ipsis est commune erit definitio quaesita. — Pariter quaeratur definitio hominis : a Petro, Paulo, Andrea, qui cognoscuntur participare naturam humanam, removentur notae quibus inter se differunt, puta statuae, coloris, indolis, etc.; inter notas communes eae removentur quae fundamentales non sunt, sed rationem sui habent in aliis notis essentiae constitutivis. — Patet talem viam a singulari ascendere ad universale, ideoque merito dici *ascensivam* (1).

CAPUT V.

DE ARGUMENTATIONE.

Postquam partes totius per divisionem illustratae fuerant, postquam omnibus notis inspectis, essentia rei per definitionem circumscripta fuit, reliquum est ut concludatur quid rei convenient et quae nam ex ea fluent consequaria. Hoc autem fit per illationem cuius exterior manifestatio argumentatio dicitur. Quare ultimum caput duobus articulis absolvetur, quorum alterum aget de illatione, alterum de argumentatione.

(1) Investigatio definitionis via descensus non immerito vocaretur *synthesis* quia a magis universalibus (a minus complexis) procedit ad minus universalia (ad complexiora) successive addendo notas ita ut efficiat aliquod totum actuale, quae est notio quaesita. — Investigatio via ascensus merito vocaretur *analysis* quia a minus universalibus (a complexioribus) procedit ad magis universalia, a rebus, quas considerat, auferendo varias notas.

ARTICULUS I.

DE ILLATIONE.

Ex. S 1. *De illatione generice considerata.*

potest esse dictum, quod est actus inferendi seu con-

attributa divina : illatio vi vocis, est actus inferendi seu con-

unum positive definito. Definitur : *mentis operatio per quam*

compositum, compone et colligitur.

66. IV. DE VIA INVENTIONIS

A. *Divisione*, seu a. Exemplo sit : « Petrus est homo, ergo

in differentias suarum colligitur « Petrus est animal » vocatur

notarum quae ex quo alterum colligitur « Petrus est homo »

Explic. a) edens; nexus inter utrumque, seu id quo fit ut,

a) Cognoscere, ponendum sit consequens, vocatur *conse-*

tialis. »

69. II. Canones, seu leges praecipuae illationis :

1. *Ex vero nonnisi verum*; h. e. si antecedens est rebus conforme, consequens erit necessario iisdem conforme. Eo enim quod consequentia supponitur adesse, consequens necessario fluit ex antecedente.

2. *Ex falso et falsum et verum*. — Exemplo sit : omne animal est candidum, ergo corvus est candidus. Omne animal est nigrum, ergo corvus est niger.

3. *Ex necessario nonnisi necessarium*. Si enim consequens esset contingens, posset non esse verum; si potest non esse verum, non necessario sequitur ex antecedente necessario vero.

4. *Sub bona consequentia quidquid evertit consequens, evertit antecedens*. — Igitur concessio contradictorio consequentis, concedendum est contradictorium antecedentis. Exemplo sit : omne simplex est intelligens; ergo anima bruti est intelligens.

Illatio duplex est : immediata et mediata.

S 2. De illatione immediata.

70. Illatio est immediata quando, una re posita, statim

apparet aliam ex priori fluere.

Non una est illatio immediata. Praeter illationem enim de qua in conversione propositionum, in aequipollentia, in subordinatione specierum et generum dictum est, de sequentibus illationibus agendum esse ducimus :

I. DE ILLATIONE AB UNA PROPOSITIONE AD EJUS OPPOSITAS.

1. A veritate unius contradictoriae valet illatio ad falsitatem alterius, et e converso.

2. A veritate unius contrariae valet illatio ad falsitatem alterius, non e converso. — Sic valet : « Paries est albus; ergo non est niger. » — Non valet : « Paries non est albus; ergo est niger. »

3. A falsitate unius subcontrariae valet illatio ad veritatem alterius; non e converso. — Sic valet : « Falsum est aliquem hominem esse lapidem, ergo verum est aliquem hominem non esse lapidem. » — Non valet : « Verum est quod aliquis homo est justus; ergo falsum est quod aliquis homo est justus. »

4. Quoad subalternas :

a) A veritate universalis valet illatio ad veritatem particularis subalternae. Sic valet : « omnis homo est mortalis; ergo aliquis homo est mortalis. »

b) A falsitate universalis non valet per se illatio ad falsitatem particularis. — Sic non valet : « Falsum est omnes homines esse doctos; ergo falsum est aliquem hominem esse doctum. »

c) A veritate particularis non valet illatio ad veritatem universalis.

d) A falsitate particularis valet illatio ad falsitatem universalis. — Sic valet : « Falsum est aliquem hominem esse lapidem; ergo falsum est omnes homines esse lapides. »

e) A veritate vel a falsitate alicujus propositionis valet illatio ad veritatem vel ad falsitatem aequipollentium.

71. II. DE ILLATIONE UNIUS SUPPOSITIONIS AD ALIAM.

Quaeritur : 1. De illatione suppositionis distributivae ad particularem aut ad singularem, et particularis ad distributivam. 2. De illatione distributivae ad collectivam et collectivae ad distributivam.

A. A suppositione distributiva ad particularem vel ad singularem.

009723

larem valet illatio tum in propositione affirmativa tum in negativa; h. e. eo quod praedicatum aliquod asseritur vel negatur convenire singulis inferioribus termini communis, recte concluditur illud convenire vel non convenire alicui individuo sive determinato sive indeterminato. V. g. « Omnes homines sunt mortales; ergo Petrus est mortal; ergo aliquis homo est mortal. » « Nullus homo est lapis; ergo Petrus non est lapis. » — A suppositione particulari non valet illatio ad distributivam. Ex eo quod praedicatum convenit vel non convenit alicui parti extensionis termini communis, non recte concluditur illud convenire singulis inferioribus vel nulli inferiori.

B. Si agitur de illatione *suppositionis distributivae ad collectivam*, distinguendae sunt propositiones *affirmativa et negativa*:

1. In propositione affirmativa, a suppositione distributivae ad collectivam valet illatio, h. e. eo quod praedicatum affirmatur singulis inferioribus competere, recte concluditur illud toti collectioni competere. Sic valet: « Singuli homines sunt mortales; ergo totum genus humanum est mortale. »

NOTA. In tali casu praedicatum convenit individuis collectionis, ut sunt res, non vero ut sunt partes totius.

2. In propositionibus negativis, distinctione opus est:

a) A suppositione distributivae ad collectivam valet illatio, quando in nullis inferioribus, ne initialiter quidem, inest praedicatum. Ex. gr. « Nullum ens finitum in se habet rationem sufficientem inceptionis et existentiae sua; ergo tota multitudo, etiamsi supponitur infinita, entium finitorum, in se non habet rationem sufficientem existentiae sua. »

b) Non valet illatio quando praedicatum singulis inferioribus initialiter convenit. Sic non valet: « Singuli ex quinque equis non possunt trahere currum; ergo quinque equi simul non possunt trahere currum. »

C. Si agitur de illatione *suppositionis collectivae ad distributivam*, rursus distinguendae sunt propositiones:

1. In propositionibus affirmativis:

a) A suppositione collectivae ad distributivam non valet illatio quando singulis inferioribus initialiter tantum convenit praedicatum. Sic non valet: « Quinque equi simul trahunt currum; ergo singuli possunt trahere currum. »

b) Valet illatio quando singulis inferioribus convenient totaliter praedicatum, ast in hoc casu individuis singulis competit praedicatum, ut sunt res, non ut sunt partes totius.

2. In propositionibus negativis, a suppositione collectiva ad distributivam:

a) Valet illatio, quando praedicatum deberet convenire individuis collectionis uti sunt partes istius collectionis. Sic valet: « Totus exercitus non potest vincere hostem; ergo singuli milites non possunt vincere. »

b) Non valet illatio quando praedicatum convenient individuis collectionis uti sunt entia. Sic non valet: « Totum genus humanum non est justum; ergo nullus homo est justus. » Nota enim justi afficit homines ut sunt individui, non vero ut sunt membra familiae humanae.

72. III. DE ILLATIONE A POSSIBILITATE AD ESSE, ET VICISSIM.

Ab esse ad posse valet illatio. — Verum a posse ad esse non valet illatio; non enim est, quidquid esse potest.

A non esse ad non posse non valet illatio, plura enim non sunt quae possunt esse. — Sed valet a non posse ad non esse.

A simultaneitate possibilitatis non valet illatio ad possibilitem simultaneitatis. Aliud est enim quod detur simul possiblitas plurium, aliud quod plura possint esse simul; nam ex. g. licet utrumque modo possibile sit, quod quis instanti sequenti vivat et non vivat, non est tamen possibile quod in eodem instanti simul vivat et non vivat.

§ 3. De illatione mediata.

73. Illatio mediata, quae *ratiocinium* dicitur, est operatio mentis per quam, instituta duarum rerum seu duarum *idearum objectivarum* comparatione cum tertia, illarum *identitas* vel *diversitas* cognoscitur. Tertia *idea objectiva*, quacum utraque altera comparatur, vocatur *media*.

Signum cuiusvis illationis, etiam immediatae, a nonnullis *argumentatio* dicitur. Definitur: oratio qua una *propositio ex*

alia educitur. — A plerisque signum solius illationis mediatae vocatur argumentatio; est oratio qua ex argumento explicato altera pars quaestionis concluditur. Quaestio est enuntiatio quae utramque partem contradictionis complectitur. Argumentum est inventum quid ad faciendam fidem, seu medium ad probandum. — Exemplum quaestionis sit: Anima estne perenniter duratura, an finem consecutura? Altera pars contradictionis erit: Anima est immortalis. Medium quo haec propositio demonstratur, vocatur argumentum.

Forma perfecta argumentationis, ad quam ceterae revocantur, est *syllogismus*, de quo fusius est agendum.

ARTICULUS II.

DE SYLLOGISMO.

§ 1. Notio, principia, divisio syllogismi.

74. I. *Notio.* Vi vocis, idem sonat ac computatio, ratiocinatio; derivatur enim a *νοήσις*, conjungere computando vel ratiocinando. — Definitur *oratio* qua duo termini propositionis affirmativa aut negativa comparantur cum uno tertio, et concluditur hos terminos inter se convenire aut non convenire. Tertius cui extremi comparantur, vocatur *medius terminus*.

Patet in definitione syllogismi terminum propositionis, et terminum medium, significare *objectum* pro quo supponunt. Quocirca syllogismus etiam definitur oratio in qua *duae ideae objectivae* comparantur cum una *tertia*, etc...

In syllogismo cuius conclusio est affirmativa, uterque terminus conclusionis cernitur convenire cum eodem termino medio et ex hoc concludit eos terminos convenire inter se. — Innititur principio convenientiae: *Quae sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se.* — Sit propositio: Petrus est risibilis. Comparatur uterque terminus cum « homine »: Petrus est *aliquis homo*; risibilitas autem convenit *omni homini* et proinde huic parti extensionis, qui est Petrus. Unde sic struitur syllogis-

mus: Petrus est homo. Atqui omnis homo est risibilis. Ergo Petrus est risibilis.

In syllogismo cuius conclusio est negativa, unus terminus convenit, alter non convenit cum eodem medio; et quo concluditur hos terminos inter se non convenire. — Innititur principio discrepantiae: « *Si e duobus, unum convenit tertio, alterum non convenit; haec duo inter se non conveniunt.* » — Sit propositio: Petrus non est irrationalis. Comparatur uterque terminus cum tertio, qui erit « *homo* »: Petrus est *aliquis homo*; irrationalitas autem nulli homini convenit et proinde de nulla parte extensionis istius termini praedicari potest. Unde sic struitur syllogismus: Petrus est homo. Atqui nullus homo est irrationalis. Ergo Petrus non est irrationalis.

75. *Terminus medius* stricte talis dicit explicite id quod neutro extremito explicite enuntiatur. Hoc potest contingere duobus modis: a) *Vel terminus medius significat explicite id quod non nisi implicite aliquo extremito continetur*: sic *Deum cognoscere futura libera probator ex infinitate quae implicite est in conceptu Dei*. b) *Vel significat id quod est extrinsecum extremis*: sic *existentia Dei demonstratur ex existentia mundi quae est Deo extrinseca*. — Itaque si terminus, qui *medius locum occupat*, significat *tantum aliis verbis formam sub qua subjectum exhibetur vel quam praedicatum significat*, non est stricte terminus medius, nec fit proprio syllogismus. Exemplo sit: Petrus est animal rationale. Atqui animal rationale est homo. Ergo Petrus est homo. Animal rationale enim et homo dicunt prorsus idem aliis verbis.

76. II. *Elementa.* — I. Ex praefactis patet syllogismum constare tribus propositionibus: Prima affirmat vel negat identitatem prioris conceptus objectivi cum tertio. — Secunda affirmat vel negat identitatem posterioris conceptus objectivi cum eodem tertio. — Tertia affirmat vel negat identitatem prioris conceptus cum posteriore. — Prima et secunda propositiones vocantur *antecedens, praemissae*; tertia propositio, *consequens, conclusiv, illatio*. Manifestum est ista nomina esse *relativa*, ea nempe desumi ex eo quod alia antecedunt, alia vero consequuntur, non modo ordine, sed praesertim cognitione. — Nexus inter praemissas et conclusionem vocatur *consequentia*.

Ex supra dictis perspicuum est in syllogismo dari tres terminos, medium nempe et subjectum praedicatumque conclusionis quae vocantur *extrema*. — Subjectum quidem dicitur *minus extremum*, praedicatum vero *majus extremum*; ideoque ea ex praemissis, quae continent *majus extremum*, vocatur *major*, altera, quae continent *minus extremum* dicitur *minor*. — Attamen in disputationibus major vocatur ea propositio quae primo effertur loco; posterior praemissa vocari solet minor. — Ratio cur praedicatum conclusionis dicatur *majus extremum*, subjectum autem *minus extremum*, est quia praedicatum ex se habet majorem extensionem quam subjectum.

77. OBSERVA I. Quando adest nexus inter antecedens et consequens, conclusio dicitur *recta*; dicitur autem *vera*, quando conformis est rebus. Hinc conclusio recta esse potest nec vera, vera nec recta. Sic recta est et falsa in sequenti: « Omne risibile merito spernitur. Atqui Petrus est risibilis. Ergo Petrus merito spernitur. » — Vera est non autem recta in sequenti: « Aliquis natus Genuae novum mundum detexit. Atqui Christophorus Columbus natus est Genuae. Ergo Christophorus Columbus novum mundum detexit. »

2. Eo quod neutrum extremum cum medio convenit, nihil circa eorum inter se convenientiam vel discrepantiam concludi potest, uti ex regulis syllogismi elucescat.

3. Id quod affirmatur in conclusione, virtualiter asseritur in praemissis, sive conclusio explicat id quod praemissae implice dicunt.

78. III. Divisio syllogismi ratione materiae et formae.

Materia syllogismi alia est *proxima*, alia *remota*: Remota sunt *termini* quibus constat; proxima sunt *propositiones*; ex terminis enim fiunt propositiones, ex his syllogismus.

Forma interna est *consequentia seu nexus*.

Forma externa est *dispositio artificiosa terminorum et propositionum*. — Dispositio terminorum est combinatio extreborum cum medio: dicitur *figura syllogismi*. Dispositio propositionum est combinatio earum inter se secundum quantitatem et secundum qualitatem: dicitur *modus syllogismi*. — Quantitas universalis et quantitas particularis solae attenduntur. Subjectum

vero *singulare* propositionis aequiparatur subjecto *universalis*, siquidem aequa ac universale sumitor secundum totam extensionem suam, praedicatum enim propositionis convenit omni ei quod per subjectum significari potest.

79. A. RATIONE MATERIAE syllogismus dividitur:

1. In *demonstrativum*, *probabilem* et *sophisticum*, prout constat propositionibus necessario seu certo veris, vel probabilibus, vel apparenter veris reapse autem falsis.

2. In *simplicem* et in *compositum*. — Simplex constat *tribus propositionibus simplicibus*, v. g.: « summum bonum est amandum; atqui Deus est summum bonum; ergo. »

Compositus vel constat *pluribus propositionibus*, vel habet majorem quae est *composita et utrumque extremum conclusionis continet*.

Inter syllogismos simplices eminent *expositorius*; ille dicitur qui habet *terminum medium singularem*, sive solus medius singularis sit, sive insuper singularis sit alter extremus, aut imo uterque. Exemplo sit: « Petrus est philosophus; atqui Petrus est filius Pauli; ergo filius Pauli est philosophus. » Tales syllogismi dieuntur *expositorii*, quia rem exponunt, seu quia evidenter concludunt.

80. B. RATIONE FORMAE syllogismus dividitur:

1. In *directum* et *indirectum*. a) Directus concludit *servato naturali ordine terminorum conclusionis*. Talis est: « Omne vitium est fugiendum; atqui luxuria est vitium; ergo luxuria est fugienda. » — b) Indirectus concludit propositionem veram sed inversam, *mutato praedicato in subjectum*, ut v. g.: « Homo est animal; atqui animal est substantia; ergo aliqua substantia est homo. »

OBSERVA. E praefactis praemissis fluebat conclusio: « ergo homo est substantia; » stante autem hac conclusione, major est propositio secundo loco posita. Si haec conclusio universalis convertitur in particularem, loco mutantur praemissae, et conclusio convertens est propositio indirecta.

2. In *quatuor figuris*, quarum singulae, ratione materiae, sedecim modos complectuntur. — Inter sexaginta quatuor formas syllogisticas, dantur quadraginta quinque quae perverse concludunt, et undeviginti rectam habentes conclusionem. Cfr. § 3.

Circa *notionem* syllogismi quaeritur : 1. Quibusnam legibus syllogismus facere debeat satis ut consequentia adsit ; 2. quomodo inveniatur medium. — Circa *divisiones* traditas quaerendum : 3. de figuris et modis syllogismi ; 4. de syllogismis compositis ; 5. de syllogismo demonstrativo ; 6. de sophistico. — De syllogismo probabili agetur in posteriore parte Logicae.

S 2. *De legibus syllogismi.*

81. Ut consequentia adsit h. e. ut, positis praemissis, necesse sit poni consequens, requiritur ut extrema fuerint comparata cum uno eodemque medio, et ut vel ambo cernantur convenire huic medio, vel unum quidem convenire, alterum non convenire. Hoc enim habito, necesse est ut extrema inter se convenient, vel ut non convenient.

Verum subinde exsurgit ulterior quaestio, quanam nempe sint leges quibus syllogismus facere debeat satis ut realiter, non autem apparenter tantum, uni eidemque medio comparata fuerint extrema. — Cui quaestioni respondet octo servandas esse regulas, quarum quatuor priores agunt de terminis, quatuor posteriores de propositionibus.

Pro terminis } Terminus est triplex : major mediusque minorque.
Latius hos quam praemissae conclusio non vult.
Nequaquam medium capiat conclusio fas est.
Aut semel aut iterum medius generaliter esto.

Pro propositionibus } Utraque si praemissa negat, nihil inde sequetur.
Ambe affirmantes nequeunt generare negantem,
Nil sequitur geminis ex particularibus unquam.
Pejorem sequitur semper conclusio partem.

Adverte juvat primam regulam enuntiare ipsam syllogismi essentiam; ceteras explicite proponere id quod implice continetur in prima.

82. Regula 1^a. Tres sunt tantum in syllogismo termini.

Ratiocinium enim triplici idea objectiva constat, syllogismus igitur constat triplici signo ideae, seu triplici termino.

Peccant contra hanc legem qui terminos aequivoscos adhibent; hi enim sunt aequivalenter multiplices, cum diversas ideas objectivas significant. Sic peccat qui dicit : Leo est animal rugiens ; atqui Leo est imperator Graecus ; ergo imperator graecus est animal rugiens. — Peccat etiam qui mutat suppositionem medii, v. g. qui medium in majore supponit distributive, in minori collective; sic enim non fit comparatio utriusque extremiti cum eodem medio. Exemplo sit : Omnes milites (distributive sumpti) sunt impares superando hosti; atqui omnes milites (collective sumpti) sunt totus exercitus; ergo totus exercitus est impar superando hosti.

83. Regula 2^a. Nullus terminus debet universaliter accipi in conclusione quam in praemissis.

Hinc nullus terminus in conclusione distributive supponat, nisi in praemissis distributive supposuerit.

Duplex habetur ratio : a) Conclusio debet contineri in praemissis; sed non continetur nisi servetur regula, nam universale non continentur in particulari. — b) Si termini ampliores fiunt, jam conclusio non pronuntiat convenire inter se ea quae cum medio fuerint comparata; nam nonnisi pars unius ex terminis conclusionis fuit comparata cum termino medio. Igitur cum mutatus fuerit terminus, dantur in syllogismo plures tribus terminis.

Hinc peccant sequentes : Corpus est substantia ; atqui mens non est corpus ; ergo mens non est substantia. Petrus est homo ; atqui Petrus est risibilis ; ergo homo est risibilis. Etenim unum ex extremis supponit distributive in conclusione, particulariter in praemissa.

84. Regula 3^a. Medius terminus nunquam debet inveniri in conclusione.

Patet ex notione syllogismi. — Quare peccat : Petrus est parvus ; atqui Petrus est philosophus ; ergo Petrus est parvus philosophus. Conclusio debet esse : parvus aliquis est philosophus.

85. Regula 4^a. Medius terminus saltem semel in alterutra praemissa sumi debet universaliter seu distributive, imo distributione completa.

Secus enim **bis** terminus medius sumitur pro parte extensis; hinc utrumque extremum comparatur cum parte extensis medii, (*cum* aliqua specie, vel *cum* aliquo individuo), non vero, per se loquendo, cum eadem parte; consequenter haberentur quatuor termini: scilicet duo extrema et medius qui per se pro diversis supponeret in majore et in minore.

Hinc peccant: 1) Homo est animal; atqui equus est animal; ergo equus est homo. In utraque praemissa positiva animal supponit disjunctive; inde sensus majoris est: homo est aliquod animal seu aliqua species animalis; sensus minoris est: equus est aliqua species animalis. — 2) Omne animal fuit in arca Noe; atqui Petrus est animal; ergo Petrus fuit in arca Noe. Termios enim animal in majore distribuit *incomplete*.

Coroll. Ergo in praemissis debet esse saltem unus terminus universalis plus quam in conclusione; nam ex regula secunda, saltem tot termini universales in praemissis sint oportet quam in conclusione; ex regula quarta medius saltem semel sit universalis; ex tertia, medius non redeat in conclusione.

86. Regula 5^a. Ex duabus praemissis negantibus nihil concludi potest.

Sic enim dicitur utrumque extremum non convenire medio; sed hoc integrum relinquit utrum extrema inter se convenient, necne. — Hinc peccat: Homo non est lapis; atqui marmor non est homo; ergo marmor non est lapis.

87. Regula 6^a. Si utraque praemissa est affirmans, conclusio debet affirmare.

Nam quae convenientiunt uni tertio, convenientiunt inter se; utrumque autem extremum pronuntiantur convenienti medio.

88. Regula 7^a. Nihil legitime concludi potest ex duabus praemissis particularibus.

Etenim vel ambae praemissae erunt affirmantes, vel ambae negantes, vel una affirmans altera autem negans. Jamvero in nullo casu valet illatio:

1. Si enim omnes praemissae affirmant, omnes termini sunt particulares: subjecta enim sunt particularia, siquidem propositiones sunt particulares; praedicata sunt particularia, cum propositiones supponantur esse affirmantes. Ergo medius bis sumitur particulariter, contra regulam quartam.

2. Si una est affirmans, altera negans, conclusio debet esse negans, vi principii discrepantiae; in conclusione negante praedicatum supponit distributive; igitur, cum praemissae saltem unum terminum universalem plus quam conclusio habere debeant, consequens est in praemissis duos terminos distributive esse supposituros, quorum unus, vi regulae secundae, erit praedicatum conclusionis in praemissa majore adhibitum. — Jamvero duae propositiones particulares facere nequeunt satis duabus hisce conditionibus; nam utrumque subjectum supponit particulariter; insuper, cum una saltem praemissa debeat esse affirmans, praedicatum ejus particulariter supponit. Itaque non relinquitur locus nisi uni termino universalis.

3. Si ambae praemissae negant, nihil legitime concludi patet ex regula quinta.

Hinc peccant: Aliquis philosophus non fuit impius; atqui alius philosophus fuit atheus; ergo alius atheistus non fuit impius. — Aliquod animal est Petrus; atqui aliud animal est vulpes; ergo Petrus est vulpes.

89. Regula 8^a. Conclusio semper sequitur partem debiliorē, h. e. negativa est, si una praemissa est negativa; particularis est, si una praemissa est particularis.

1. Si enim una praemissa est negativa, unum ex extremis convenient cum medio, alterum non convenient; principium igitur discrepantiae requirit ut extrema inter se non convenient, seu ut conclusio sit negativa.

Hinc peccat: nullum animal est planta; atqui omnis homo est animal; ergo omnis homo est planta.

2. Si una praemissa est particularis, conclusio nequit esse universalis; nam haec conclusio universalis vel affirmativa esset vel negativa; atqui neutrum haberi potest:

a) Conclusio non potest esse universalis affirmativa: nam praemissae deberent continere saltem duos terminos universales; hi autem dari non possunt. Si enim conclusio est affirmativa, praemissae debent esse affirmativae, vi primae partis, et consequenter praedicatum utriusque supponit particulariter. Ex hypothesi una ex praemissis est particularis, et proinde particulariter est ejus subjectum. Unde solum subjectum alterius praemissae potest esse universale.

b) Conclusio non potest esse *universalis negativa*, nam duo extrema essent universalia, unde praemissae continere deberent tres terminos universales; sed hoc dari nequit; una enim ex praemissis affirmativa sit oportet ex regula quinta: ejus igitur praedicatum supponit particulariter; ex hypothesi, una propositio est particularis, particulare igitur est ejus subjectum. Ergo tantum remanet locus duobus terminis universalibus.

Hinc peccat: « Omne corpus est extensum; atqui aliqua substantia est corpus; ergo omnis substantia est extensa. »

§ 3. De variis figuris et modis syllogisticis.

Inquirenda occurunt varia: 1. Quaenam sint diversae figurae, diversique modi. 2. Quinam ex his modis sint utiles et quinam inutiles h. e. perverse concludentes. 3. Utrum hi modi ad unitatem qnamdam redigi possint. 4. Num pro variis modis utilibus praesto sint principia specialia quibus eorum consequentia ultro innoteat. Duo posteriora sequenti paragrapgo tractabuntur.

90. De numero figurarum. — Figurae syllogismorum possibles sunt numero *quatuor*, seu quatuor sunt combinationes diversae medii cum extremis.

IN PRIMA FIGURA medium *subjicitur in majori et praedicatur in minori*. Exemplo sit: omne vitium est turpe; atqui ambitio est vitium; ergo ambitio est turpis.

IN SECUNDA FIGURA medium in utraque praemissa *praedicatur*. Exemplo sit: omne metallum est ductile; atqui nullus lapis est ductilis; ergo nullus lapis est metallum.

IN TERTIA FIGURA medium in utraque praemissa *subjicitur*. Exemplo sit: omnis virtus est amanda; atqui aliqua virtus est laboriosa; ergo aliquid laboriosum est amandum.

Tres priores figurae sequenti versiculo significantur:

Subj. praed. prima; sed altera bis praed.; tertia bis subj.

IN QUARTA FIGURA medium *praedicatur in majore, subjicitur in minore*. Exemplo sit: omnis homo est animal; atqui animal est aliqua substantia; ergo aliqua substantia est homo.

OBSERVA. 1. E praemissis quartae figurae haec etiam conclusio duci potest: « aliquis homo est substantia. » Data autem haec conclusione: a) praemissae transponuntur h. e. quae erat primo major fit minor, quae erat minor fit major; b) quarta figura in primam conversa est.

2. Conclusiones quartae figurae sunt propositiones indirectae; insuper omnes modi istius figurae in idem incident ac modi indirecti primae figurae. Ideo, a scholasticis praetermissa est haec quarta figura.

91. De numero modorum syllogisticorum. — Modo intelligitur dispositio praemissarum inter se secundum universalitatem (cui aequiparatur singularitas) et particularitatem, affirmationem et negationem. Porro quatuor sunt genera propositionum: a) Universalis affirmativa, quae designatur littera A; b) universalis negativa E; c) particularis affirmativa I; d) particularis negativa O. — Itaque in qualibet figura *sedecim modi sunt possibles*; etenim in singulis figuris majori universalis affirmativa A subjungi possunt minores A, E, I, O, quae eadem quatuor minores subjungi possunt majoribus E, I, O; ita ut in singulis figuris sequentes modi occurrant:

AAA; AEE; AII; AOO;
EEE; EAE; EIO; EOO;
III; IAI; IEO; IOO;
OOO; OAO; OEO; OIO.

92. De modis inutilibus in omnibus figuris. — Ex schemate videre est in qualibet figura haberi a) quatuor modos qui constant ex propositionibus pure negantibus; b) quatuor modos constantes ex propositionibus pure particularibus, quarum una est insuper pure negans. Etenim a) majori universalis negativae E subjunguntur successive minores E et O, quae eadem minores junguntur majori partic. negat. O; b) majoribus particularibus I et O junguntur minores I et O. — Quare e quaque figura expungendi sunt septem modi tamquam perverse concludentes et inutiles, nimis a) pure negantes EE, EO, OE, OO; b) pure particulares II, IO, OI, OO. Itaque novem modi in singulis figuris remanent, nimis AAA, AEE, AII, AOO, EAE, EIO,

IAI, IEO, OAO. Ex his autem modis quidam alii e censu utilium exturbandi veniunt; quaeque enim figura speciali legi subjacet.

93. De modis utilibus et de inutilibus in singulis figuris.

IN PRIMA FIGURA (in qua extrema sunt praedicatum majoris et subjectum minoris), regula est :

Sit minor affirmans, major vero generalis.

Etenim : a) minor negativa esse nequit, secus enim conclusio negativa sit oportet, vi regulae octavae; in conclusione negativa praedicatum supponeret distributive, illud autem praedicatum conclusionis, rediens in majore, distributive supponere deberet, vi regulae secundae; ut autem distributive supponat, haec major debet esse negativa; sed nequit vi quintae regulae esse negativa, si minor est negativa. Ergo vetatur ne minor sit negans.

b) Major universalis esse debet, nam terminus medius vi regulae quartae saltem semel distributive supponere debet; jam vero in minore affirmante, in qua medium est praedicatum, supponit disjunctive; requiritur ergo ut in majore, ubi medius est subjectum, supponat distributive seu ut major sit universalis.

Ergo ex prima figura expunguntur : a) Quae majorem particularē habent, nimurū IAI, IEO, OAO. b) Quae minorem negantem habent, nimurū AEE, AOO.

Remanent igitur quatuor modi e sedecim vel e novem posterioribus, nempe AAA, EAE, AII, EIO. His verbis exprimuntur :

BarbArA cElArEnt DarII fErIO.

bAr Omne animal est sensibile;

bA Atqui omnis homo est animal;

rA Ergo omnis homo est sensibilis.

dA Omne animal est sensibile;

rI Atqui aliquis homo est animal;

I Ergo aliquis homo est sensibilis.

94. Dialectici quatuor hisce modis primae figurae addunt quinque modos indirectos, AAI, EAE, AII, AEO, IEO, quorum tres priores habentur per conversionem conclusionum modorum directorum bArbArA cElArEnt dArII. Juxta regulas conversionis, bArbArA convertitur per accidens in particularem affirmati-

eE Nullum animal est lapis;

IA Atqui omnis homo est animal;

rEnt Ergo nullus homo est lapis.

fE Nullum animal est lapis;

rI Atqui aliquis homo est animal;

O Ergo aliquis homo non est lapis.

vam bArAllpton; cElArEnt simpliciter convertitur in cElAntEs, (cElEntEs), dArII simpliciter convertitur in dAbIls. Insuper ex EAE et EIO fiunt per conclusiones indirectas fApEsmO et fRIsEsOmorum; praemissis enim sic loco mutatis, minor negans facta est major negans, quod non vetatur per regulas.

bA Omne animal est sensibile;

rA Atqui omnis homo est animal;

Ip Ergo aliquod sensibile est homo.

dA Omne animal est sensibile;

BI Atqui aliquis homo est animal;

tIs Ergo aliquis sensibilis est homo.

cE Nullum animal est lapis;

1An Atqui omnis homo est animal;

tEs Ergo nullus lapis est homo.

fAp Omne brutum est animal;

Es Atqui nullus homo est brutum;

mO Ergo aliquod animal non est homo.

fRIs Aliquod animal est homo;

Es Atqui nullus lapis est animal;

sO Ergo aliquis homo non est lapis. — (morum).

95. IN SECUNDA FIGURA (in qua extremum majus est subjectum majoris, extremum minus vero subjectum minoris), regula est :

Una negans esto, nec major sit specialis.

Applicatione hujus regulae manifestum est dari quatuor modos utiles hujus figurae, nempe AEE, AOO, EAE, EIO. Qui modi ita significari solent :

cAmEstrEs bArOcO cEsArE fEstInO.

IN TERTIA FIGURA (in qua extremum majus est praedicatum majoris, extremum minus vero praedicatum minoris) regula est :

Sit minor affirmans, conclusio particularis.

Applicatione regulae constat in hac figura deprehendi sex modos utiles : AAI, EAO, IAI, AII, OAO, EIO.

dArAptI fElAptOn dIsAmIs dAtIsI bOcArdO fErIsOn.

IN QUARTA FIGURA (in qua extremum majus est subjectum majoris, extremum minus vero praedicatum minoris), tres habentur leges :

Si major affirmat, (sit) minor generalis.

Si minor affirmat, (sit) conclusio particularis.

Si una praemissarum negat, (sit) major generalis.

Applicatione regularum fit ut in quarta figura dentur quinque

modi utiles qui coincidunt modis indirectis primae figurae : AAI, AEE, EAO, EIO, IAI.

bArAllpton eAlEntEs dImAtIs fEspAmO frEsIsOmOrum.

Cum soli modi directi primae figurae soleant usurpari, supervacaneum foret immorari ceteris figuris.

§ 4. De probatione modorum syllogisticorum.

96. In medio posito syllogismo, qui omnes regulas sartas tectasque servat, adversarius pertinax, aut dialecticorum subtilitatibus parum instructus, consequentiam negare potest. Impresentiarum quaeritur num in promptu sint media quaedam quibus consequentiae bonitas ad apertam lucem adducatur. — Quae quaestio dum solvitur, solvetur et altera, num varii syllogismorum modi ad unum modum reduci queant.

Ad solutionem quaestioneis distinguendi sunt modi perfecti et imperfecti; bonitatem enim consequentiae aliorum modorum alia media demonstrant.

Perfecti sunt quorum consequentia manifestius apparet; tales autem censentur soli quatuor modi directi primae figurae. — Imperfecti ii sunt quorum consequentia non est adeo manifesta, sive quia conclusio est propositio indirecta, sive quia in dispositione terminorum perspicuitas desideratur.

SYLLOGISMI PERFECTI consequentiae bonitas probatur duplice principio : a) *Dictum de omni*, h. e. quod dicitur universim de superiori (v. g. de animali), dicitur de singulis inferioribus (v. g. de specie humana et belluina, de singulis hominibus et brutis). — b) *Dictum de nullo*, h. e. quod negatur universim de superiori, negatur de singulis inferioribus.

Principia allata esse apta ad probandam bonitatem horum modorum, ostenditur *synthetice* seu exemplo adducto. Sit haec argumentatio in *Barbara* : « Omnis virtus est honesta; atqui humilitas est virtus; ergo humilitas est honesta. » Consequentiae bonitas sic probatur : quod dicitur de superiori universaliter, dicitur de quolibet inferiore sub eo contento; sed

universaliter de virtute asseritur quod est honesta; iterum humilitas continetur sub virtute; ergo de humilitate dici debet eam esse honestam. Circa syllogismos in *celarent* et in *ferio* eodem modo applicatur principium « *dictum de nullo* » (1).

OBSERVA. Terminus medius syllogismi perfecti vocatur medius, non tantum quia intellectus eo utitur tanquam instrumento ad conclusionem probandam, sed etiam quia, quoad extensionem, medium sedem occupat inter extrema.

97. MODORUM IMPERFECTORUM consequentia probari potest tum immediate principiis quibusdam propriis, quae videre est passim apud auctores, tum praesertim mediate nempe reducendo eos ad aliquem ex modis perfectis primae figurae.

Reductio duplex est : *ostensiva* seu *conversiva*, est revocatio syllogismi imperfecti ad perfectum; *repressiva* seu *reductio ad impossibile*.

A. *De reductione ostensiva*. Omnes modi imperfecti, exceptis Baroco et Bocardo, ad aliquem modum perfectum reducuntur, ad eum nempe a cuius prima littera ipsi incipiunt; sic *Barallpton* reducitur ad *Barbara*; *Celantes*, *Cesare* et *Camestres*, ad *Celarent*; *Datisi* ad *Darii*. — Modus quo fit *reductio* indicatur his versiculis :

S vult simpliciter verti; P vero per acci;

M vult transponi; C per impossibile duci.

(1) Principio « *dictum de omni* - *dictum de nullo* », probari non potest consequentia syllogismorum secundae et tertiae figurae. In neutra enim figura ista duo deprehenduntur, quod extremum majus sub extensione sua contineat medium, et quod medius habeat sub extensione sua extremum minus. Nam in secunda figura medius de utroque extremo praedicatur; in tercia, utrique extremo subjicitur. Jamvero cum praedicatum sub extensione sua non habeat medium, non praedicatur de omni medio, sed ad summum de aliquo tantum; cum medius sub extensione sua non habeat subjectum, non praedicatur de omni subjecto, sed ad summum de aliquo. Sic homo non praedicatur de omni animali, sed de aliquo tantum; animal vero praedicatur de omni homine. — Propter hanc rationem, isti modi a Philosopho habiti non sunt ut syllogismi perfecti et proprio dicti.

Explic. Singula verba, quibus significantur variis modis syllogismorum, constant tribus saltem syllabis: prima designat maiorem, secunda minorem, tertia conclusionem; consonantes S, P, C. regunt syllabus quas afficiunt, et indicant quid circa propositionem per has syllabus significatam, sit faciendum. Jamvero propositio cuius signum afficit S, est convertenda simpliciter; propositio quam afficit P, convertitur per accidens; propositio quam afficit C (Baroco et Bocardo) per impossibile ducitur, quia ostensive reduci nequit; M vero indicat praemissas esse transponendas. His praestitis, reducta est forma imperfecta ad formam perfectam, quae incipit eadem consonante. — Sie *baralipton* ad *barbara* reducitur, convertendo per accidens conclusionem; *celantes* et *dabiliis* ad *celarent* et ad *darii*, convertendo simpliciter conclusionem; *fapesto* ad *serio* convertendo maiorem per accidens, minoremque simpliciter et praemissas transponendo; *fisebamorum* ad *ferio*, convertendo simpliciter tum maiorem tum minorem et transponendo praemissas; *camestres* ad *celarent*, convertendo simpliciter minorem et conclusionem et transponendo praemissas; *darahti* et *felapton* ad *darii* et ad *ferio*, minorem convertendo per accidens; *datisi* et *ferison* ad *darii* et ad *ferio* convertendo simpliciter minorem; *disamis* ad *darii* convertendo simpliciter maiorem et conclusionem et transponendo praemissas.

Exemplo sit *fapesto*: « omnis homo est animal; atqui nullus equus est homo; ergo aliquod animal non est equus. » Major conversa per accidens, erit: aliquod animal est homo; major simpliciter conversa, est: nullus homo est equus; his praemissis transpositis, exsurgit *ferio*, « nullus homo est equus; atqui aliquod animal est homo; ergo aliquod animal non est equus. »

98. B. De reductione ad impossibile. Fit sequenti modo: Si quis concedit praemissas syllogismi legitimi, consequentiam vero negat, et proinde contendit, stantibus praemissis, conclusionem esse falsam, ejusque contradictoria esse veram: assumuntur haec contradictoria conclusionis; combinatur cum una ex praemissis concessis; exsurgit modus perfectus primae figure cuius *conclusio est contradictoria alterius praemissae*

Regulae reductionis ad impossibile sic exprimuntur:

Prima minorem admit, facit e maiore minorem;
Celantes minor est contrad. min. sede majoris;
Maiorem servat variatque secunda minorem;
Tertia maiorem variat, servatque minorem.

Sensus: Prima figura contradictoriam conclusionis negatae in maiorem adhibet; maiorem concessam in minorem; conclusio est contradictoria minoris concessae. Sic reducuntur modi indirecti primae figurae. Excipitur *Celantes*, quae minorem concessam adhibet pro maiore, contradictoriā conclusionis pro minore, et reducitur ad *Darii*.

Secunda figura servat maiorem, contradictoriā conclusionis adhibet in minorem; conclusio est contradictoria minoris concessae. — Exemplo sit sequens in *Baroco*: « omnis homo est animal; atqui aliquod intellectivum non est animal; ergo aliquod intellectivum non est homo. » Neganti consequentiam opponitur eadem major, cui additur contradictoria conclusionis: « Omnis homo est animal; atqui omne intellectivum est homo; ergo omne intellectivum est animal. » Sic *Baroco* per impossibile reducitur in *Barbara*.

Tertia figura contradictoriam conclusionis adhibet in maiorem, servat minorem; conclusio est contradictoria majoris concessae. — Exemplo sit sequens in *Bocardo*: « Aliquod animal non est homo; atqui omne animal est sensitivum; ergo aliquod sensitivum non est homo. » Habetur sequens in *Barbara*: « Omne sensitivum est homo; atqui omne animal est sensitivum; ergo omne animal est homo. »

OBSERVA. Aristoteles reducit omnes formas ad *Barbara*; scilicet reducit *Darii* et *Ferio* per impossibile ad *Cesare* et ad *Camestres*, assumendo contradictoriā conclusionis in maiorem, maiorem concessam assumendo in minorem, et inferendo in *Cesare* et in *Camestres* conclusionem oppositam minori concessae; *Cesare* autem et *Camestres* reducuntur ostensively ad *Celarent*; *Celarent* reducitur ad *Barbara*, sumendo loco majoris propositionem infinitam aequivalentem. Sit *Celarent*: Nullum rationale est rugiens; atqui omnis homo est rationalis; ergo

Explic. Singula verba, quibus significantur varii modi syllagorum, constant tribus saltem syllabis: prima designat maiorem, secunda minorem, tertia conclusionem; consonantes S, P, C, regunt syllabus quas afficiunt, et indicant quid circa propositionem per has syllabus significatam, sit faciendum. Jamvero propositio cuius signum afficit S, est convertenda simpliciter; propositio quam afficit P, convertitur per accidens; propositio quam afficit C (Baroco et Bocardo) per impossibile ducitur, quia ostensive reduci nequit; M vero indicat praemissas esse transponendas. His praestitis, reducta est forma imperfecta ad formam perfectam, quae incipit eadem consonante. — Sic *baralipton* ad *barbara* reducitur, convertendo per accidens conclusionem; *celanteS* et *dabitiS* ad *celarent* et ad *darii*, convertendo simpliciter conclusionem; *faPeSMo* ad *ferio*, convertendo maiorem per accidens, minoremque simpliciter et praemissas transponendo; *friSeSoMorum* ad *ferio*, convertendo simpliciter tum maiorem tum minorem et transponendo praemissas; *caMeStrEs* ad *celarent*, convertendo simpliciter minorem et conclusionem et transponendo praemissas; *daraPti* et *felaPton* ad *darii* et ad *ferio*, minorem convertendo per accidens; *datiSi* et *feriSen* ad *darii* et ad *ferio* convertendo simpliciter minorem; *diSaMiS* ad *darii* convertendo simpliciter maiorem et conclusionem et transponendo praemissas.

Exemplo sit *faPeSMo*: « omnis homo est animal; atqui nullus equus est homo; ergo aliquod animal non est equus. » Major conversa per accidens, erit: aliquod animal est homo; major simpliciter conversa, est: nullus homo est equus; his praemissis transpositis, exsurgit *ferio*, « nullus homo est equus; atqui aliquod animal est homo; ergo aliquod animal non est equus. »

98. B. De reductione ad impossibile. Fit sequenti modo: Si quis concedit praemissas syllogismi legitimi, consequentiam vero negat, et proinde contendit, stantibus praemissis, conclusionem esse falsam, ejusque contradictoria conclusionis; combinatur cum una ex praemissis concessis; exsurgit modus perfectus primae figurae cuius *conclusio est contradictoria alterius praemissae*

Regulae reductionis ad impossibile sic exprimuntur:

Prima minorem admit, facit e majore minorem;
Celantes minor est contrad. min. sede majoris;
Majorem servat variatque secunda minorem;
Tertia majorem variat, servatque minorem.

Sensus: Prima figura contradictoriam conclusionis negatae in maiorem adhibet; maiorem concessam in minorem; conclusio est contradictoria minoris concessae. Sic reducuntur modi indirecti primae figurae. Excipitur *Celantes*, quae minorem concessam adhibet pro majore, contradictoriā conclusionis pro minore, et reducitur ad *Darii*.

Secunda figura servat majorem, contradictoriā conclusionis adhibet in minorem; conclusio est contradictoria minoris concessae. — Exemplo sit sequens in *Baroco*: « omnis homo est animal; atqui aliquod intellectivum non est animal; ergo aliquod intellectivum non est homo. » Neganti consequentiam opponitur eadem major, cui additur contradictoria conclusionis: « Omnis homo est animal; atqui omne intellectivum est homo; ergo omne intellectivum est animal. » Sic *Baroco* per impossibile reducitur in *Barbara*.

Tertia figura contradictoriam conclusionis adhibet in maiorem, servat minorem; conclusio est contradictoria majoris concessae. — Exemplo sit sequens in *Bocardo*: « Aliquod animal non est homo; atqui omne animal est sensitivum; ergo aliquod sensitivum non est homo. » Habetur sequens in *Barbara*: « Omne sensitivum est homo; atqui omne animal est sensitivum; ergo omne animal est homo. »

Onserra. Aristoteles reducit omnes formas ad *Barbara*; scilicet reducit *Darii* et *Ferio* per impossibile ad *Cesare* et ad *Camestres*, assumendo contradictoriā conclusionis in maiorem, majorem concessam assumendo in minorem, et inferendo in *Cesare* et in *Camestres* conclusionem oppositam minori concessae; *Cesare* autem et *Camestres* reducuntur ostensive ad *Celarent*; *Celarent* reducitur ad *Barbara*, sumendo loco majoris propositionem infinitam aequivalentem. Sit *Celarent*: Nullum rationale est rugiens; atqui omnis homo est rationalis; ergo

nullus homo est rugiens. Sic adducitur in *Barbara* : Omne rationale est non-rugiens; atqui omnis homo est rationalis; ergo omnis homo est non-rugiens.

§ 5. De inventione medii.

Cum propositio syllogistica probanda suscipitur, inveniendum est medium seu argumentum, quo fiat demonstratio. Hic duplex occurrit quaestio : 1. Quomodo aggredienda sit haec inquisitio? 2. E quibus promptuariis seu locis eruenda sint media.

99. I. De ratione investigandi medium. — Cum modi directi primae figurae fere soli usurpentur, de ceteris vix est cur quaeratur. Insuper inter modos directos primae figurae, duo habent conclusiones particulares, duo autem generales; cum propositio particularis sub universalis continetur, sufficiet regulas tradidisse de investigatione mediis propositionis universalis. Sic quaestio restringitur ad *Barbara* et ad *Celarent*.

PRIMA REGULA spectat ad solas propositiones *affirmativas*. — Medium in prima figura medianam sedem occupat praedicatum inter et subjectum conclusionis, h. e. inferius est praedicato conclusionis probandae, superius vero subjecto. Quamobrem ut inveniatur medium, percurrentur ea quae sunt superiora subjecto propositionis probandae, vel ea quae sunt inferiora praedicato hujus propositionis. Si e. g. subjectum propositionis est species, inspecta definitione secundum partes physicas et metaphysicas, inspectis propriis et accidentibus, ascendatur ad genera proxima, subalterna, etc. singulorumque attributa pervolvantur; inter superiora subjecti detegi potest id quod evidenter sub extensione praedicati continetur, cui proinde praedicatum conclusionis convenit. Illud autem erit medium demonstrationis. — Vel e converso a praedicato descendatur ut inter inferiora ejus inveniatur id quod evidenter habet subjectum sub extensione sua. — Prior modus dicitur *ascensus*, posterior *descensus*. — Principium fundamentale istius inquisitionis est quod superiora (genera, species) praedicantur de inferioribus (speciebus, individuis).

Quae ut obvio exemplo applicentur, sit propositio « Petrus

est ens, » demonstranda per terminos medios : « homo, animal, sentiens, vivens organicum, corporeum, substantia, » qui medium sedem occupant inter extrema, adeoque inveniuntur sive ascendendo a subjecto ad praedicatum, sive descendendo a praedicato ad subjectum. — *Via ascensus* sequens series syllogismorum conficitur : Petrus est homo; atqui homo est ens; ergo Petrus est ens. — P. m. Homo est animal; a. animal est ens; e. homo est ens. — P. m. Animal est sentiens; a. sentiens est ens; e. animal est ens. — P. m. Sentiens est vivens organicum; a. vivens organicum est ens; ergo sentiens est ens. — P. m. Vivens organicum est corporeum; atqui corporeum est ens; ergo vivens organicum est ens. — P. m. Corporeum est substantia; a. substantia est ens; e. corporeum est ens. — *Via descensus* hic erit processus : Illud est ens, quod est substantia; atqui Petrus est substantia. Ergo Petrus est ens. — P. m. Illud est substantia quod est corporeum; atqui Petrus est corporeus; e. Petrus est substantia. — P. m. Illud est corporeum quod est vivens organicum; atqui Petrus est vivens organicum; ergo Petrus est corporeus. — P. m. Illud est vivens organicum quod est animal; a. Petrus est animal; e. Petrus est vivens organicum. — P. m. Illud est animal quod est homo; a. Petrus est homo; ergo Petrus est animal.

Porro circa utrumque processum haec animadverte :

a) In processu ascensivo probantur majores; in descensivo probantur minores. — Itaque in processu ascensivo, post primum syllogismum, jam terminus « Petrus » non occurrit: in descensivo servatur usque in finem.

b) Ratio utriusque est quod in processu ascensivo propositio quae demonstranda suscipitur, probatur per id quod proxime quidem convenient subjecto, remote vero praedicato; in descensivo autem conclusio probatur per id quod proxime convenient praedicato, remote autem subjecto.

c) Processus ascensivus vocatur *analyticus*; per eum enim fit analysis successiva subjecti donec perveniantur ad praedicatum, cuius convenientia cum subjecto demonstranda suscipitur. Processus autem descensivus vocatur *syntheticus*; praedicato enim conclusionis successive adduntur notae, donec perveniantur ad complexum notarum subjecti.

OBSERVA. Si agitur de medio probabili, alia excogitari possunt; sic mortem esse bonam, probatur iis quae morti convenient, et quibus inest ratio boni, v. g. quod per mortem emiseriis vitae eripiamur, fruamur Deo, etc. etc.

SECUNDA REGULA spectat ad solas propositiones *negativas*: adducantur pro mediis *ea quae vel repugnant praedicato conclusionis et tamen convenient subjecto, vel repugnant subjecto et convenienti praedicato*. Sic probatur mortem non esse bonam, ex eo quod privat vita contrariatur inclinationi naturae, nos separat ab amicis et a gratis, quae rationem boni prae se ferunt. — Principium fundamentale est quod ea quae superioribus repugnant, etiam inferioribus repugnant.

TERTIA REGULA spectat ad *utrasque propositiones*. — Demonstrari potest propositio affirmativa ab inconvenientibus quae fluenter ex eo quod praedicatum subjecto non conveniret, negativa vero ab inconvenientibus quae scaturirent ex convenientia praedicati cum subjecto.

100. II. De locis mediorum. Vulgo decem numerantur loci e quibus argumenta depromuntur.

1. *A causa* sumitur argumentum ad probandum effectui convenire certum praedicatum. — Sic aedificium esse pulchrum probatur e causa efficiente, h. e. eo quod architectus sit peritus; hominem esse mortalem probatur a causa materiali seu a corpore; eum intelligere ostenditur a causa formali; esse studendum, a causa finali studii.

2. *Ab effectu* sumitur argumentum ad probandum causae convenire praedicatum. — Sic existere Deum probatur ab existentia mundi.

Ad duplum hunc locum spectant axiomata: Posito effectu, ponitur causa; sublata causa, tollitur effectus; qualis causa, talis effectus; causa causae est causa causati.

3. *A subjecto* sumitur medium quo aliquid de accidentibus subjecti probetur. — Sic sanitatem non esse stabilem, probatur eo quod est in subjecto instabili.

4. *Ab adjunctis* accipitur argumentum ad probandum aliquid de eo quod his adjunctis circumdatur. Sic Petrum esse malum probatur eo quod cum malis conversatur.

5. *A contrariis* ad destruendum vel probandum alterum contrarium. Sic probatur haberi noctem eo quod absit lux; virtutem esse amabilem, eo quod vitium sit odibile. — Ad quem locum respiciunt effata: Contrariorum contraria est ratio; opposita non possunt esse simul.

6. *A simili, a pari, a fortiori, a minori*, ad probandum simile, par, minus, majus. Sic Deum opem esse laturum miseris, probatur eo quod tot alias sublevaverit; homines vitam Deo offerre debere, eo quod milites vitam regi profundant.

7. *A nomine*, ad probandum naturam rei. Sic seraphinum ardentius amare Deum, probatur eo quod nomen habet ab ardore (Seraph. hebraice = ardore).

8. *A definitione* subjecti vel praedicati, ad probandum praedicatum convenire subjecto; idem probari potest definitione generis, differentiae, etc. Sic hominem elicere ideas et judicia, probatur ex definitione ejus. — Ad quem locum pertinent principia: Quod affirmatur de definitione, affirmatur de definito; quod convenit generi, convenit speciei; sublato genere, tollitur species; posita specie, ponitur genus.

9. *A divisione*, ad varia probanda. — Sic probatur ex toto pars; v. g. Petrus est homo; ergo rationalis. — Ex omnibus partibus, totum; v. g. Petrus constat ex corpore et ex anima; ergo est homo. — Aliquid probatur esse in toto eo quod sit in una parte; v. g. estis Lovanii, ergo in Belgio.

10. *Ab auctoritate* sive divina sive humana.

§ 6. De syllogismis compositis.

Duplex est species syllogismorum compositorum. Alii pluribus constant propositionibus. Sunt sequentes: *sorites, dilemma, epicherema, polysyllogismus*. — Alii tribus tantum constant propositionibus, sed major est composita, vel utrumque extrellum conclusionis continet. Sunt sequentes: *hypotheticus, disjunctivus, conjunctivus*.

A posterioribus exordium sumimus. De singulis haec tria inquirimus: 1. Quaenam sit notio. — 2. Quibusnam legibus regantur seu quibusnam conditionibus facere debeant satis ut recte concludant. — 3. Quomodo ad syllogismos simplices reducantur.

101. I. Syllogismus conditionalis. A. **Notio.** Est syllogismus cuius major enuntiat propositionem hypotheticam integrum, minor unum ex duobus membris propositionis hypotheticae, et conclusio alterum membrum.

B. **Leges** syllogismi conditionalis sunt diversae pro diversis conditionibus, quibus conditionatum asseritur connexum.

1. Conditionatum potest annecti conditioni *requisitae et sufficienti*. Vocatur *conditio sine qua non*. Talis est in sequenti : si homo justus est, placet Deo. — Tali data conditione, recte concluditur in consequente : a) conditionatum poni vel non poni ex eo quod in minore affirmatur vel negatur conditionem purificari; — b) conditionem purificari vel non purificari ex eo quod in minore affirmatur vel negatur conditionatum poni.

OBSERVA. Talis propositio in ratiocinio afficienda est signo quo indicatur agi de conditione unica. Solet sic efferi : ut homo placeat Deo, requiritur et sufficit ut sit justus.

2. Conditionatum potest dici annecti conditioni *sufficienti, non tamen requisitae*, seu aliter alicui tantum ex conditionibus pluribus, quarum ceterae silentio premuntur, et quibus aequa connecteretur conditionatum. — Talis est : « Si Petrus currit, movetur; » si Petrus enim non curreret sed pacato ambularet, aequa moveretur. — Observandum est asseri solam conditionem sufficientem, quoties aliqua propositio annectit conditionatum conditioni, nulla explicatione adjecta.

Leges sunt sequentes : a) *A conditione, quae in minore asseritur esse purificata, recte concludi potest in consequente ad positionem conditionati*; v. g. si Petrus currit, movetur; atqui currit; ergo movetur.

b) *A non posito conditionato recte concluditur purificatam non esse conditionem*; v. g. Si Petrus currit, movetur; atqui non movetur; ergo non currit. — Pariter concludi posset purificatas non esse ceteras conditions sufficientes, v. g. Petrum non ambulare.

c) *A non purificata conditione perverse concluditur ad non positionem conditionati*, nam purificari fortassis potuerunt conditions aliae praetermissae, quibus aequa contingit alligatum fuisse conditionatum. Sic peccat sequens : si Petrus currit, movetur; atqui non currit; ergo non movetur. Perverse con-

cludi patet, eo quod si Petrus tranquille incedit, movetur, veris interim manentibus praemissis. Insuper patet eo quod habetur *latius hos*; terminus enim *mots* in conclusione supponit distributive, in majori particulariter.

d) *A posito conditionato perverse concluditur purificatam esse conditionem*, nam illud conditionatum poni potuit ob purificatam aliam conditionem, cui etiam annectebatur. Hinc peccat sequens : si Petrus currit, movetur; atqui movetur; ergo currit. Facile detegitur peccari contra regulam quartam : terminus *movetur* supponit bis particulariter.

C. **Syllogismus conditionalis** ad simplicem sequenti modo revocatur : Ille qui currit, movetur; atqui Petrus currit; ergo Petrus movetur. — Qui non movetur, non currit; atqui Petrus non movetur; ergo Petrus non currit.

102. II. De syllogismo disjunctivo. A. **Notio.** Ille est cuius major est propositio disjunctiva, cuius minor affirmat vel negat unum membrum disjunctivae, cuius conclusio negat vel affirmat alterum membrum disjunctivae. — Exemplo sit : Petrus vel movetur, vel quiescit; atqui movetur, ergo non quiescit; vel, atqui non movetur, ergo quiescit; vel, atqui quiescit, ergo non movetur; vel, atqui non quiescit, ergo movetur.

B. **Leges.** Adimplendae sunt conditions quae ad veritatem propositionis disjunctivae requiruntur; has vide n. 48. — Hinc peccat sequens : vel catholicus es, vel Turca; atqui non es catholicus; ergo Turca es.

C. Reducuntur ad syllogismos simplices sequenti modo : Ille qui non movetur, quiescit; vel ille qui non quiescit, movetur; atqui Petrus non movetur, vel atqui Petrus non quiescit; ergo Petrus quiescit, vel ergo Petrus movetur.

OBSERVA. Syllogismus disjunctivus facile ansam praebet sophismati. Hujus exemplum sit : Petrus vel est hilarius vel non est hilarius. Atqui est hilarius. Ergo non est hilarius. Conclusio esse debet : ergo non est non-hilarius.

103. III. De syllogismo conjunctivo. A. **Notio.** Ille est cuius major est propositio conjunctiva (h. e. affirmans duo vel plura simul esse non posse), cuius minor affirmat unum membrum, cuius conclusio negat alterum. Exemplo sit : Petrus non potest

esse simul Lovanii et Romae; atqui Petrus est Lovanii; ergo Petrus non est Romae.

B. LEGES. 1. *A positione unius membra in minore, recte concludit consequens ad negationem alterius.*

2. *A negatione unius membra in minore, perverse concludit consequens ad positionem alterius.* Hinc peccat sequens: Petrus non potest simul esse Lovanii et Romae; atqui Petrus non est Lovanii; ergo Petrus est Romae.

C. Reducitur ad simplicem: Ille qui est Lovanii, non est Romae; atqui Petrus est Lovanii; ergo Petrus non est Romae.

Circa ceteros syllogismos ex propositionibus compositis constitutis, nulla specialis difficultas occurrit; reguntur legibus de quibus dictum est capite secundo; in promptu vero est modus quo ad simplicem syllogismum reducuntur.

104. IV. De sorites. NOTIO. Est syllogismus coacervatus (*Sorpetas, acervalis*) in quo ex pluribus propositionibus gradatim positis devenitur tandem ad conclusionem. — Exemplo sit: Peccatum offendit Deum; quod Deum offendit nos ab eo separat; quod nos a Deo separat summo bono nos privat; quod summo bono nos privat est omnium malorum maximum. Ergo.

Sorites resoluti potest in tot syllogismos quot sunt praemissae, una dempta. Hinc ut recte concludat, requiritur ut singuli syllogismi recte concludant. Ex his nemo non videt quam facile sorites ansam praebeat fallaciis.

105. V. De dilemmate. A. NOTIO. Est syllogismus cuius major est propositio disjunctiva, cuius minor contra adversarium ex utroque membro aliquid concludit, cuius conclusio de toto enuntiat id quod minor de utroque membro enuntiat. Vocatur dilemma, seu bicornis, quia ad instar bipennis utrinque adversarium ferit. Si major habet tria membra, argumentum dicitur trilemma, si quatuor membra habet, dicitur quadrilemma. Exemplo sit: Impius moriendo vel totus perit, vel non; atqui si totus perit, ipsi nulla felicitas est speranda; si non totus perit, felix non erit quem impietas paenas daturus sit. Ergo impio post mortem nulla speranda est felicitas.

B. LEGES. 1. *Inter partes disjunctivae non detur medium.* Hinc peccat dilemma Socratis morituri: In morte vel omnis

sensus admittor, ut in sommo, aut animos ad felicia migrat; atqui si prius, mori expedit, nam suaviter quiescam; si posterius, iterum mori expedit, nam felicius vivam cum Orpheo, Ulysse ceterisque praeclaris viris; ergo mori expedit. — Vitium dilemmatis constat quod habetur medium inter omnem sensum adimi et felicitatem, nempe migratio ad miseriam.

2. *E singulis membris disjunctivae recte inferatur id quod minor infert.*

3. *Non possit retorqueri ab adversario.* Retorquetur autem dum adversarius eamdem majorem adhibet, et utroque membro perstringit ipsum adversarium suum (1).

106. VI. De epicheremate. Est syllogismus cuius major vel minor, vel utraque, alias propositiones, quibus praemissa probentur, continet. Ex. sit: Qui cupid et metuit, beatus non est, cum non tuto habeat quod habet, nec habeat quod vellet; atqui divites cupiunt multa quae non habent, metuunt amittere quae habent; ergo non sunt beati. — Patet quaenam sint leges epicherematis et quomodo ad simplicem syllogismum revocetur.

107. VII. De polysyllogismo seu prosyllogismo. Est argumentatio in qua plures syllogismi inter se ita connectuntur ut prioris syllogismi conclusio fiat praemissa syllogismi sequentis. Ex. sit: substantia cogitans est spiritualis; atqui anima humana est substantia cogitans; ergo anima humana est substantia spiritualis; atqui substantia spiritualis est immortalis; ergo anima humana est immortalis.

Enthymema. Est syllogismus cuius altera praemissa omittitur.

(1) Retorsione exemplum sequens refert Aulu-Gellus: Protagoras, praecceptor Evathli, eum in jure instruxit, ea lege ut alteram pactae mercedis partem tum demum dependeret, cum primam in foro causam vicerit. Sed callidus discipulus, ne ad solvendum adigeretur, delatas ad se causas detrectabat. Illum ergo Protagoras in ius vocavit et contra ipsum hoc adhibuit dilemma: «Vel pro me judices sententiam pronuntiabant, vel pro te: si pro me, mercedem solves ex sententia judicium; si pro te, eamdem solves ex pacto.» Quod ingeniose retorsit Evathlus: «Vel pro me judices sententiam pronuntiabant, vel pro te: si pro me, nihil solvam ex sententia judicium; si pro te, nihil solvam ex pacto.»

§ 7. *De syllogismo demonstrativo.*

108. Praenotanda. 1. Distinguitur prioritas posterioritasque in ordine *logico* et in ordine *ontologico*: a) Illud est altero prius in ordine *logico* seu in ordine *cognitionis* quod est *prius cognitum et est ratio cur cognoscatur alterum*; illud alterum dicitur *posteriorius*. — b) Prius in ordine *ontologico*, seu in ordine *essendi*, *est ratio cur habeatur alterum*, illud alteram dicitur *posteriorius*.

Distinguitur duplex ratio alterius, nimirum *physica* et *metaphysica*. a) Id quod *independenter a mente cogitante* est *ratio cur alterum sit*, dicitur ejus *ratio physica* et *causa*; quod ei respondet est *effectus*. Quatuor haberi genera causarum probabit *Ontologia*. — b) Id quod *concepitur a solo intellectu* ut *ratio cur alterum habeatur*, dicitur ejus *ratio metaphysica* vel *simpliciter ratio*; quod ei respondet dicitur *rationatum*. Sic *essentia entis* est *ratio proprietatum*; concipitur enim ut radix e qua haec pululant. Proprietates ipsae habent *essentiam* et *proprietates suas*. Sic *entis aliqua proprietas* est *bonitas*; *essentia boni* est *convenientia alteri*, *proprietas ejus* est *appetibilitas*.

Id quod est altero prius in ordine *ontologico*, dicitur etiam *prius suppositione seu natura*.

2. Distinguitur *propositio theoretica* et *practica*. Prior enuntiat *quid res sit* vel non sit; posterior enuntiat *quid fieri possit*, *debeat*, *deceat*, vel *contra*.

3. Utraque *propositio* est vel *nota per se*, vel *nota ex alia seu per discursum*. Haec posterior est *objectum demonstrationis*; vocatur *theoremata* si est *theoretica*, *problemata* si est *practica*. — *Propositio nota per se* dicitur *axiomata* si est *theoretica*, *postulatum* si est *practica*; utraque vocatur *primum principium*. Porro de hac nonnulla sunt addenda.

Propositio dicitur *per se nota*, quando, attente inspectis *solis ejus terminis*, *subjecto* nempe et *praedicato*, innoscere potest evidenter *praedicatum convenienter vel non convenienter subjecto*. Talia sunt *principium identitatis*: « *Quod est, est*; » *principium exclusi medii*: « *Quodlibet est, aut non est*; » *principium contradictionis*: « *Nihil potest simul esse et non esse*; » *principium convenientiae et discrepantiae*. — Ut patet, veritas

propositionis per se notae non probatur directe, ope aliquius *medii termini*; attamen fieri potest, etiam per modum *syllogismi, declaratio* talis *propositionis*, quae nonnunquam vocatur *demonstratio improprie dicta*. Sie totum esse majus sua parte, declaratur dicendo: *Totum constat diversis partibus*; atqui *quod constat diversis partibus est majus his singulis partibus*; ergo totum est majus singulis partibus.

Propositio nota per se vocatur *nota per se quoad nos*; opponitur *propositioni notae per se quoad se*, v. g. *Deus existit*, quae est *propositio cuius praedicatum est de essentia subjecti*, licet hoc possit non esse immediate evidens.

109. Definitio. *Demonstratio* est *syllogismus constans ex propositionibus necessario et evidenter veris*. Vel etiam est *argumentatio legitima quae ex certis praemissis certas colligit conclusiones*. — Ex his liquet *propositionem quae demonstratur non esse per se evidenter veram*, sed eam fluere ex *praemissis quae per se sunt evidenter verae seu per se notae*.

110. Species variae. 1. *Demonstratio* est *simplex* vel *composita*: a) *Simplex* constat unico *syllogismo*; datur cum *convenientia medi* cum utroque *extremo propositionis demonstranda*, vel *convenientia cum uno et inconvenientia cum altero*, est *immediate evidens*, seu cum utraque *praemissa est propositio per se nota*. — b) *Composita* pluribus *syllogismis* constat. Datur cum *neutra ex praemissis*, vel cum *altera non est immediate evidens*, sed *demonstranda ope novi medi*.

2. *Demonstratio* est vel *indirecta* vel *directa*:

a) *Indirecta*, quae vocatur etiam *apagogica, ab absurdo*, est *syllogismus demonstrans veritatem propositionis ex falsitate propositionis contradictionis*. — Ex duabus contradictionibus altera *necessario est vera*, altera *necessario falsa*. Igitur qui demonstrat falsitatem unius contradictionis, jure meritoque colligit veritatem alterius. — Patet hanc *demonstrationem inniti principio contradictionis*.

b) *Directa* *demonstratio* est *syllogismus qui veritatem propositionis in se ipsa consideratae demonstrat per terminum medium proprie dictum cuius notio superius fuit exposita*.

OBSERVA. a) *Demonstratio ab absurdo potest esse simplex vel*

composita, prout absurditas est immediate evidens vel non; b) veritas nota per se demonstrari potest ab absurdo.

5. Demonstratio directa est *negativa* aut *positiva*: a) *Negativa* veritatem conclusionis probat defectu rationis suadentis oppositum; v. g. ex silentio auctorum coaeorum probat falsitatem illius quod tamquam factum historicum traducitur. b) *Positiva* adducit argumenta positiva. — *Negativa* accenseri potest indirectae; *positiva* vero directae.

4. Demonstratio positiva est *analytica* vel *synthetica* vel *mixta*, prout ambae praemissae sunt analyticae, aut ambae syntheticae, aut una quidem analyticia, altera vero synthetica.

5. Demonstratio analyticia est *a priori* vel *a posteriori*:

a) Demonstratio *a priori* demonstrat veritatem conclusionis per id quod est *prius in ordine ontologico*, h. e. per causam vel per rationem rei quae in conclusione asseritur. Sic hominem esse mortalem probatur sive per causam materialem et formalem, sive per causam extrinsecam et efficientem, nempe quod obnoxius sit agentibus naturalibus.

b) Demonstratio *a posteriori* demonstrat veritatem conclusionis per id quod est *posteriorius in ordine ontologico*, h. e. per effectum vel per rationatum illius quod in conclusione asseritur. Sic demonstratur existentia Dei per contingentiam rerum et ordinem mundanum. — Demonstratio *a posteriori* demonstrat etiam rem *per signa quaedam*. Si haec signa sunt extrinseca, demonstratio dicitur *extrinseca*, vel *simpliciter probatio*.

6. Demonstratio est *absoluta* vel *relativa*. Prior adhibet praemissas quae ab ipso proponente ut verae admittuntur. Posterior, quae dicitur *ad hominem*, adhibet praemissas ab *adversario pro veris habitas*, ab arguente autem pro falsis.

§ 8. *De syllogismo sophistico.*

111. Syllogismus sophisticus ab Aristotele definitur *qui procedit ex praemissis apparenter quidem veris, re autem falsis, vel videtur concludere et non concludit*. Prius sophisma dicitur ex parte *materiae* et solvitur scientiis quae de singulis materiis tractant. Posterior dicitur ex parte *formae* et Logicae solendum est; solutum autem generatim relinquitur ex regulis

communibus et specialibus syllogismorum; expedit tamen ut praecipua sophismata proponantur.

1. *Ignorantia seu mutatio elenchi*; in eo est quod contra adversarium assumitur probandum *id quod ab eo non negatur, vel mutatur propositio quam ille tuetur*.

2. *Petitio principii*; in eo reponitur quod in arguendo aut in respondendo adhibetur pro medio *id quod erat probandum et quod ab adversario negatur*. — Fit duobus modis: a) pro praemissa sub aliis verbis ponendo conclusionem; b) ponendo praemissam quae rata non habetur, nisi rata habita conclusione. Peteret principium qui probaret Petrum esse filium Pauli, eo quod Paulus est pater Petri. Principium etiam peteret qui animam esse spirituale probare tentaret eo quod est immortalis; immortalitas enim praesupponit spiritualitatem, eique innititur. — Vocatur petitio principii quia adhibetur ipsa propositio quae in principio disputationis proponitur.

3. *Circulus vitiosus*, qui ad petitionem principii revocatur; in eo situs est quod e duobus probandis *primum per secundum probatur, et secundum per primum*. Circulareret qui probaret Deum esse infinitum eo quod pollet vi creandi, eumque vi creandi pollere eo quod sit infinite perfectus.

4. *Fallacia non causae ut causa*; in eo est quod quis tribuit effectum ei *a quo non causatur* et ex hoc varias dedit conclusiones. Quo vitio peccant ii qui tanquam causam rei assumunt: a) *id quod praecedit vel concomitant rem, usurpat principio: « hoc post hoc, vel cum hoc, ergo ex hoc;* » v. g. qui ortu siderum, eclipsibus, cometarum adventui, adscribunt eventus felices vel infelices; b) *id quod est occasio rei*; v. g. qui opera justorum mala esse dicit eo quod mali ex his ad facinora excitantur; c) *id quod est mera conditio requisita ut res sit*; v. g. qui asserit Deum esse causam mali moralis eo quod illud permittit, quae permissio est mera conditio; d) *id quod est commentitum et sine fundamento excogitatum*, v. g. qui ascensum liquidi in tubis vacuis adscribunt horrore vacui rebus indito.

5. *Fallacia accidentis*; in eo est ut affirmetur vel denegetur subjecto convenire *per se*, quod tribuendum vel denegandum ei est *per accidens dumtaxat*. Eo vitio peccat sic arguens: Non cognoscis eam quae latet sub velo; atqui mater tua sub velo

latet; ergo non cognoscis matrem. Cui fallaciae resp.: *Dist. Maj.* eam quae latet sub velo non cognoscis *per accidens*, h. e. dum latet, eam non vides, *Conc.*; non cognoscis *per se*, *Neg.* — In eo etiam est ista fallacia ut affirmetur vel negetur subiecto convenire non posse *per accidens* id quod de eo affirmandum vel negandum est tantummodo *per se*. Eo vitio peccat qui diceret intellectum, eo quod infallibilis est per se, esse infallibilem semper, ita ut etiam *per accidens* errare non possit.

6. Fallacia *a simpliciter ad secundum quid, et e converso.* Praedicari simpliciter est praedicari sine addito, h. e. sine restrictione; praedicari secundum quid est praedicari cum addito. Hac fallacia peccat qui adscribit alieni *secundum quid*, id quod *simpliciter* ei convenit, v. g. qui circa Petrum Paulo braestantiorem, at indoctiorem, sic arguit: Petrus est Paulo superior; ergo est doctior. Cui fallaciae resp. *Dist.* Petrus est *simpliciter* superior Paulo, *Conc.*; *secundum quid*, h. e. secundum doctrinam, *Neg.* — Eo etiam vitio peccat qui adscribit alicui *simpliciter*, id quod competit ei *secundum quid*, v. g. qui dicit: Ecclesia prohibet carnes die veneris; ergo Ecclesia abhorret a carne. Cui fallaciae resp. *Dist. conseq.* Abhorret *simpliciter*, *Neg.*; *secundum quid*, *Conc.*

7. Fallacia *compositionis et divisionis.* — Prior concludit *simul* subiecto convenire posse ea quae *divisim*, h. e. unum post alterum, ei tantum convenire possunt. — Posterior negat *divisim* competere posse ea quae *simul* subiecto convenire non possunt. Exemplo sit: Impossibile est vigilantem esse dormientem; atqui Petrus vigilat; ergo impossibile est ut Petrus dormiat. Cui fallaciae resp.: *Dist. Maj.* impossibile est vigilantem esse dormientem *in sensu composito*, h. e. quandiu componitur cum vigilia, *Conc.*; *in sensu diviso*, *Neg.*

8. Fallacia *a genere ad genus*; in eo reponitur quod ad aliquid probandum assumitur argumentum *ex principiis diversi ordinis*, cui deest cum re probanda connexio. Sic peccat qui concluderet hominem sentire non posse, eo quod angeli sensationem non experiuntur.

LOGICAE PARS POSTERIOR.

CRITICA.

112. Inquisitum est in Dialectica quaenam sint diversae operationes, quibus intellectus investigat causas proximas et ultimas rerum, quaenamque sint leges, quibus hae operationes facere debent satis ut sint conformes naturae mentis nostrae. — Inquirendum jam est num intellectus humanus, secundum predictas normas operans, cum certitudine cognoscere possit res et rerum causas. Ista autem inquisito fit per Logicam materialem. — Nomine *criticae* insignitur, quia circa intellectus operationes *crisis seu examen* instituit, num videlicet objecto suo conformes certo esse possint. Istud examen instituitur eo fine ut contra scepticos certitudo inconcussis fundamentis inniti appareat.

Logica materialis quadripartito dispescetur:

Caput I^m de natura certitudinis tractabit.

Caput II^m de certitudinis existentia.

Caput III^m de fontibus cognitionum certarum.

Caput IV^m de ultimo motivo quo omnis cognitio certa ab incerta infallibiliter dignoscatur.

CAPUT I.

DE NATURA CERTITUDINIS.



REAL DE BIBLIOTECAS

Ut natura certitudinis patescat, quaerendum est ex ordine: 1º quae nam sit certitudinis definitio; 2º quomodo dividatur ratione objecti ad quod possit se extendere; 3º utrum accidentaliter sit una, an multiplex.

— Quibus per modum appendicis quedam de probabilitate addentur.

latet; ergo non cognoscis matrem. Cui fallaciae resp.: *Dist. Maj.* eam quae latet sub velo non cognoscis *per accidens*, h. e. dum latet, eam non vides, *Conc.*; non cognoscis *per se*, *Neg.* — In eo etiam est ista fallacia ut affirmetur vel negetur subiecto convenire non posse *per accidens* id quod de eo affirmandum vel negandum est tantummodo *per se*. Eo vitio peccat qui diceret intellectum, eo quod infallibilis est per se, esse infallibilem semper, ita ut etiam *per accidens* errare non possit.

6. Fallacia *a simpliciter ad secundum quid, et e converso.* Praedicari simpliciter est praedicari sine addito, h. e. sine restrictione; praedicari secundum quid est praedicari cum addito. Hac fallacia peccat qui adscribit alieni *secundum quid*, id quod *simpliciter* ei convenit, v. g. qui circa Petrum Paulo braestantiorem, at indoctiorem, sic arguit: Petrus est Paulo superior; ergo est doctior. Cui fallaciae resp. *Dist.* Petrus est *simpliciter* superior Paulo, *Conc.*; *secundum quid*, h. e. secundum doctrinam, *Neg.* — Eo etiam vitio peccat qui adscribit alicui *simpliciter*, id quod competit ei *secundum quid*, v. g. qui dicit: Ecclesia prohibet carnes die veneris; ergo Ecclesia abhorret a carne. Cui fallaciae resp. *Dist. conseq.* Abhorret *simpliciter*, *Neg.*; *secundum quid*, *Conc.*

7. Fallacia *compositionis et divisionis.* — Prior concludit *simul* subiecto convenire posse ea quae *divisim*, h. e. unum post alterum, ei tantum convenire possunt. — Posterior negat *divisim* competere posse ea quae *simul* subiecto convenire non possunt. Exemplo sit: Impossibile est vigilantem esse dormientem; atqui Petrus vigilat; ergo impossibile est ut Petrus dormiat. Cui fallaciae resp.: *Dist. Maj.* impossibile est vigilantem esse dormientem *in sensu composito*, h. e. quandiu componitur cum vigilia, *Conc.*; *in sensu diviso*, *Neg.*

8. Fallacia *a genere ad genus*; in eo reponitur quod ad aliquid probandum assumitur argumentum *ex principiis diversi ordinis*, cui deest cum re probanda connexio. Sic peccat qui concluderet hominem sentire non posse, eo quod angeli sensationem non experiuntur.

LOGICAE PARS POSTERIOR.

CRITICA.

112. Inquisitum est in Dialectica quaenam sint diversae operationes, quibus intellectus investigat causas proximas et ultimas rerum, quaenamque sint leges, quibus hae operationes facere debent satis ut sint conformes naturae mentis nostrae. — Inquirendum jam est num intellectus humanus, secundum predictas normas operans, cum certitudine cognoscere possit res et rerum causas. Ista autem inquisito fit per Logicam materialem. — Nomine *criticae* insignitur, quia circa intellectus operationes *crisis seu examen* instituit, num videlicet objecto suo conformes certo esse possint. Istud examen instituitur eo fine ut contra scepticos certitudo inconcussis fundamentis inniti appareat.

Logica materialis quadripartito dispescetur:

Caput I^m de natura certitudinis tractabit.

Caput II^m de certitudinis existentia.

Caput III^m de fontibus cognitionum certarum.

Caput IV^m de ultimo motivo quo omnis cognitio certa ab incerta infallibiliter dignoscatur.

CAPUT I.

DE NATURA CERTITUDINIS.



REAL DE BIBLIOTECAS

Ut natura certitudinis patescat, quaerendum est ex ordine: 1º quae nam sit certitudinis definitio; 2º quomodo dividatur ratione objecti ad quod possit se extendere; 3º utrum accidentaliter sit una, an multiplex.

— Quibus per modum appendicis quedam de probabilitate addentur.

§ 1. *Definitio certitudinis.*

113. Definitio certitudinis eruitur e consideratis variis statibus mentis relate ad verum. Transmissa ad Ontologiam penitiore indagatione veri, per verum heic intelligimus *id cui varia praedicata convenient, adeoque ab intellectu tribui possunt.*

Inquisitione instituta utrum praedicatum convenient subjecto, sive, si quis mayult, utra propositio ex duabus contradictoriis conformis sit rei (nam de statu perfectae ignorantiae, in quo nulla rei notitia, ne existentiae quidem, menti subest, non movetur quaestio), triplex haberi potest actus mentis diversus, triplexque status ex actu exoriens, videlicet *dubii, opinionis, certitudinis.* Etenim :

I. Vel intellectus neutri parti contradictionis assensum suum praestare potest; tunc vero habetur status *dubii*, quod est suspensio judicij inter utramque partem contradictionis. Ulterius intellectus neutri parti assentitur : 2) aut quia *pro utraque parte* motiva sunt *nulla vel levissima*, et tunc habetur status *dubii negativi*; 3) aut quia *pro utraque parte* exstant motiva *seria*, et tunc oritur status *dubii positivi*.

II. Vel intellectus uni parti contradictionis assensum suum praestat, sed cum *formidine oppositi*, h. e. metuens ne altera pars contradictionis sit vera; habetur actus *opinionis*.

OBSERVA. 1. Opinionem saepe concomitatur *suspicio* de veritate oppositi, quae prohibeat mentem ab assensu firme.

2. Opinio *improprie* dicitur de *materia* ad quam terminatur actus opinandi; haec enim vocatur *proprie sententia probabilis*. Magis *improprie* dicitur *de omni sententia*, etiam certa.

III. Vel intellectus uni parti contradictionis assensum praestat, *sine formidine circa veritatem oppositi*. Habetur status *certitudinis formaliter subjectivae* (h. e. cuius forma seu essentia in mente cogitantis reperitur). Ista autem certitudo duplex est :

1. Aut enim intellectus assensum fixum citra erroris formidinem uni parti contradictionis praestat, licet *ipsi non apparent motiva infallibilia*, h. e. motiva quae objectum adornant et ostendunt praedicatum convenire subjecto et non posse non

convenire. Haec certitudo, quae dicitur esse *improprie dicta*, determinatur *per imperium voluntatis*, ideoque est *subjectiva* non tantum formaliter sed et causaliter; ejus enim forma et causa subjecto inhaerent.

2. Aut intellectus assensum certum rei praestat, *motivis infallibilibus ipsi perspectis*. Haec est certitudo proprii nominis. — Ubi agitur de *intrinsecus evidentiis* praesertim de *immediate evidentiis*, impossibile est ut intellectus deneget assensum; quare motiva *per se sola, citra ullum voluntatis imperium, formidinem excludunt determinante assensum certum*. Haec certitudo est formaliter *subjectiva, causaliter objectiva*. — Ubi contra agitur de iis quae non nisi *extrinsecus evidencia* sunt, aut de iis quae non nisi *analogice et imperfecte concipiuntur*, possibilis est suspensio aut imo denegatio assensus; quare fixitas assensus determinatur proxime imperio voluntatis, proindeque certitudo *causaliter* considerata est *remote objectiva, proxime subjectiva*.

114. DEFINITIO certitudinis naturalis proprie dictae : *Judicium quo mens ob motivum infallibile affirmat praedicatum convenire subjecto.* — Solet etiam sic definiri : *Firma mentis adhaesio uni parti contradictionis, innixa motivo infallibili.* Motivum infallibile intelligitur motivum ostendens rem sic esse et aliter esse non posse. — Tribus igitur elementis constat certitudo, quorum duo priora sunt *subjectiva*, tertium *objectivum* : a) assensus intellectus; b) absentia formidinis circa veritatem oppositi; c) motivum infallibile objectum circumstans. Illud autem motivum est *objectum formale certitudinis*, h. e. id, quo apprehenso, *judicium est certum*, quo non apprehenso, *judicium non est certum*.

CERTITUDO OBJECTIVA. Res quatenus stipulatur *hoc motivo quod natum est gignere mentis certitudinem*, dicitur *fixa, immutabilis, certa*. Ideo gaudet sua certitudine, quae dicitur *formaliter objectiva*; ejus enim essentia *objecto inhaeret*. — Definitur *necessitas rei, necessitas enunciabilis, impossibilitas oppositi*.

115. DE CERTITUDINE MORALI LATO SENSU. Saepe fit ut pro una parte contradictionis nullum suppetat motivum, quod natum sit movere ad assensum, pro altera vero parte multa

motiva, eaque gravissima, ad assentiendum moveant, licet tamen assensum non extorqueant seu non ostendant oppositum implicare contradictionem. Opinio quae circa hanc partem habetur, dici solet certitudo moralis lato sensu. Ipsa res circa quam versatur, dicitur gaudere certitudine morali objectiva. — Imo non desunt auctores qui eam vocant certitudinem propriam, quoties versatur circa res ordinis physici aut moralis. Hi auctores certitudinem moralem lato sensu intelligunt magnam probabilitatem.

§ 2. Divisio certitudinis ratione objecti materialis.

116. 1. Objectum materiale certitudinis, seu id circa quod versatur actus certus, sive etiam objectiva connexio praedicati cum subjecto menti affulgens, inspici potest tum absolute in se, tum in ordine ad intellectum, pro diversis modis quibus mens de eo certitudinem acquirit. Duplici igitur dividitur certitudo.

A. Ratione modi quo intellectus certas notitias objectorum acquirit, certitudo subjectiva est :

1. *Immediata vel mediata*, prouti propositio de qua mens est certa, est nota per se vel per discursum.

2. *Directa vel reflexa*. Prior aequiritur prima perceptione mentis spontanea apprehendentis objectum sibi praesens. Posterior in apprehensionem et judicium directa rediens, superaddit examen objecti et motivorum certitudinis.

3. *Reflexa est vel vulgaris vel philosophica*. Prior, quae est penes omnes, nullo speciali studio adhibito, *motiva perpendit quantum satis est ut habeatur certitudo reflexa*. Posterior *fundamenta certitudinis rimatur*, actum cognitionis considerat, inquirit in ejus naturam, in ejus connexionem cum objecto, in medium adhibitum, in eorum valorem.

OBSERVA. Differunt certitudo vulgaris et philosophica : non quidem quoad *essentiam*, in utraque enim reperiuntur assensus mentis, exclusio formidinis, motivum infallibile; verum solo modo, nam seclusa differentia essentiali, non manet nisi differentia ratione modi.

B. Ratione objecti materialis absolute inspecti triplex ensas citur certitudinis divisio. Etenim :

1. Praedicatum, quod subjecto connectitur, potest significare sive subjecti existentiam, sive ejus naturam aut causam; vel aliter, id de quo intellectus est certus, est vel *existentia facti* alicujus, vel *natura causave facti*; unde exsurgit certitudo objectiva *facti et juris*.

2. Cum objecto duplice connecti potest : a) *Independenter ab ulla hypothesi*; certitudo, tum objectiva facti et juris, tum subjectiva mentis, vocatur *absoluta*. Talis certitudo habetur circa sequentia : homo est animal rationale, Petrus currit. b) *Dependenter ab hypothesi*; certitudo objectiva est *hypothetica*; certitudo autem subjectiva *formaliter inspecta, absoluta* est dicenda, *denominative* autem h. e. per denominationem extrinsecam ad suum objectum, est *hypothetica*. Attamen simpliciter *hypothetica* vocari solet.

3. Natura alicujus rei, sive subjectum in quantum ei convenit praedicatum naturam ejus significans, pertinet aut ad ordinem *metaphysicum*, aut ad *physicum*, aut ad *moram*.

a) Praedicatum naturam significans potest ita connecti subjecto, ut *oppositum, essentias rerum adversans, in terminis repugnet*, adeoque etiam divinitus haberi non possit. Tale autem objectum est *ordinis metaphysici*, et gaudet *certitudine metaphysica*. Certitudo autem subjectiva per denominationem ad suum objectum dicitur et ipsa *metaphysica*. Talis porro certitudo convenit sequentibus : « Homo est animal rationale; totum est majus sua parte, » verbo omnibus iis quae essentias rerum significant.

b) Praedicatum potest ita convenire subjecto ut *oppositum aduersetur legibus physicis*. Lex autem physica est modus stabilis et uniformis operandi rebus corporeis ab auctore naturae inditus. Ea vera omnia quorum oppositum his legibus est contrarium, et proinde perseverantia harum legum (v. g. solem cras esse oriturum), actuale earum exercitium, dicuntur pertinere ad ordinem physicum. Porro harum rerum certitudo objectiva et subjectiva dicitur *physica*.

c) Praedicatum potest ita connecti subjecto, ut *oppositum*

adversetur legibus moralibus. Lex vero moralis est modus constans et uniformis, secundum quem homines in certis adjunctis libere agunt. Ea quorum oppositum his legibus opponitur, perseverantia harum legum, et actuale earum exercitium, dicuntur pertinere ad ordinem moralem. Eorum certitudo tum objectiva tum subjectiva dicitur *moralis*.

117. II. De certitudine physica et de morali haec adverte :

1. Ut certitudo propriissime dicta habeatur de *exercitio actuali* legum physicarum, oportet ut appareat impossibile esse legem physicam non observatumiri. Jamvero tunc tantum impossibile est ut lex physica actu non observeatur, quando agens corporeum constitutur in actu primo proximo completo; unde certitudo haberi debet omnia ad agendum requisita adesse. Ut autem haec certitudo habeatur, exigitur ut constet Deum per miraculum vires corporeas non esse impediturum, quin effectum suum producant; nam inter adjuncta requisita ut vires corporae agent, habetur concursus a Deo praestans; hic autem denegari potest a Deo ut, miraculo praestito, speciale suum interventum homines doceat. Cum certitudine autem innotescere potest miraculum a Deo praestitum non iri, eo quod nullus sit finis Deo dignus, vel quod miraculum in certis quibusdam adjunctis adversaretur sapientiae et bonitati ejus. Quoties autem certitudo deest de miraculo non patrando, certitudo *absoluta* non habetur, sed *hypothetica* tantum.

2. Ut certitudo habeatur de *perseverantia* legum physicarum, certo innotescere debet mundum esse perseveraturum qualis est; illud autem sola revelatione certo constare potest.

3. Circa leges ordinis moralis, certum est in universa hominum societate eas semper leges observatum iri quarum observantia bono societatis est necessaria; oppositum enim adversatur Providentiae divinae. De uno autem individuo determinato, imo de pluribus, plerumque non certitudo, sed tantum probabilitas haberi potest eos observaturos esse certas quasdam leges. Ratio petitur ex libertate humana. Haec tamen probabilitas saepius est certitudo moralis lato sensu.

§3. Utrum certitudo accidentaliter sit una an multiplex.

Inquirere utrum certitudo, accidentaliter considerata, sit multiplex, est inquirere utrum eadem essentia possit habere diversos gradus, seu majorem minoremve perfectionem in sua specie, eo modo quo essentia humana in aliis hominibus est perfectior. Quae quaestio potest spectare tum diversa judicia circa diversos ordines, tum diversa judicia de rebus diversis ejusdem ordinis. Insuper cum omnis certitudo constet exclusione formidinis et assensu mentis ob motivum objectivum infallibile, quaeri potest num ratione utriusque elementi certitudo gradus admittat.

Thesis 1. Certitudo subjectiva, sin minus ratione exclusae formidinis erroris, saltem ratione intensitatis assensus, graduum est capax.

118. I^a PARS. PROB. Certitudo subjectiva non admittit gradus ratione illius quod stat in indivisibili. Atqui exclusio formidinis stat in indivisibili. Ergo certitudo subjectiva non admittit gradus ratione exclusionis formidinis.

Prob. Min. Exclusio formidinis formaliter inspecta stat in negatione, nempe in absentia formidinis. Atqui quod situm est in negatione, in indiyisibili reponitur. Ergo exclusio formidinis stat in indivisibili.

Patet minor quia si aliquid illius quod negatur, remanet, jam nulla negatio de eo effterri potest. Sic formido vel totaliter excluditur, et habetur certitudo sive propria sive impropria, vel superest aliquid formidinis et illico reit omnis certitudo.

119. II^a PARS. PROB. Certitudo subjectiva admittit gradus ratione illius quod est positivum et determinatur ab eo quod est capax graduum. Atqui intensitas assensus est positiva, et determinatur ab eo quod est graduum capax. Ergo certitudo admittit gradus ratione intensitatis assensus.

Prima pars minoris ex se patet. Altera probatur : Intensitas assensus determinatur motivis infallibilibus. Atqui haec motiva gradus admittunt. Ergo intensitas assensus determinatur eo quod gradus admittit.

Ad Min. a) Motiva assensum determinantia possunt esse plura pauciorave; b) intellectui possunt plus minus distinete, luce plus minus vivida, se manifestare, et exin majori minorive vi assensum mentis extorquere, ita ut assensus praestitus plus minusve firmus sit et intensus.

S 4. De probabilitate.

120. *Definitio.* Veritas rei potest apparere menti ornata motivis, quae suadent quidem haberi connexionem praedicati cum subjecto, at quae non ostendunt oppositum esse impossibile, neque omnem errandi formidinem sua natura expellunt e mente. Talis autem res et sententia dicuntur *probabiles*, *probabilia*; assensus intellectus, huic sententiae praestitus, est *opinio*.

Probabile seu sententia probabilis, definitur: quod suadetur motivo aliquo, quod tamen tale non est ut excludat omnem oppositi formidinem. Illud motivum vocatur *probabilitas sententiae*: est enim id quo sententia est probabilis.

121. *Divisio.* Sententiae probabiles possunt inspici tum absolute, tum relative, collatis nempe variis sententias probabilibus circa eamdem materiam versantibus et sibi mutuo contradictorie vel contrarie oppositis.

A. *Absolute inspectae*, duplickey dividuntur:

1. Sententia est *intrinsecus* aut *extrinsecus* probabilis: Prior suadetur motivo rei *intrinseco*, seu ex natura rei petito; ejus probabilitas dicitur *intrinseca*. — Posterior suadetur motivo rei *extrinseco* seu auctoritate eorum qui sententiam tenent; ejus probabilitas dicitur *extrinseca*.

2. Sententia est *tenuiter* aut *solide* probabilis: Prior suadetur motivo *tenui*. Quod quale sit, ex ejus opposito liquescet.

— Posterior suadetur motivo *absolute* et *comparative* gravi. Motivum vocatur *grave* cum natum est virum prudentem movere ut assensum praestet; vir autem prudens ille est qui solet agere, omnibus rite inspectis, et absque affectu inordinato. — Motivum est *grave absolute*, quando in se habet vim movendi tam virum; est *grave relative* si vim suam non amittit cum

comparatur motivis sententiae oppositae. Motivum quod natum non est virum prudentem movere, vocatur *tenue*.

OBSERVA. Opinio solide probabilis, seu actus opinandi versans circa sententiam solide probabilem: a) *includit*: 2) diligentiam, pro rei gravitate, in perpendendis motivis utriusque partis contradictionis; 3) motivum absolute et relative grave, suadens sententiam cui mens assensum praestat; 7) prudens dubium de oppositi veritate. — b) *Excludit*: a) certitudinem moralem, etiam lato sensu, de veritate oppositi; 2) opinionem tenuiter probabilem de sententia cui mens adhaeret.

B. *Relative inspectae*, duae sententiae, circa idem objectum versantes et sibi oppositae, possunt esse *aeque probabiles*, vel una esse altera *probabilior*. — Aequae probabiles suadentur motivis *aeque gravibus*. Probabilior suadetur motivis *gravioribus* quam ejus opposita, quae est minus probabilis. Probabilior erit *probabilissima* si motiva sua sunt valde gravia, alterius vero valde tenuia. Vocatur interdum moraliter *certa sensu lato*.

Quaestio. Quaeritur: a) utrum de eadem materia possint haberi duae sententiae contradictiones probabiles, altera quidem affirmans, altera vero negans, quarum utraque suadeatur motivo absolute et comparative gravi? — b) Utrum una possit esse altera probabilior? — c) Utrum major unius probabilitas minorem alterius elidat, an salvam relinquit?

Thesis 2. Circa idem objectum haberi possunt diversae sententiae probabiles, contradictione vel contrarie sibi oppositae; illae vero sententiae possunt esse *aeque probabiles* aut alia aliis probabilior. Porro minor unius probabilitas per se non eliditur conflictu cum alterius majori probabilitate.

122. I^a PARS. DECL. Idem objectum potest esse tum probabiliter verum, tum probabiliter falsum; seu quaedam motiva suadere possunt praedicatum convenire subjecto, quaedam alia motiva possunt suadere praedicatum non convenire subjecto. Atqui in tali casu circa idem objectum habentur diversae sententiae probabiles inter se oppositae. Ergo.

123. II^a PARS. — A. Circa idem objectum possunt haberi plures sententiae *aeque probabiles*.

DECL. 1. Illae sententiae sunt aequae probabiles, quae suadentur motivis aequae gravibus. Atqui circa idem objectum haberi possunt plures sententiae, quae suadentur motivis aequae gravibus. Ergo circa idem objectum haberi possunt sententiae plures aequae probabiles.

2. Patet ex *experientia*: Saepe enim homines neutri parti contradictionis assensum dare volunt, eo quod motiva aequae gravia mentem inclinant in utramque partem.

B. *Una sententia altera probabilior esse potest.*

DECL. Illa sententia est altera probabilior quae motivis gravioribus suadetur. Atqui circa idem objectum haberi possunt plures sententiae oppositae, quarum una motivis gravioribus quam altera suadetur. Ergo circa idem objectum haberi possunt duas sententiae, quarum una sit altera probabilior.

Patet minor: a) tum ex natura motivorum, quae, ubi omnem formidinem oppositi non valent excludere, tamen ad hoc maiorem vel minorem vim habere possunt; b) tum ex quotidianis locutionibus probabilitatis gradus significantibus; c) tum ex usu calculi probabilitatum, de quo quid sit sentiendum videre est apud varios auctores.

124. III^a PARS. *Sensus.* Motiva minus gravia, suadentia unam partem contradictionis, per se non destituuntur robore suo, eo quod altera pars contradictionis suadetur motivis gravioribus. Additur *per se*, h. e. *ex natura sua*, ob duo: a) si una pars contradictionis est probabilissima, altera desinit esse vere et solide probabilis; b) motiva unius partis contradictionis possunt destruere motiva alterius partis; tunc autem *per accidens* eliditur probabilitas unius sententiae.

PROB. Illius sententiae minor probabilitas non eliditur alterius majore probabilitate, cuius motiva vim suam non amittunt motivis alterius. Atqui *per se* motiva unius sententiae probabilis vim suam non amittunt per motiva alterius sententiae probabilioris quae ei opponitur. Ergo minor unius probabilitas per se non eliditur alterius majore probabilitate.

Confirmatur. Optime fieri potest ut sententia probabilior sit falsa et consequenter ut minus probabilis sit vera; si enim fieri non posset, prior sententia non esset probabilis, sed necessario certa.

125. Schol. Juxta ea quae ethica et theologia moralis docent, *per se licet sequi sententiam probabilem*. Hujuscem autem canonis sensus non est quod quis licite ponere possit actionem, dum hujus actionis tum malitia tum bonitas actualiter sibi probabilis videatur: quivis enim tenetur semper agere cum conscientia practico-practica quae sit certa, h. e. anteeunte judicio certo de licitate actionis quae actu ponitur. Sensus proinde est quod, datis duabus sententiis probabilibus quarum altera quidem affirmat licitam esse actionem in genere inspectam, altera vero negat hanc actionis licitatem, efformari possit, adhibito principio: «lex dubia non obligat», vel alio quopiam, conscientia practico-practica certa affirmans actionem hic et nunc citra culpam poni posse.

CAPUT II.

DE CERTITUDINIS EXISTENTIA.

ARTICULUS I.

STATUS QUAESTIONIS.

126. In comperto est quemlibet hominem, natura impellente, assensum invincibilem, omnique formidine circa oppositi veritatem remota, praestare multis propositionibus et factis, potissimum tum principiis identitatis, contradictionis, convenientiae, discrepantiae, tum existentiae propriae corporumque externorum. Haec autem adhaesio est *naturalis*, h. e. a sola natura procedit: est enim universalis et constans; est etiam *primitiva*, h. e. antecedit operationem voluntatis et reflexionem philosophicam. — Pariter in comperto est homines vulgo existimare tales assensum a se praestari ob motivum infallibile, ideoque eos ducere haberi veram certitudinem.

Porro quaeritur utrum ista certitudo naturalis, vulgaris,

DECL. 1. Illae sententiae sunt aequae probabiles, quae suadentur motivis aequae gravibus. Atqui circa idem objectum haberi possunt plures sententiae, quae suadentur motivis aequae gravibus. Ergo circa idem objectum haberi possunt sententiae plures aequae probabiles.

2. Patet ex *experientia*: Saepe enim homines neutri parti contradictionis assensum dare volunt, eo quod motiva aequae gravia mentem inclinant in utramque partem.

B. *Una sententia altera probabilior esse potest.*

DECL. Illa sententia est altera probabilior quae motivis gravioribus suadetur. Atqui circa idem objectum haberi possunt plures sententiae oppositae, quarum una motivis gravioribus quam altera suadetur. Ergo circa idem objectum haberi possunt duas sententiae, quarum una sit altera probabilior.

Patet minor: a) tum ex natura motivorum, quae, ubi omnem formidinem oppositi non valent excludere, tamen ad hoc maiorem vel minorem vim habere possunt; b) tum ex quotidianis locutionibus probabilitatis gradus significantibus; c) tum ex usu calculi probabilitatum, de quo quid sit sentiendum videre est apud varios auctores.

124. III^a PARS. *Sensus.* Motiva minus gravia, suadentia unam partem contradictionis, per se non destituuntur robore suo, eo quod altera pars contradictionis suadetur motivis gravioribus. Additur *per se*, h. e. *ex natura sua*, ob duo: a) si una pars contradictionis est probabilissima, altera desinit esse vere et solide probabilis; b) motiva unius partis contradictionis possunt destruere motiva alterius partis; tunc autem *per accidens* eliditur probabilitas unius sententiae.

PROB. Illius sententiae minor probabilitas non eliditur alterius majore probabilitate, cuius motiva vim suam non amittunt motivis alterius. Atqui *per se* motiva unius sententiae probabilis vim suam non amittunt per motiva alterius sententiae probabilioris quae ei opponitur. Ergo minor unius probabilitas per se non eliditur alterius majore probabilitate.

Confirmatur. Optime fieri potest ut sententia probabilior sit falsa et consequenter ut minus probabilis sit vera; si enim fieri non posset, prior sententia non esset probabilis, sed necessario certa.

125. Schol. Juxta ea quae ethica et theologia moralis docent, *per se licet sequi sententiam probabilem*. Hujuscem autem canonis sensus non est quod quis licite ponere possit actionem, dum hujus actionis tum malitia tum bonitas actualiter sibi probabilis videatur: quivis enim tenetur semper agere cum conscientia practico-practica quae sit certa, h. e. anteeunte judicio certo de licitate actionis quae actu ponitur. Sensus proinde est quod, datis duabus sententiis probabilibus quarum altera quidem affirmat licitam esse actionem in genere inspectam, altera vero negat hanc actionis licitatem, efformari possit, adhibito principio: «lex dubia non obligat», vel alio quopiam, conscientia practico-practica certa affirmans actionem hic et nunc citra culpam poni posse.

CAPUT II.

DE CERTITUDINIS EXISTENTIA.

ARTICULUS I.

STATUS QUAESTIONIS.

126. In comperto est quemlibet hominem, natura impellente, assensum invincibilem, omnique formidine circa oppositi veritatem remota, praestare multis propositionibus et factis, potissimum tum principiis identitatis, contradictionis, convenientiae, discrepantiae, tum existentiae propriae corporumque externorum. Haec autem adhaesio est *naturalis*, h. e. a sola natura procedit: est enim universalis et constans; est etiam *primitiva*, h. e. antecedit operationem voluntatis et reflexionem philosophicam. — Pariter in comperto est homines vulgo existimare tales assensum a se praestari ob motivum infallibile, ideoque eos ducere haberi veram certitudinem.

Porro quaeritur utrum ista certitudo naturalis, vulgaris,

directa et primitiva, sit revera *certitudo proprie dicta*, uti genus humanum jactat, an sit *improprie dicta et causaliter subjectiva*; sive aliter utrum aliquid sit *objective certum*, et determinet aliquem actum *subjective certum*.

127. Sententiae. *I^a* SENT. EST SCEPTICORUM. Scepticismus est alias *subjectivus*, alias *objectivus*.

1. Scepticismus subjectivus asserit nil esse *objective certum*, nullam haberi certitudinem proprie dictam, dubitandum esse de omnibus, etiam de *existentia subjecti cogitantis*.

Sceptici subjectivi alii, qui dicuntur ἐπίχθιοι, asserunt discerni non posse utrum certitudo naturalis sit proprie dicta, an improprie dicta, et consequenter philosophis, certitudinis fundamenta rimantibus, in statu dubii universalis sistendum esse, adhibita τῇ ἐπόχῃ; alii, qui ἀρνητοι dicuntur, statuunt nullam dari certitudinem nec naturalem nec philosophicam.

Inter ἐπίχθιους sunt annumerandi : *a)* Ab anno 330 a. C. Pyrronici, qui orti sunt e schola peripatetica, ab Aristotele 384-322) Athenis fundata, et e schola Epicurea, ab Epicuro 321-270) Athenis fundata; Pyrrhone duce, profitebantur se quaerere veritatem, ideoque ταξιδιῶτες, quae sicut, dicuntur, quod nomen toti scepticorum sectae fluxit. *b)* Ab anno 315 a. C., secunda, tertia et quarta academiae, quae primam academiam, a Platone (430-347) fundatam, secutae sunt. *c)* Nobiliores Pyrrhonis discipuli : Enesidemus et Sext. Empiricus.

Ἀρνητοι fuerunt inter veteres Protagoras (489-420), cui cognomen fuit sophistae, Heraclitus (500) et quidam alii sophistae qui epocha ante Socratem (470-400) floruerunt. His inter recentiores annumerandi sunt Humius (*1*), Kantius, Fichtius.

(1) David Hume natus Edimburgae aº 1711, mortuus Londini aº 1776, denegat valorem objectivum *omni cognitioni*. Etenim, ait, *a)* ideae sunt sensationes combinatae et debiliores sensationibus simplicibus; jamvero sensationes valore objectivo destituuntur; ergo, *b)* Ideae spectant vel ad ordinem physicum, et innituntur notioni causae; vel ad ordinem moralem et innituntur notioni virtutis et libertatis; vel ad utrumque simul, et innituntur notioni Dei, causae primae omnium entium. Atqui valore objectivo destituuntur : *a)* *notio causae* : experientia enim tantum successionem vel simultaneitatem detegit; — *b)* *notio virtutis* : nam expe-

2. Sceptismus objectivus admittit existentiam subjecti cogitantis esse certam deque ea dubitandum non esse; circa distincta a cogitante despescitur in scepticismum perfectum et partialem : *a)* *Perfectus* asserit de existentia *cujusvis objecti a cogitante distincti* dubium esse movendum. *b)* *Partialis* asserit de quibusdam *dumtaxat rerum ordinibus* dubitari oportere. Ipse partialis scepticismus in tot diversas sententias abire posset quo exstant rerum ordines. Reversa tamen non dantur alii sceptici partiales praeter *idealistas* de corporum exteriorum existentia dubitantes.

Porro heic res est tantum cum scepticismo subjectivo.

128. FUNDAMENTA SCEPTICISMI SUBJECTIVI :

Primum fundamentum petitur e *natura principii et medii* quibus comparentur oportet notitiae certae. Ut certo constet aliquid esse *objective certum*, aliquam cognitionem certam acquiri posse, in antecessu constare debet : *a)* *mentem esse aptam ad assequendum verum*; haec autem aptitudo sine petitione principii comprobari non potest; *b)* *medium, quo mens utitur, infallibiliter ei subministrare elementa iudiciorum certorum*; jamvero hoc non obtinet; mens enim ut cognoscat sive animam sive res exteriores, utitur ideis; ideae autem dumtaxat res repraesentare valent, non vero identificantur cum rebus repraesentatis; unde nam igitur oritur certitudo de conformitate idearum cum objectis ad quae per judicia referuntur, seu de idearum objectivo valore? Si de hoc non datur certitudo, quomodo ulla cognitione certa de quacumque re haberi potest?

Secundum fundamentum ex eo petitur quod multa, olim ab omnibus pro veris et evidenter habita, *progressu scientiarum falsa esse comperta sunt*; sic quondam persuasum omnes habent tellurem immobilem sistere, solem vero circa eam in gyrum verti. — Praeterea hominibus singulis contingit ut ea,

rientia nullum aliud motivum actionum humanarum detegit nisi egoismus; — *c)* *notio libertatis* : nam *z)* conscientia tantum renuntiat factum volitionis; *z)* electio voluntatis determinatur per motivum, et consequenter repugnat eam esse liberam; — *d)* *notio Dei* : nam ad Dei notionem pervenire deberemus, adhibito principio causalitatis.

quae prius videbantur certissima, mox in dubium revocentur, brevique falsissima esse ducantur.

Tertium fundamentum petitur *ex perpetuis controversiis dogmaticorum circa omnia scibilia*; nulla enim, de re qualibet, proferri potest sententia philosophi dogmatisantis, quae ab alio dogmatisante non sit habita tanquam falsa.

Quartum fundamentum ex eo petitur quod *facultates diversae sibi contradicunt in iis quae nobis renuntiant*; sic v. g. visus refert existentiam motus, ratio autem motus impossibilitatem demonstrat, eo quod infinitum pertransiri nequit. — Sic olim arguebant Parmenides (sec^o 5 a. C.), et Zeno (540-260) qui auctor fuit scholae Stoicorum.

Quintum fundamentum ex eo petitur quod e *praejectis consequens* est criterium praesto esse debere quo verum a falso infallibiliter discernatur. Jamvero criterium nullum dari potest; nam quodcumque esset, ipsum agnosci deberet tanquam infallibiliter verum seu tanquam necessario cum veritate connexum; ab alio proinde criterio hoc mutuaretur necesse esset; secus enim in petitionem principii incurreretur; si vero per aliud criterium haec necessaria connexio dijudicanda est, circa illud criterium redit tota quaestio, et inducitur processus in infinitum.

129. II^a SENTENTIA EST DOGMATICORUM. Aserunt habereri certitudinem *objectivam* et certitudinem *subjectivam* proprie dictam, seu nonnulla esse objective certa, iisque assensum praestari a mente ob motivum quod rem afficit ostenditque eam sic esse et aliter esse non posse.

Quae sententia ut demonstretur, duo sunt praestanda :

a) *Vindicanda est existentia certitudinis.* Illam autem indirecte vindicant, scepticismus manifestae absurditatis arguendo, et exin inferendo existentiam certitudinis : directe enim sine petitione principii stabiliri vix posset existentia certitudinis.

b) *Reflexione instituta supra ipsa, certitudinis motiva methodice exponenda sunt*, ita ut ad motiva cum veritate necessario nexa perveniatur. — Ut illud autem praestetur, in primis quaerendum est quodnam sit philosophandi principium, seu a quo statu mentis incipere debeat recte philosophari volens; tum exponenda sunt motiva specialia de variis rerum ordinibus

certitudinem gigantia; postremo perpendendum est motivum supremum, ceteris implicitum et eorum fundamentum.

Duplici sequenti articulo, primum vindicabitur scepticismi absurditas proindeque certitudinis existentia; deinde stabilietur philosophandi principium. — Reliqua modo enumerata sequentibus capitibus tractabuntur.

ARTICULUS II.

Duo praestanda occurunt 1^o Existentia certitudinis est vindicanda eo fine ut dogmatici ipsi doceantur et confirmantur; disjicienda etiam sunt fundamenta quibus sceptici sistema superstruunt. 2^o Dispiciendum est quomodo dogmatici cum scepticis in re certitudinis conversari queant.

§ 1. De scepticismi absurditate.

Thesis 3. Manifesta est absurditas scepticismi subjectivi, sive ut factum sive ut doctrina inspicatur.

130. I^a PARS. *Scepticismus, ut factum, est absurdus.*

Sensus. Scepticismus ut factum est status hominis qui revera nihil ut objective certum haberet et de omnibus dubitaret; talis autem status manifeste contradictionem continet, h. e. si haberetur scepticus, haberetur aliquis qui simul de omnibus dubitaret et qui non dubitaret de omnibus.

Decl. Scepticismus, ut factum, est status dicentis « de omnibus dubito, nihil ut certo verum habeo. » Atqui status talia dicentis est absurdus, seu manifeste contradictoria continet. Ergo scepticismus, ut factum, est manifeste absurdus.

Ad Min. Talia dicens simul signate proferret : « de omnibus dubito, nil ut certo verum habeo; » exercite vero diceret : « de aliquo non dubito, » nimirum « me de omnibus dubitare, » « aliquod ut certo verum habeo, » nimirum « me nihil ut certo verum habere. » Atqui in his habetur manifesta contradictio.

131. II^a PARS. *Scepticismus, ut doctrina, est absurdus.*

Sensus. Scepticismus, ut doctrina, est sistema theoretice propositum his verbis : « Nihil est objective certum et proin de omnibus est dubitandum. » Hoc autem sistema est aperte falsum et manifeste contradictoria profert.

PROB. I^m ARG. Scepticismus, ut doctrina, tenet id sistema vel verum esse vel falsum. Atqui si verum est, unum saltem est verum et de eo non est dubitandum, nempe de omnibus esse dubitandum; si falsum est, sequitur omnia non esse objective incerta et proinde de qualibet re non esse dubitandum. Ergo falsum est de omnibus esse dubitandum.

H^m ARG. Falsitas scepticismi colligitur ex eo quod pugnantia proponit. Scepticismus, ut doctrina, hac propositione constat : « Nihil est objective certum ideoque de omnibus est dubitandum. » Atqui talis propositio asserit contradictoria. Ergo scepticismus, ut doctrina, pugnantia loquitur.

Prob. Min. Ista propositio signate asserit de omnibus esse dubitandum; exercite de uno non esse dubitandum. Atqui talia asserere est contradictoria fari. Ergo propositio sistema scepticorum enuntians, pugnantia proponit.

132. Coroll. 1. Ergo scepticismus, ut factum, *non existit*. Sunt quidem qui se scepticos esse oretenus proferunt, revera tamen sceptici non sunt, *nti ex argumento constat*. — Insuper eo quod scepticos se esse dicunt, exercite *nt* certa habent se esse, se admittere discriben inter verum et falsum, se tendere in verum, se dubitare. Ponendo enim dubium universale, exercite dicunt se de aliquo non dubitare; in hoc autem praejacta sunt implicita.

Coroll. 2. Ergo certitudo subjectiva proprie dicta, et certitudo objectiva admittenda sunt.

Prob. consequentia. Cum scepticismus subjectivus sit rejiciendus, utpote contradictorius et proinde impossibilis, dubium moveri non potest de iis quibus, natura impellente, intellectus necessario assentitur; iis igitur certitudinaliter est adhaerendum. Haec autem certitudo subjectiva vel est impropria vel est propria; impropria dici nequit, secus enim non tantum de iis, circa quae versatur, dubitari posset, sed quinimmo dubitari deberet. Restat igitur ut sit certitudo proprie dicta.

Coroll. 3. Ergo merito rejicitur omnis sententia e qua logice scepticismus sequeretur.

Disjiciuntur scepticorum fundamenta. Praejacta thesis impugnari potest a) contendendo argumenta omni vi probativa destitui; b) directe impugnando sententiam dogmaticorum.

133. I. CONTRA ARGUMENTA utriusque partis theseos :

Obj. 1. Theseos^{*} argumentum asserit scepticum, proponendo sententiam suam, ponere actum certum. Atqui hoc est falsum. Ergo argumentum theseos falsum asserit.

Prob. Min. Scepticus dubitat. Atqui qui dubitat non ponit actum certum. Ergo scepticus non ponit actum certum.

Prob. Min. Qui dubitat, suspendit assensum. Atqui qui suspendit assensum, non ponit actum certum. Ergo.

Resp. Conc. I^a Maj. Neg. Min. Ad prob. Dist. Maj. scepticus dubitat h. e. profitetur de omnibus esse dubitandum, Conc.; nonnisi tentat dubitare de aliquo nec aperte profitetur dubitandum esse de quavis re, Subdist. scepticus *improprius dictus*, Transm.; scepticus *proprius dictus*, contra quem solum nobis res est, Neg.; Cdt. Min. qui dubitat h. e. qui profitetur de omnibus esse dubitandum, non ponit actum certum, Neg.; qui tentat de aliquo dubitare, non ideo ponit actum certum, Trans.

Obj. 2. Argumentum secundae partis innititur falso supposito.

Prob. Ant. Supponit doctrinam scepticorum effiri dicendo « de omnibus esse dubitandum. » Atqui hoc est falsum; nam effertur dicendo : « fortassis de omnibus est dubitandum. »

Resp. a) Neg. Ant. Ad prob. Conc. Maj.; Neg. Min. b) Dist. Ant. Argumentum innititur falso supposito, ita ut hoc supposito enervetur vis argumenti, Neg.; ita ut tota salva consistat, Transm. Admisso enim scepticos sub hac forma propugnare suum systema, vel verum est vel falsum, « fortassis de omnibus esse dubitandum; » si verum est, habetur aliquid quod sit verum et de quo non sit dubitandum nimirum: « fortassis etc.; » si falsum est, iterum est verum « fortassis de omnibus non esse dubitandum. » Deinde explicite asseritur « fortassis de omnibus esse dubitandum, » implicite vero asseritur de uno non esse dubitandum, nimirum quod fortassis de omnibus sit dubitandum. — Si dicit scepticus « fortassis de uno non est dubitandum, nempe quod fortassis de omnibus sit dubitandum, » reddit quaestio, utrum certum sit fortassis de hoc uno non esse dubi-

tandum. Qua quaestione iterum iterumque instituta, vel inducitur processus in infinitum, vel sistetur in actum certum.

134. II. DIRECTE IMPUGNATUR THESIS :

Obj. 3. Illa sententia non est absurditatis arguenda, cuius absurditas demonstrari nequit. Atqui scepticismi absurditas probari nequit. Ergo scepticismus non est arguendus falsitatis.

RESP. *Dist. Maj.* Non est falsitatis arguendum id cuius falsitas nec est immediate evidens, seu nota per se, nec evidens fit per demonstrationem, seu nota per discursum, *Conc.*; cuius falsitas est immediate evidens, licet ope medii demonstrari non possit, *Neg.*; *Cdt. Min.* Falsitas scepticismi non est immediate evidens, *Neg.*; non demonstratur proprie, *Conc.*

Inst. Atqui scepticismi absurditas nullatenus est objective certa nec menti evidens, seu non potest mens certo cernere scepticismi absurditatem. Ergo nulla distinctio.

Obj. 4. Ad hoc enim requireretur ut mens certo sit infallibilis. Atqui hoc non obtinet. Ergo scepticismi falsitas nullatenus menti est evidens.

RESP. Sequentia praenotasse juverit :

1. *Fallibilis per se* ille est qui ex ipsa sua natura, citra aliam causam sibi extrinsecam, falsum pro vero habere potest. *Fallibilis per accidens* ille est qui potest errare propter causam naturae suae extrinsecam.

2. Mens humana est infallibilis per se, at fallibilis per accidens, non quidem in iis quae immediate sunt evidentia, sed in his quae per se evidentia haud sunt. Circa istas res mens humana adhaerere quidem potest falso, non tamen sibi permissa, sed ob influxum voluntatis intellectum ad assentiendum inclinantis.

3. Mentre esse a) infallibilem per se, eo potissimum liquet quod si ex natura sua errare posset, semper posset errare, siquidem natura semper eadem manet, et proinde verum esset scepticorum systema; cum autem ostensum sit illud scatere absurdis, necessario est admittendum mente esse infallibilem per se, ita scilicet ut haec infallibilitas consequatur ad ipsammet thesim. Ex hoc tamen consequens non est hominem esse infallibilem per se; homo enim simpliciter acceptus sumitur pro *proto complexu facultatum*, habetur autem in hoc complexu id

quo homo ferri potest in errorem. — Mentre b) neque per se neque per accidens esse fallibilem in iis quae immediate et per se evidentia sunt, eo constat quod respectu hujusmodi rerum conditio erroris desit. Conditio enim ut voluntas flectere possit intellectum, est ut menti non appareant motiva objectum sufficientia quibus cernatur oppositum esse manifeste impossibile, adeoque conditio etiam dicitur esse mentis ignorantia de multis, de multisque imperfecta cognitio; jamvero immediate evidentia perfectius sunt nota, quam ut oppositum appareat esse possibile.

Quamobrem *Neg. Min. subs.*; ad prob. *Dist. Maj.* requiritur ut mens certo sit infallibilis per se, *Conc.*; ut non sit fallibilis per accidens, *Subdist.* ut per accidens non sit fallibilis in iis quae immediate et per se evidentia sunt, *Conc.*; in reliquis, *Neg.*; *Cdt. Min.* Mens non est infallibilis per se, *Neg.*; per accidens, *Subd.* in immediate evidenteribus, *Neg.* in reliquis, *Conc.*

Inst. Atqui certum non est mentem in ullo infallibilem esse. Ergo nulla est distinctio.

Prob. *Min. Subs.* Ut hoc homini certo innotescat, praesupponenda est capacitas mentis ad assequendum verum; atqui capacitas mentis ad assequendum verum praesupponi non potest, hoc enim est petere principium. Ergo immediate agnoscit nequit mentem in ullo esse infallibilem.

RESP. *Dist. Maj.* Praesupponenda est capacitas mentis, h. e. mens in se inspecta, seu in ordine ontologico, debet natura prius esse capax assequendi verum, quam verum assequatur, *Conc.*; debet in ordine logico prius cognosci capacitas mentis assequendi verum, *Neg.*; *Cdt. 1^a pars. Min.* Capacitas in ordine ontologico praesupponi nequit ad cognitionem immediatam hujus capacitatibus, *Neg.*; capacitas mentis in ordine logico, seu cognitionis hujus capacitatibus praesupponi nequit ad ejus agnitio nem immediatam, *Conc.*

Explic. Objectiva connexio praedicati cum objecto menti se manifestat, seu subjectum se lumini rationis manifestat ut praedicatum inclusum in se habens; sic « totum » appetit menti ut involvens praedicatum « majus sua parte. » Ex hac autem duo sunt consecaria : a) quod revera subjectum illud praedicatum inclusum habet, secus enim tali modo menti appa-

rere non posset; b) quod mens sit revera capax cui subjectum cum praedicato appareat, secus iterum tali modo subjectum se menti manifestare non posset. Igitur eo quod de facto mens verum assequatur, concludimus eam esse capacem assequendi verum, vi effati: ab esse ad posse habetur illatio immediata. Eodem pacto saepissime essentia vel causa rei ex phaenomenis et ex effectibus cognoscitur.

Alterum ex praecipuis fundamentis scepticorum nempe ideis deesse valorem objectivum, subvertetur c. 3, a. 4, § 3.

Difficultas a motu desumpta in Cosmologia solvitur.

§ 2. De disputatione cum scepticis.

Thesis 4. Contra scepticum scepticismi absurditas demonstrari non potest.

135. PROB. Absurditas scepticismi demonstraretur sive demonstratione directa, nimur probando certitudinem esse admittendam, sive demonstratione indirecta, ostendendo absurdum fluere ex rejecta certitudine, et admissio scepticismo. Atqui contra scepticum neutra via iniri potest. Ergo contra scepticum scepticismi absurditas demonstrari non potest.

Prob. 1^a pars Min. Contra scepticum probari non potest certitudinem esse admittendam. Ut hoc enim demonstraretur, tamquam certae praesupponi deberent praemissae e quibus fluit propositio probanda. Atqui contra scepticum praemissae tamquam certae praesupponi non possunt. Ergo contra scepticum propriè demonstrari nequit certitudinis existentia.

Patet major ex definitione demonstrationis.

Patet minor quia a) secus fieret petitio principii; nam quaestio, cum scepticis agitata, est utrum aliquid pro certo sit admittendum; unde praesupponeretur tanquam verum id quod est probandum; b) speciatim agenti cum sceptico praesupponi non possunt praemissae tanquam certae, siquidem scepticus praefracte negat aliquid esse certum.

Prob. 2^a pars Min. Contra scepticum absurditas scepticismi ostendi non potest eo quod *contradictoria involvit*.

In tantum contra scepticum valeret demonstratio indirecta, in quantum pro certo haberet illud esse falsum quod idem simul affirmat et negat. Atqui scepticus pro certo illud non admittit. Ergo contra scepticum non valet demonstratio indirecta.

Patet major notione demonstrationis indirectae.

Patet minor quia scepticus etiam principium contradictionis pro certo non habet.

136. Coroll. 1^m. Ergo etiam in ordine ad docendum dogmaticos, veritas sententiae dogmaticorum directe demonstrari non potest: patet ex argumento facto. Ceteroquin demonstrationem directam afferre opus non est, quum scepticismus sit aperte absurdus et impossibilis.

Coroll. 2^m. Ergo scepticus ne tentare quidem potest veritatem systematis sui demonstrare.

ARTICULUS III.

§ 1. Status quaestionis.

137. Postquam contra scepticos vindicaverunt existentiam certitudinis presse acceptae, dogmaticorum jam est ejus fundamenta investigare. Methodicae autem expositioni diversorum motivorum cum veritate necessario nexorum, praevia est quaestio, quoniam sit philosophandi initium seu *principium a quo*. Hoc autem nomine intelligitur *status mentis a quo ille, qui recte philosophari vult, incipere debet, ut certum et inconclusum inveniat fundamentum, cui inniti possit totum aedificium cognitionis scientificae.*

138. Sententiae. I^a est *dogmaticorum inconsequentium*, quorum dux videtur fuisse Cartesius (1596-1650). Inconsequentes vocantur quia, si sibi constarent, ad regionem scepticorum vela dare deberent. Juxta eos principium philosophandi debet esse *status dubii universalis*, sive *status quo mens positive pronuntiat omnia, nulla re excepta, esse reapse dubia*. Illud autem

dubium vocant *methodicum*, propterea quod in eo non est sistendum, (dubium enim in quo assereretur esse sistendum, est dubium *scepticum*), sed tanquam *methodus adhibendum*, ut firmissimum reperiatur certitudinis fundamentum.

Ratio quam afferunt est, quod mens, accepto alio statu tamquam philosophandi principio, se infallibiliter exponit periculo aedificium scientificum superstruendi principiis falsis. Etenim, aīunt, ob praejudicia anteactae aetatis, quivis intellectus multa falsa pro veris admittit, iīsque pari adhaeret firmitate, qua iīs quae reapse sunt vera. Horum autem praejudiciorum causa alia est cuique intrinseca, alia extrinseca; causa intrinseca duplex potissimum assignari potest, nimirum sensuum fallacia mentisque in judicando praecepsit, extrinseca causa est tum auctoritas parentum, tum auctoritas magistrorum.

139. *II^a est dogmaticorum consequentium.* Juxta hos initium philosophandi est *status certitudinis*, qui tamen investigationem quamdam non excludit; nam ut monet Philosophus « decet investigare volentes p̄a opere bene dubitare : posterior enim investigatione solutio dubitatorum. » Porro si agitur de principiis et factis quae dicuntur immediate evidētia, mens inquirit utrum reapse sint talia, sive quod idem est, non incipit negando ea esse evidētia, sed abstrahens a certitudine, quasi tentat dubitare. Si vero agitur de iīs quae non sunt immediate evidētia, mens inquirit quomodo principiis immediate evidētibus demonstrentur; iterum ergo non incipit negando, sed abstrahendo a certitudine et quasi tentando dubitare.

Praetermissa sententia Kantii de qua nonnulla in loco commodiori dicentur, in sequentibus refutanda venit cartesianorum sententia, deinde comprobanda sententia dogmaticorum consequentium.

§ 2. Rejicitur dubium methodicum cartesianorum.

Thesis 5. Tamquam philosophandi principio admitti nequit dubium methodicum cartesianorum.

140. PROB. I^a ARG. Petitur ex eo quod involvit scepticismum. Illud tamquam philosophandi principio admitti nequit

quod scepticismum involvit. Atqui dubium methodicum cartesianorum scepticismum involvit. Ergo admitti nequit tamquam philosophandi principium.

Prob. Min. Dubium cartesianorum versatur etiam circa prima principia et facta immediate evidētia. Atqui dubium, versans circa prima principia et facta immediate evidētia, involvit scepticismum. Ergo.

Prob. Min. Tale dubium non potest expelli; etenim a) non datur medium quo expelli posset; b) etiam si daretur, de hoc ipso medio esset dubitandum. Atqui dubium quod expelli nequit, adeoque in quo est remanendum, est scepticum.

II^a ARG. Illud tamquam philosophandi principium admitti nequit, quod sibimetipsi repugnat. Atqui dubium methodicum cartesianorum sibimetipsi repugnat. Ergo.

Prob. Min. Dubium methodicum statuit ex una parte de veritate rationis absolute esse dubitandum, propterea quod multa falsa tamquam vera habuit; ex altera parte admittit indubitatum et verissimum esse judicium rationis circa factum existentiae propriae. Atqui quod haec admittit, sibimetipsi repugnat seu contradictoria admittit; nam qui admittit de veritate rationis absolute esse dubitandum, tamquam indubitatum admittere nequit judicium ab hac ratione elicium.

141. Satisfit difficultatibus. Obj. 1. Admittendum est dubium methodicum cartesianorum, vel incipiendum est a statu certitudinis. Atqui id alterum teneri nefas est. Ergo.

Prob. Min. Nequit quis se exponere periculo aedificium scientificum superstruendi fundamento falso. Atqui hujuscemodi periculo se exponit qui a statu certitudinis incipit. Ergo.

Prob. Min. Mens est praejudiciis repleta, quorum causa est tum homini intrinseca tum ei extrinseca, uti in statu quaestione declaratum est. Atqui, sic se re habente, qui a statu certitudinis incipit, se exponit etc. Ergo.

Resp. Dist. Maj. Admittendum est dubium cartesianorum vel incipiendum est a statu certitudinis, aut nulla inquisitione instituta circa ea quibus mens adhaeret, aut tali inquisitione instituta. Conc.; admittendum est dubium methodicum vel incipiendum a statu certitudinis, nulla crisi facta, Neg. Dis-

junctio enim sic proposita non est completa et proinde falsa est major. *Cdt. Min.* Nefas est incipere a statu certitudinis, *nullo examine de propositis facto*, *Conc.*; *secus*, *Neg.* Ad prob. *Conc. Maj.*; *Dist. Min.* eodem modo. Ad prob. minoris resp. a) *Transm. Maj.* *Dist. Min.* uti supra; b) *Dist. Maj.* mens est repleta praejudiciis circa *immediate evidentia*, *Neg.* Circa *mediate evidentia*, *Subd. circa omnia Neg.*; *circa multa*, *Transm.*

142. Obj. 2. Illud non dicit ad scepticismum quod cartesianis fundamentum suppeditavit certitudinis rerum. Atqui dubium methodicum cartesianis suppeditavit fundamentum certitudinis rerum. Ergo illud dubium non est scepticum.

Prob. Min. Talis a Cartesio institutus est processus :

1. Reflectit homo supra seipsum et se detegit cogitantem; de facto autem cogitationis dubitare est impossibile. Se detegendo cogitantem, implicite videt se esse existentem. Ex his exsurgit *primum principium* : « *cogito; ergo sum.* » — Observare juvat Cartesium cogitationis nomine intelligere quamlibet animae modificationem.

2. Ex facto isto certissimo educitur lex universalis, seu criterium certitudinis : « *id omne est verum, quod clare percipitur.* » Quae lex est *secundum principium* Cartesii.

3. Reflectens in cogitationem, Cartesius eam deprehendit tanquam modum *simplicem* et tanquam *finitum*. — a) Ex primo charaktere derivavit *animaee simplicitatem*. De quo enim predicatur modus simplex, id est ipsummet simplex; talis enim modus est oppositus attributis materiae. — b) Ex altero concludit *Deum existere* et esse *infinitum*. Etenim, ait, idea finiti haberi nequit nisi habeatur idea infiniti, quae sit tota positiva; finitum enim concipiatur per negationem infiniti, et est ei contradictorie oppositum. Sed idea positiva infiniti ex consideratione rei finitae hauriri nequit; ergo in intellectu fuit producta per ipsummet Deum, dum animam crebat. Deus ergo non tantum existit, sed est infinitus. — Eodem modo probare aggreditur ceteras *ideas metaphysicas esse menti innatas*.

4. *Existentia Dei* etiam eruitur ex *idea Dei formaliter inspecta*. Id enim est verum, ait Cartesius, quod clare et distincte percipitur. Sed ita percipitur Deum existere. Ergo

5. *Sensationes apprehendunt corpora*. Inquisivit Cartesius an homo non illuderetur per genium has representationes in ipso producentem. Derivavit certitudinem de *veritate intellectus et sensuum et de corporum existentia, ex existentia Dei sibi jam demonstrata*.

6. *Ex infinitate Dei conclusit in mundo non esse defectum nec limitem*. (Quam propositionem arripuerunt pantheistae, et ex ea deduxerunt mundum esse infectum, aeternum, ipsummet Deum. Explicit Cartesius mente sua mundum non esse simpliciter infinitum, sed indefinitum).

7. Ex duratione rerum existentium, ex earum contingentia, deducit necessitatem conservationis; conservationem definit continuam rei creationem. (Quae propositio ansam praebuit occasionalismo).

Resp. Dist. Maj. Illud non dicit ad scepticismum quod cartesianis, *sibi non contradicentibus nec petentibus principium*, suppeditavit fundamentum certitudinis, *Conc.*; quod cartesianis, *sibi contradicentibus et petentibus principium*, suppeditavit fundamentum certitudinis, *Neg. Cdt. Min.*

Explie. a) Cartesiani admittunt factum cogitationis tamquam certum et tale ut de eo non possit dubitari; ergo immerito statuant de omnibus *debere dubitari*. b) Eliciunt duplex judicium certum : *Sum cogitans; ergo sum.* Illud judicium eliciunt utendo facultate cuius veritas nondum sibi est certa. Ergo sibi contradicunt et petunt principium : *Sibi contradicunt* : qui enim contendit judicium esse certum implicite dicit intellectum esse capacem assequendi verum; ex altera parte contendunt cartesiani hanc capacitem mentis sibi non esse certam, nisi prius certa sit Dei existentia. — Petunt principium : dicendo enim elici judicium certum, innituntur capacitatibus intellectus ad verum assequendum; sed cognitio hujus capacitatis, eorum judicio, fluit mediate ex principio primo. c) Pariter ex *idea Dei* inferunt cartesiani existentiam Dei; ex existentia Dei inferunt veritatem rationis. Sed ut quis ex *idea Dei* inferre valeat existentiam Dei, debet prius admittere capacitatem rationis assequendi verum. Ergo iterum sibi contradicunt cartesiani et petunt principium. d) Insuper multiplici alio vitio

laborat eorum processus : Falsum enim est α) claritatem et distinctionem ideae esse ultimum certitudinis criterium, uti probabitur capite quarto hujusce tractatus; β) finitum concepi per negationem infiniti, conceptum vero infiniti esse totaliter positivum; γ) ideas metaphysicas esse menti humanae congenitas; δ) existentiam Dei colligi posse ex idea Dei formaliter inspecta; ϵ) Deum esse causam immediatam ideae Dei.

§ 3. Stabilitur sententia dogmaticorum consequentium.

143. Dogmaticorum consequentium sententia tenet recte philosophari volenti incipendum esse a statu certitudinis, qui tamen examen haud excludit. Ex hoc sequitur quaedam citra demonstrationem pro certis accipienda esse : sunt autem facta interna per sensum internum renuntiata, et principia quaedam ex ideis efflorescentia.

Inter veritates indemonstrabiles, quaedam ceteris praestant eo quod sunt fundamentum omnis certitudinis : sunt vero numero duae, nempe *factum primum* et *principium primum*. Quibus nonnulli addunt *conditionem primam* seu capacitatem mentis assequendi verum. Nobis vero videtur hanc capacitatem mentis esse demonstrationis capacem, nempe demonstrari a posteriori ex effectu, ut supra diximus.

Thesis 6. Nonnulla pro veris sunt habenda sine demonstratione proprie dicta.

Sensus. Aliquid esse verum idem audit atque subjecto convenire praedicatum. — Aliquid esse certo verum sive objective certum, est praedicatum subjecto convenire ob motivum infallibile. — Hinc sensus theses hic est : Quibnsdam propositionibus mens adhaeret ob motivum infallibile, licet connexionio objectiva subjecti cum praedicato per nullum medium demonstrari queat, adeoque quia connexionio est immediate evidens.

144. PROB. Indirecte. Admittendum est illud, quo rejecto, inducitur processus in infinitum, vel lapsus fit in scepticismum; atqui rejecto quaedam pro certis admittenda esse citra ullam demonstrationem, vel inducitur processus in infinitum, vel lapsus fit in scepticismum. Ergo.

Prob. Min. Qui hoc non admittit, inducit seriem successivam demonstrationum, qua nimur successive demonstrantur praemissae quae adhibentur; in hac autem serie vel devenit ad praemissas quae ulterius jam non demonstrantur, vel ad tales praemissas non pervenit. Atqui, si pervenit ad principia prima, lapsus fit in scepticismum; si non pervenit, inducit, uti patet, seriem infinitam demonstrationum. Ergo, non admissa quaedam citra demonstrationem esse admittenda, vel inducitur processus in infinitum, vel lapsus fit in scepticismum.

Patet 1^a pars minoris quia hae praemissae jam non demonstrantur; hinc si id, quod non demonstratur, certum non est, certae non erunt; si autem incertae sunt, incertas reddunt ceteras praemissas quae iis innituntur, et jam collabitur certitudo totius seriei demonstrationum.

145. Coroll. 1^{um}. Ergo aliquid potest esse objective certum et evidens duobus modis : a) *mediate*, seu ope alicujus medii, b) *immediate*, seu seposito omni medio.

Coroll. 2^{um}. Ergo non caece admittuntur prima principia, sed ob lucem qua ex seipsis coruscant.

Coroll. 3^{um}. Ergo quaevis demonstratio innititur principiis indemonstrabilibus et per se veris.

Thesis 7. Factum primum, h. e. existentia propria ; principium primum, h. e. principium contradictionis : a) saltem implicite apprehenduntur quovis judicio certo; b) fundamentum sunt omnis certitudinis; c) demonstrari nec debent, nec possunt.

I^a PARS. *Factum primum et principium primum in quovis judicio certo percipiuntur saltem implicite.*

Sensus. Quoties motivum infallibile probat connexionem praedicati cum subjecto et mens huic connexioni assensum suum praestat; toties implicite percipit intellectus : α) se esse; β) nihil simul posse esse et non esse.

146. PROB. A. *Mens implicite percipit factum primum.* Ille implicite percipit se esse, qui implicite percipit se videre connexionem praedicati cum subjecto, et motivum hujus connexionis. Atqui in quovis judicio certo mens saltem implicite haec duo percipit. Ergo.

Patet Major quia percipere se videre perinde est ac percipere se esse videntem.

Prob. Min. In quovis judicio certo apparet menti motivum circumstans objectum et ostendens rem aliter esse non posse, uti patet ex natura certitudinis. Atqui quoties menti apparet tale motivum, mens implicite percipit se videre hanc connexionem et ejus motivum; nam motivum menti apparere est idem ac mentem hoc motivum perspectum habere; illud autem idem est ac percipere se videre rem et ejus motivum.

B. Mens implicite percipit principium primum. Ille saltem implicite percipit principium primum, qui implicite percipit nullam oppositi formidinem haberi posse. Atqui in quovis judicio certo mens implicite percipit nullam oppositi formidinem haberi posse. Ergo percipit principium primum.

Patet major quia, amoto principio primo, exsurgit formido oppositi. — Patet minor quia in judicio certo percipitur motivum ostendens rem sic esse et aliter esse non posse.

Thesis dicit saltem implicite: uti enim patet, circa utrumque eorum efferrri potest judicium explicitum.

147. II^a PARS. *Duplicis hujus veritatis certitudo est fundamen-*

tum cuiusvis judicii certi.

PROB. Illud est fundamentum alterius quod: a) absolute in se inspectum, certum fixumque est; b) respectu alterius inspectum, tale est ut: 1) eo habito, hoc alterum, dum cetera requisita adsint, haberi possit; 2) eo non habito, vel in dubium vocata, hoc alterum, etiam ceteris habitis, haberi non possit; 3) non praesupponat alterum, cui ipsum innitatur; secus enim illud alterum dicendum esset fundamentum. Atqui certitudo hujus duplicis veritatis his characteribus insignitur, relate ad quodvis judicium certum. Ergo duplicis hujus veritatis certitudo est fundamentum cuiusvis judicii certi.

Prima pars minoris palebit ex dicendis in tertia parte.

Prob. 2^a Pars Min. A. Certitudine duplicis hujus veritatis habita, dum cetera adsint, elici potest judicium certum.

Haberi potest judicium certum quoties menti apparet infallibile motivum. Atqui, habita certitudine hujus duplicis veritatis, dum cetera requisita adsint, menti apparere potest infallibile motivum. Ergo.

B. Certitudine duplicis hujus veritatis non habita, aut in dubium vocata, corruit cuiusvis judicij certitudo.

Illud judicium non est proprio certum, cui deest firmus assensus, vel absentia formidinis oppositi, vel motivum infallibile. Atqui, non habita aut in dubium revocata certitudine a) primi facti, deest firmus assensus; b) primi principii, adest formido oppositi ac deest motivum infallibile. Ergo, non habita, aut in dubium vocata, certitudine duplicis hujus veritatis, nullum haberi potest judicium certum.

C. Certitudo duplicis hujus veritatis non praesupponit certitudinem alias veritatis, cui ipsa innitatur. Etenim: a) non videtur de quo mens certa esse possit, nisi prius certa fuerit de his duobus. b) Triplex distinguitur ordo: α) ontologicus seu essendi; β) logicus seu cognoscendi; γ) nexus inter utrumque. Ad ordinem autem ontologicum pertinet principium contradictionis; ad ordinem logicum existentia propria; ad nexus utriusque capacitas mentis assequendi verum; tertius autem ordo praesupponit duos priores; hae autem veritates in suo ordine nihil praesupponunt.

148. III^a PARS. *Duplex haec veritas demonstrari nec potest, nec debet.*

A. Non potest demonstrari.

PROB. Illud non potest demonstrari quod ad demonstrationem sui praesupponendum esset. Atqui duplex haec veritas ad demonstrationem sui praesupponenda esset. Ergo.

Prob. Min. Ad demonstrationem duplicis hujus veritatis praesupponendae essent praemissae certae. Atqui duplex haec veritas praesupponenda esset praemissa certis. Ergo.

Prob. Min. Duplex ista veritas esset fundamentum certitudinis harum praemissarum. Atqui fundamentum praesupponitur ad rem fundatam. Ergo.

B. Non debet demonstrari.

Sensus. Ut mens, judicans se existere, certa sit de hac existentia, non debet posse eam sibi demonstrare; pariter ut certa sit de principio primo, non debet illud ope medii sibi probare.

I^a ARG. Illud demonstrari non debet, quod negari, et de quo dubitari non potest. Atqui duplex haec veritas negari et de ea dubitari non potest. Ergo demonstrari non debet.

Prob. Min. Illud negari et de illo dubitari non potest, quod ipsa negatione vel dubio affirmatur. Atqui duplex haec veritas negatione vel dubio affirmatur. Ergo.

Prob. Min. Qui eam negat vel de ea dubitat, implicite admittit; a) falsum a vero distingui; b) se negare et proinde se existere. Ergo.

II^m ARG. Illud demonstrari non debet, quo negato, sequitur illico scepticismus subjectivus. Atqui, negata hac dupli veritate, ultro sequitur scepticismus. Ergo.

Patet minor quia est fundamentum omnis judicij certi.

III^m ARG. Illud nulla demonstratione indiget quod est immediate evidens. Atqui duplex haec veritas est immediate evidens. Ergo demonstranda non est.

Prob. Min. a) *Principium primum est immediate evidens.* — Etenim immediate evidens est illud « quod est, est » seu « quod est, certo est. » Atqui hoc idem est ac « quod est, non potest simul non esse. » Ergo immediate evidens est principium contradictionis. b) *Existentia propria est immediate evidens,* ut dicetur postea.

Scholion. Factum primum, principium primum sunt veritates primitiae. Per veritatem enim primitivam non tantum intelligitur id quod est fons e quo ceterae veritates hauriuntur, qua acceptio hae duae veritates dici nequeunt primitiae; sed etiam id quod est fundamentum cui ceterae veritates innituntur.

CAPUT III.

DE OBJECTO ET DE FONTIBUS CERTITUDINIS.

DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

149. Uti ex definitione certitudinis constat, solius intellectus est elicere actus certos; actus enim certus solo judicio continetur. — Alia autem judicia certa versantur circa veritates primo cognitas, quae dicuntur *materia certitudinis*; alia circa veritates quae ex veritatis

primo cognitis, tanquam ex elementis primigeniis, educuntur. Haec elementa intellectui sunt subministranda quibusdam instrumentis, seu haurienda sunt ex certis *fontibus*. — Exin triplex enascitur *quaestio*: a) quenam est materia judicij certi? b) quinam sunt fontes e quibus haec materia hauritur? c) quomodo amplificantur, et in aedificium scientificum exstruuntur veritates primo cognitae? — Cum 1^a et 2^a quaestio simul tractentur, dividitur praesens caput in duas sectiones.

SECTIO I^a.

DE MATERIA ET DE FONTIBUS CERTITUDINIS.

Materia certitudinis vel est veritas abstracta, universalis, necessaria, quae dicitur *principium*; vel est *factum* aliquod; ulterius factum est vel *internum*, vel *externum*; iterum factum externum vel *non est remotum* ab cognoscente, vel est *remotum* ab illo, sive *loco*, sive *tempore*.

Instrumenta autem, quibus haec materia intellectui suppeditatur, vel sunt *intrinseca* homini, vel sunt *extrinseca*.

1. *Intrinsicae* sunt: a) *sensus intimus* quo intellectui subministrantur facta interna; b) *sensus externi* quibus subministrantur facta externa non remota, potissimum autem existentia corporum exteriorum, eorumque qualitatum; c) *ideae* quibus essentiae apprehenduntur et quae judiciis analyticis originem praebent.

2. Instrumentum *extrinsecum* est *auctoritas*, quae suppeditat intellectui facta externa remota.

Quadruplici igitur articulo absolvetur prior ista sectio.

ARTICULUS I.

DE CERTITUDINE FACTORUM INTERNORUM PER SENSUM INTIMUM COMPARATA.

§ 1. Notiones. — Quaestiones.

150. Notiones. 1. In homine triplex distingui debet vita: vegetativa, sensitiva et rationalis. — Etenim: a) homo eas

Prob. Min. Illud negari et de illo dubitari non potest, quod ipsa negatione vel dubio affirmatur. Atqui duplex haec veritas negatione vel dubio affirmatur. Ergo.

Prob. Min. Qui eam negat vel de ea dubitat, implicite admittit; a) falsum a vero distingui; b) se negare et proinde se existere. Ergo.

II^m ARG. Illud demonstrari non debet, quo negato, sequitur illico scepticismus subjectivus. Atqui, negata hac dupli veritate, ultro sequitur scepticismus. Ergo.

Patet minor quia est fundamentum omnis judicij certi.

III^m ARG. Illud nulla demonstratione indiget quod est immediate evidens. Atqui duplex haec veritas est immediate evidens. Ergo demonstranda non est.

Prob. Min. a) *Principium primum est immediate evidens.* — Etenim immediate evidens est illud « quod est, est » seu « quod est, certo est. » Atqui hoc idem est ac « quod est, non potest simul non esse. » Ergo immediate evidens est principium contradictionis. b) *Existentia propria est immediate evidens,* ut dicetur postea.

Scholion. Factum primum, principium primum sunt veritates primitiae. Per veritatem enim primitivam non tantum intelligitur id quod est fons e quo ceterae veritates hauriuntur, qua acceptio hae duae veritates dici nequeunt primitiae; sed etiam id quod est fundamentum cui ceterae veritates innituntur.

CAPUT III.

DE OBJECTO ET DE FONTIBUS CERTITUDINIS.

DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

149. Uti ex definitione certitudinis constat, solius intellectus est elicere actus certos; actus enim certus solo judicio continetur. — Alia autem judicia certa versantur circa veritates primo cognitas, quae dicuntur *materia certitudinis*; alia circa veritates quae ex veritatis

primo cognitis, tanquam ex elementis primigeniis, educuntur. Haec elementa intellectui sunt subministranda quibusdam instrumentis, seu haurienda sunt ex certis *fontibus*. — Exin triplex enascitur *quaestio*: a) quenam est materia judicij certi? b) quinam sunt fontes e quibus haec materia hauritur? c) quomodo amplificantur, et in aedificium scientificum exstruuntur veritates primo cognitae? — Cum 1^a et 2^a quaestio simul tractentur, dividitur praesens caput in duas sectiones.

SECTIO I^a.

DE MATERIA ET DE FONTIBUS CERTITUDINIS.

Materia certitudinis vel est veritas abstracta, universalis, necessaria, quae dicitur *principium*; vel est *factum* aliquod; ulterius factum est vel *internum*, vel *externum*; iterum factum externum vel *non est remotum* ab cognoscente, vel est *remotum* ab illo, sive *loco*, sive *tempore*.

Instrumenta autem, quibus haec materia intellectui suppeditatur, vel sunt *intrinseca* homini, vel sunt *extrinseca*.

1. *Intrinsicae* sunt: a) *sensus intimus* quo intellectui subministrantur facta interna; b) *sensus externi* quibus subministrantur facta externa non remota, potissimum autem existentia corporum exteriorum, eorumque qualitatum; c) *ideae* quibus essentiae apprehenduntur et quae judiciis analyticis originem praebent.

2. Instrumentum *extrinsecum* est *auctoritas*, quae suppeditat intellectui facta externa remota.

Quadruplici igitur articulo absolvetur prior ista sectio.

ARTICULUS I.

DE CERTITUDINE FACTORUM INTERNORUM PER SENSUM INTIMUM COMPARATA.

§ 1. Notiones. — Quaestiones.

150. Notiones. 1. In homine triplex distingui debet vita: vegetativa, sensitiva et rationalis. — Etenim: a) homo eas

operationes elicit quas elicit planta : hi autem actus dicuntur ordinis *vegetativi*; b) homo, sicuti animalia intellectu carentia, sensuum ope cognoscit simplici representatione, et appetit : hae autem cognitiones, et hi appetitus dicuntur ordinis *sensitivi*, et eliciuntur a *composito humano*; c) tandem brutis praestat eo quod spiritualiter cognoscit simplici apprehensione et judicio, et spiritualiter appetit, seu quod intelligit et vult : hi actus dicuntur ordinis *rationalis*, et active eliciuntur a sola anima.

2. Homo non tantum cognoscit sensibus atque intellectu, verum insuper : a) sentit, seu experitur, se cognoscere aliquod objectum; b) non tantum appetit objectum aliquod, sed experitur, sentit, se versus tale objectum tendere; actus enim appetendi concomitant actus cognitionis, quo cognoscitur, sive sensibiliter sive intellectualiter, tum objectum appetitum, tum actus appetendi, et quo sentitur actus cognoscendi utrumque.

3. Sensus intimus refert sola facta *praesentia*; haec autem refert *concrete*, non vero *abstracte*, h. e. refert per modum unius *subjectum modificatum*, non vero modificationem a subjecto abstractam neque subjectum nude sumptum. Sic cum videamus rem, cum cogitamus de Deo aut volumus virtutem, sentimus nosmetipsos videntes rem, cogitantes de Deo, volentes virtutem; cum autem idem significant haec duo : « *sensus intimus refert*, » et « *sentimus nosmetipsos agentes*, » dicendum est sensu intimo referri per modum unius *principium videns rem*.

4. Intellectus facta concreta, sensu intimo renuntiata, resolvere potest in subjectum et praedicatum, deinde haec iterum componere judicando. Operatio qua elicetur tale judicium, vocatur *reflexio psychologica*; judicium dicitur *conscientia reflexa*. Utraque definitur : *cognitio intellectualis internorum factorum prout sunt affectiones subjecti*. — Reflexio psychologica distinguitur a reflexione *ontologica*, qua quis reddit in objectum jam apprehensum et cognitum; proprie *recognitione* dicitur.

5. Porro ista judicia intellectus circa affectiones animae, sunt vel immediata vel mediata :

a) *Immediatum* judicium id tantum affirmat quod *sensus intimus refert*, seu quod subjectum experitur.

b) *Mediatum*, ulterius progrediens, aliquid colligit ex his

quae per judicium *immediatum* asseruntur, affirmando v. g. naturam indolemve facti interni, ejus causam, originem, etc.

OBSERVA. Sensus intimus de factis ordinis sensitivi a nonnullis auctoribus vocatur *sensus internus*; sensum autem intimum de factis ordinis rationalis vocant *conscientiam directam*.

Quæstiones. Inquiritur a) utrum omnia ea quae sensus intimus refert sint infallibiliter vera, an possint esse falsa; — b) num judicia quae intellectus elicit circa ea quae per sensum intimum renuntiantur, sint necessario ab omni errore immunia: — c) num in specie ex his, quae sensu intimo referuntur, infallibiliter vera sit existentia subjecti cogitantis et corporis proprii.

§ 2. De certitudine factorum sensu intimo relatorum et judiciorum immediatorum de his factis.

Thesis 8. Infallibiliter vera sunt tum ea quae sensus intimus refert, tum judicia immediata intellectus de iis quae per sensum intimum renuntiantur.

I^a PARS. *Infallibiliter vera sunt ea quae sensus intimus refert*.

151. Sensus. Actus sensitivi et actus rationales quorum experientia habetur, seu qui sentiuntur, necessario sunt tales quales sentiuntur, seu quales sensu intimo referuntur.

PROB. Secus esset dicendum internam affectionem, quae per sensum intimum refertur, posse non haberi. Atqui hoc est impossibile. Ergo infallibiliter vera sunt ea quae sensus intimus refert.

Prob. Min. Affectionem internam referri a sensu intimo idem est ac eam sentiri. Atqui impossibile est affectionem quae sentitur non haberi; sentiri enim quod actu non habetur, perinde est ac non sentiri. Ergo.

H^a PARS. *Judicia immediata de illis quae sensus intimus refert, sunt infallibiliter vera*.

152. PROB. Judicium immediatum de quo agitur, affirmat id tantum quod sensus intimus refert. Atqui quod affirmat id tantum quod sensus intimus refert, est infallibiliter verum. Ergo.

Patet minor quia, ex prima parte, ea quae sensus intimus refert, sunt necessario vera, seu conformia rebus.

Coroll. Ergo sensus intimus refert facta uti sunt; unde si cognitio objecti est confusa, sensus intimus refert haberi cognitionem confusam; ideo tamen haec cognitionis non confuse refertur.

153. Obj. Illud non est infallibiliter verum sed falsum, quod saepius refert quod non est. Atqui sensus intimus saepe refert id quod non est. Ergo.

Prob. Min. Sensus intimus refert dolorem in membro amputato, refert amentibus et somniantibus multa quae non sunt; puta se esse id quod non sunt, se fecisse id quod non fecerunt. Ergo.

RESP. Conc. Maj. Neg. Min. Ad prob. Dist. Ant. Sensus intimus refert sentiri dolorem aliquem, pariter refert actus quos amentes et somniantes elicunt, Conc.; refert hunc dolorem haberi in membro amputato, pariter refert ea quae existimant somniantes et amentes esse vera seu conformia rebus, Neg.; haec enim sunt foetus judiciorum mediatorum.

§ 4. De certitudine existentiae subjecti cogitantis et corporis proprii.

Thesis 9. Ex his quae sensus intimus refert, certo constat existentia subjecti cogitantis et corporis proprii.

154. Notiones. Corpus intelligitur heic id quod est extensum, seu ex partibus (puta ex moleculis, ex organis) constat et in has resolvi potest; et quod insuper est resistens. — Resistere autem est impedire aliud ab occupatione simultanea ejusdem loci proprii.

PROB. Ut ex iis quae sensus intimus refert, existentia subjecti cogitantis et corporis proprii certo constet, sufficit ut sensus intimus referat: a) nos esse cogitantes; b) nos esse extensos et resistentes. Atqui sensus intimus haec refert. Ergo.

Probatur secunda pars minoris (nam prima probatione non indiget). Sensus intimus refert:

1. *Nos esse extensos*: refert enim a) nos diversis modis

modificari, puta calore, siti, fame, frigore, etc.; b) nos sic modificari in diversis continuisque partibus, et proin c) nos esse in iisdem partibus, seu nos esse extensos.

2. *Nos esse resistentes*. Sensus intimus refert partes extensas esse impenetrabiles ceteris, seu has partes impedire ne ceterae simul eundem locum occupent. Ergo.

ARTICULUS II.

DE CERTITUDINE EXISTENTIAE CORPORUM EXTERIORUM EORUMQUE QUALITATUM, SENSUO OPE COMPARATA.

§ 1. De existentia corporum exteriorum per sensus externos certificata.

155. Notiones praeviae. Uti articulo primo dictum est, homo non tantum vita rationali, sed adhuc vita vegetativa et vita sensitiva vivit; operationibus autem vitae vegetativae et vitae sensitivae inserviunt organa; organa operationibus sensitivis destinata vocantur sensoria.

Operationes vitae sensitivae et vitae rationalis ad Psychologiam, et ad Logicam spectant. Psychologia enim naturam horum actuum naturamque principii eos elicientis rimatur; Logica has operationes spectat in quantum sunt fons cognitionis certarum, seu materiam praebent judiciis certis.

2. Ex his quae in Metaphysica speciali discutiuntur, constat varia esse elementa sensationis adaequate inspectae. Si enim de sensibus externis agitur, motus imprimitur in sensoria; hic motus ad cerebrum propagatur; in cerebro fit reactio; motus reddit ad sensoria propria; ob specialem structuram sensoriorum, attemperatorum sensibili cognoscendo, vi istius motus educitur ex potentia sensorii species impressa formaliter vel virtualiter representativa qualitatis corporeae; potentia sensitiva, per hanc speciem informata, immanenter sibi gignit speciem expressam qua objectum sensibile apprehendit, illud-

que in se quadantenus exprimit. — Animadvertisendum est sensationibus cognosci corpora uti sunt praesentia, concreta, in organis agentia. Igitur non semper percipiuntur corpora uti sunt *in se*: sic solis magnitudo non percipitur uti est in sole, sed uti appetet per modificationem organi. — Porro motus impressus et species impressa sunt elementum *materiale* sensationis; species expressa est elementum *formale*.

3. *Sensus seu sensibilitas*, est facultas cognoscendi, organorum ope, corpora singularia concrete et secundum qualitates suas.

4. Sensibilitas est vel externa vel interna:

a) *Externa* percipit corpora per organa in superficie corporis sita. Eam complecti quinque partes, sive quinque sensus extenuos, (visum, auditum, tactum, gustum, olfactum), patet; α) tum quia quinque sensoria externa deputantur cognitionibus sensibilibus; β) tum quia corpora cognoscuntur secundum quinque objecta formalia diversa, nempe qualitates proprias.

b) *Interna* percipit corpora per organa quae in superficie corporis non apparent. Comprehendit in brutis, saltem perfectionibus, sensum communem, phantasiam, aestimativam, memoriam. Per sensibilitatem internam cognoscitur tum corpus praesens, tum corpus absens olim sensu externo perceptum.

$\ddot{\alpha}$. Sensus externus vel est vel non est *per se* discretivus objecti. — a) Prior natus est cognoscere immediate objecta tanquam a se distincta; b) posterior *per se* percipit modificationem organi; corpus vero, quod modificationem determinavit, attingitur per alium sensum.

156. Status quaestio[n]is. Ex his quae sensus intimus nobis refert, non tantum homo intellectu cum certitudine judicat esse cogitatem et corporatum, sibi esse quinque sensus extenuos; sed insuper judicat quosdam sensus repraesentare corpora tanquam externa et a se distincta. Etenim sensus intimus refert sensations visus repraesentare varios homines, animalia, plantas, solem, stellas. quae omnia nobis apparent esse a nobis distincta; pariter sensations tactus repraesentare objecta tanquam distincta. Aliae autem sensations, juxta non paucos, repraesentant modificationes organicas.

Circa haec omnia, a sensu intimo renuntiata, elici potest ab

intellectu duplex judicium, alterum *immediatum* asserens haberi modificationes organicas repraesentantes sive ipsas has modificationes, sive corpora tanquam extrinseca nobis; alterum *mediatum* asseverans his sensationibus realiter respondere objectum distinctum, seu existere corpora exteriora (1). Prius judicium esse infallibiliter verum ex dictis articulo praecedenti probatum relinquitur. Im-praesentiarum quaeritur num, eo quod sensus externi repraesentant nobis corpora tanquam a nobis distincta, intellectus cum certitudine concludere possit talia *corpora existere*. Quae quaestio duo involvit: a) Num intellectus *certus esse possit de corporum exteriorum existentia*; b) an motivum cur certus sit, *ex sensibus extenuis depromatur*, h. e. an intellectus sit certus *quia sensus externi repraesentant corpora ut distincta*.

DE PRIMA QUAESTIONE sunt duae sententiae:

I^a est scepticorum *objectivorum* qui *idealiste* nuncupantur. Negant certitudinem haberi *de corporum exteriorum existentia*. — Ratio praecipua est quod corpora in seipsis attingi deberent, ut de eorum existentia certitudo comparari possit. Sensus autem, aiunt, non attingunt corpora in seipsis, sed repraesentationes duntaxat eorum, quae nobis sunt intranea.

Idealistae duplicitis sunt classis, pro dupli causa quam repraesentationibus corporum assignant:

a) Juxta idealistas *subjectivos*, quorum tempore moderno dux est Fichtius (1762-1814), haec causa est *spontanea et inconscia activitas του εγω*.

b) Juxta idealistas *objectivos*, et speciatim juxta episcopum angulum Berkeley (1684-1753), haec causa est Deus, qui ita has repraesentationes producit in nobis, ut de corporum existentia nulla certitudo haberi queat.

II^a SENTENTIA est dogmaticorum affirmantium *certam nobis esse corporum existentiam*.

(1) Judicium intellectus etiam est mediatum eo sensu quod intellectus non attingit corpora immediate, sed mediantibus repraesentationibus sensuum. Judicium potest dici immediatum eo sensu quod per repraesentationes sensuum corpora ipsa coram intellectu se sistunt.

DE SECUNDA QUAESTIONE dogmatici in tres sententias abeunt :

1. Juxta auctores scholae scoticae, ducibus Reidio (1710-1796) et Dugaldo Stewart (1753-1828), certitudo de corporum existentia habetur, quia *necessario naturae instinctu*, quem vocant *sensum communem*, *impellimur ad id judicandum*.

2. Juxta Cartesium (1596-1650) et Malebranchium (1638-1713), certitudinem habemus ob *veracitatem divinam*, h. e. propterea quod si corpora non existerent, Deus nos in invincibilem errorem induxisset.

3. Juxta Aristotelem et scholasticos, certitudinem habemus de corporum existentia, quia *sensationes nobis repraesentant corpora tanquam distincta a nobis*, et quia hae sensationes in nobis haberri non possunt, nisi per corpora a nobis distincta fuerint determinatae (1).

RESOLVITUR PRIMA QUAESTIO.

Thesis 10. Certa est corporum a nobis distinctorum existentia.

157. PROB. Causa determinans modificationes quinque externorum sensoriorum, praesertim visus et tactus, repraesentantes corpora tanquam a nobis distincta, est vel intrinseca nobis vel extrinseca; si est extrinseca, ulterius vel est corpus ipsum repraesentatum, vel est Deus, corporibus existentibus, vel est Deus, corporibus non existentibus. Atqui absurdum foret asserere, 1^o hanc causam esse intrinsecam nobis; 2^o hanc causam esse Deum, corporibus non existentibus.

Ergo causa determinans modifications sensoriorum, repraesentantes corpora tanquam a nobis distincta, est vel corpus ipsum, vel Deus, corporibus existentibus. Atqui sive primum dicatur sive secundum, certa est corporum a nobis distinctorum existentia. Ergo haec est admittenda tanquam certa.

Probanda est utraque pars minoris prosyllogismi.

I. CAUSA INTRINSECA NOBIS NON DETERMINAT MODIFICATIONES SENSORIORUM REPRAESENTANTES CORPORA TANQUAM DISTINCTA.

I^m ARG. Petitor eo quod nos habemus *passivos* in excitatione

(1) Cfr. BALMÈS. *Philos. fondam.* L. I, ch. 9, 10, 11, 12.

harum modificationum : Si causa intrinseca excitaret has modifications, essemus activi in his excitandis; sensus autem intimus, qui omnia interna nobis refert, hanc actionem referret. Atqui refert nos esse passivos, nendum referat nos esse activos. Ergo causa intrinseca nobis non excitat has modifications repraesentativas corporum.

Decl. Min. Aperiens oculos, velit nolit, videbit res coram se positas; rebus autem iis ab aliquo ablatis, velit nolit, eas jam non videbit, nec tanget, nec audiet.

II^m ARG. Petitur ex discrimine inter cognitiones sensibiles prius per sensus externos habitas, et cognitiones earumdem rerum deinde per phantasiam revocatas :

Repraesentationes diversarum rerum per sensus habitae, a representationibus earumdem rerum per phantasiam habitis, differunt : a) ratione successionis; b) ratione dependentiae unius ab altera; c) ratione variabilitatis. Sic Lovanii commoranti, et per sensus visus tactusve Lutetiam sibi repraesentare volenti, transeundum est per determinatam seriem perceptiōnum visus tactusve, ita ut pro libitu Lovanio Lutetiam transire nequeat; contra vero, ut repraesentatio Lutetiae, antea per visum tactumve habita, postea per phantasiam revocetur, penes quemque est sive totam seriem, sive partem repraesentationum rerum Lovanium inter Lutetiamque habitarū omittere; sive etiam quidquid voluerit in rebus Parisiensibus olim perceptis mutare. — Patet causam repraesentationum phantasiae esse intrinsecam. Contendimus autem causam repraesentationum sensuum, vi discriminis cum prioribus, non posse esse intrinsecam nobis. Sic igitur arguimus :

Illud non est causa excitans modifications sensoriorum externorum repraesentantes corpora distincta a nobis, quod non valet reddere rationem discriminis inter has repraesentationes et repraesentationes per phantasiam habitas. Atqui causa intrinseca nobis non valet reddere rationem hujus discriminis. Ergo.

Patet minor quod si haec causa esset intrinseca, perceptiones per sensus habitas variare possemus; non exigent determinatam successionem; a se mutuo non penderent.

158. II. DEUS, CORPORIBUS NON EXISTENTIBUS, NON EST CAUSA DETERMINANS MODIFICATIONES SENSORIORUM EXTERNORUM REPRÆSENTANTES CORPORA TANQUAM A NOBIS DISTINCTA.

PROB. Repugnat Deum inducere hominem artificiose in errorem invincibilem : hoc enim adversatur ejus veritati ejusque bonitati. Atqui eo quod Deus, corporibus non existentibus, excitaret modificationes quinque sensoriorum externorum repræsentantes corpora tanquam a nobis distincta, hominem in errorem invincibilem induceret artificiose. Ergo repugnat Deum, corporibus non existentibus, excitare, etc.

Prob. 1^a pars Min. Deus hominem induceret in errorem. Deus enim produceret in nobis repræsentationes quae nos impellerent ad judicandum : a) his repræsentationibus respondere objecta quae tamen eis non responderent; b) haec objecta excitare has repræsentationes, licet earum causae non essent. Atqui hoc est inducere hominem in errorem. Ergo.

Prob. 2^a pars Min. Iste error esset invincibilis. Ad hunc enim errorem admittendum, homo ferretur per ipsammet naturam suam, nec ullum ei suppetaret medium hunc errorem deponendi. Atqui talis error est invincibilis. Ergo.

Prob. 3^a pars Min. Deus hominem induceret artificiose in errorem. Nobis enim dedit Deus varia sensoria, quae aptissime disponuntur ad diversas corporum qualitates repræsentandas; inspecta eorem indole, primum est concludere existere extra nos id quod per ea repræsentatur. Ergo si Deus ipse has modificationes in nobis immediate excitaret, corporibus non existentibus, artificiose nos falleret.

159. CONTRA 1^m PART. MINORIS PROSYLL. Obj. 1. Causa excitans has modificationes *debet* esse intrinseca nobis : Sensatio est actus immanens (h. e. actus quem principium agens producit in seipso). Atqui causa determinans actum immanentem est intrinseca nobis. Ergo.

RESP. *Dist. Maj.* Sensatio secundum elementum formale, seu *species expressa*, est actus immanens, *Conc.*; secundum cetera elementa, *Neg.*; *Conc. Min.*; *Dist. Cons.* Causa determinans sensationem, h. e. *speciem expressam*, est intrinseca nobis, *Conc.*; causa *motus nervi et speciei impressae*, *Neg.*

Obj. 2. Causa excitans istas modificationes *potest* esse intrinseca : Modificatio sensorii externi et cognitio sensibilis praecedens potest esse causa determinans subsequentem modificationem et cognitionem. Atqui haec modificatio praecedens nobis est intrinseca. Ergo.

RESP. a) Saepe in praecedenti modificatione et cognitione nulla habetur ratio subsequentis. b) Eadem modificatione sensorii externi et cognitione habita, modo sequitur una, modo alia modificatio et cognitio, pro diversa determinatione voluntatis, quae ponit unam vel alteram conditionem, v. g. vi cuius huc vel illuc pergitur, abrumptur iter vel continuatur, etc. Unde *Dist. Maj.* Modificatio praecedens potest excitare subsequentem, nisi obstet duplex ratio allata, *Transm.*; *his obstantibus*, *Neg.*; *Conc. Min.*; *Dist. Cons.*

Obj. 3. CONTRA 2^m PART. MINORIS PROSYLL. Deus, salvis omnibus attributis suis, potest actione sua positiva inducere omnem hominem in errorem. Ergo.

Prob. Ant. duobis modis : a) Error invincibilis et constans est malum physicum. Atqui Deus, salvis omnibus attributis suis, potest actione sua producere malum physicum. Ergo.

RESP. Neg. Ant. Ad prob. *Dist. Maj.* Error invincibilis est malum physicum quod, relate ad universum genus hominum, potest esse medium ad bonum altius comparandum, *Neg.*; *secus*, *Conc. Cdt. Min.* Deus potest velle per se malum physicum, *Neg.*; per accidens, *Subd. ratione alicujus boni altioris obtinendi*, *Conc.*; *secus*, *Neg.*, *Neg. Cons.*

b) Quod Deus reapse fecit, hoc iterum facere potest. Atqui Deus induxit homines in errorem invincibilem. Ergo Deus potest inducere homines in errorem invincibilem.

Prob. Min. Olim homines omnes persuasum habebant, idque invincibiliter, sensibilia propria inesse corporibus; haec autem persuasio, utpote a natura exoriens, Deum habet auctorem. Atqui hoc erroneum esse docet hodierna Physica. Ergo persuasio invincibiliter erronea Deo ceu auctori adscribi potest.

RESP. *Conc. Maj.*; *Neg. Min.* Ad prob. a) *Dist. Maj.* Omnes persuasum habebant sensibilia propria inesse corporibus *cau-*

saliter, Conv.; inesse corporibus formaliter, Subdist. et haec persuasio, si esset erronea, de quo heic praescindimus, et quod falsum esse contendimus in Cosmologia, esset invincibiliter erronea, Neg.; esset vincibiliter erronea, Conc. b) Trāsm. Maj.; Neg. Min. de qua in Cosmologia.

160. DIRECTE CONTRA THESIM. Obj. 4. In somnio habentur imagines rerum quibus tribuumus objectivam realitatem, licet haec ipsis non conveniat. Ergo fieri potest ut, cum existimamus nos vigilare, idem contingat; quid enim probat vigiliam esse veram vigiliam?

RESP. Neg. *paritas*: 1) Inter varia somnia nullus habetur nexus; 2) in somnio deest distincta apprehensio duplicitis speciei perceptionum, videlicet phantasiae et sensuum; 3) in somno deficiunt usus sensuum externorum, vis reflectendi, exercitium libertatis; haec autem tria adsant statui vigiliae.

Obj. 5. Ut certi esse possemus de existentia corporum, corpora ipsa percipere deberemus. Atqui non percipimus corpora, sed ideas tantum, quae sunt representationes corporum. Ergo certi esse non possumus corpora existere.

RESP. Conc. Maj. Dist. Min. Non percipimus nisi ideas, h. e. ideae, accipiendo hanc vocem pro omni representatione cognoscitiva, sunt *id quo* percipimus corpora, Conc.; ideae sunt *id quod* percipitur, ita ut corpus non percipiatur, Subdist. *id quod directe* percipitur est idea, Neg.; *id quod reflexe* percipitur est idea, iterum Subdist. potest fieri reflexio psychologica in ideam, Conc. non potest fieri reflexio ontologica in objectum ideae, Neg.

RESOLVITUR SECUNDA QUAESTIO.

161. Inquirendum manet quodnam sit motivum certitudinem de corporum externorum existentia gignens.

Thesis 11. Modificationes sensoriorum externorum representationes corpora tanquam a nobis distincta determinantur per ipsam corpora.

PROB. Hae enim modificationes determinantur vel a Deo, vel ab ipsis corporibus. Atqui non determinantur a Deo. Ergo.

Prob. Min. Sola ratio asserendi Deum eas modifications determinare, esset quod corpora destituerentur virtute activa agendi in organa nostra. Atqui hoc esse falsum probabitur in ontologia, quando de occasionalismo agetur. Ergo asseri nequit Deum has modifications determinare.

CONF. Si Deus, etiam corporibus existentibus, has modifications determinaret, in errorem invincibilem induceremur a Deo, nam omnes homines constanter et universaliter has modifications corporibus, tanquam earum causis realiter existentibus, adscribunt.

162. Coroll. 1. Ergo sensus externi sunt fons certitudinis de corporum existentia. Corpora enim agunt eos modificando, efficiendoque ut gignatur sui representationis sensibilis. Sensus externi hanc corporum representationem intellectui renuntiant; qua sibi renuntiata, intellectus de corporum existentia judicium certum elicit.

Coroll. 2. Ergo certitudo naturalis existentiae corporum non innititur revelationi.

Coroll. 3. Ergo haec certitudo etiam non innititur antea demonstratae existentiae Dei. Fit quidem hypothesis Dei existentis et ostenditur hanc hypothesis exigere ut existant corpora; qui autem absurde negaret Deum existere, hanc hypothesis examinationam non haberet.

163. Obj. Corpora non possunt determinare modifications organicas rerum representationis: Quod enim effectui non est proportionatum, non est ejus causa; nam causa, vi principii causalitatis, cum effectu proportionatum habere debet. Atqui nulla proportio inter sensationem et corpus externum. Ergo corpus externum non est causa producens sensationem.

RESP. Neg. Ant. Ad prob. Dist. Maj. Illud non est causa effectus, quod consideratum una cum *causa materiali*, non est proportionatum effectui, Cone.; quod ex se solo, *omissa causa materiali*, non est proportionatum, Neg. Cdt. Min. Nulla proportio inter corpus et sensationem, *uti haec est cognitione*, Cone.; *uti dicit speciem impressam*, quae efficienter a sensibili exteriori dicitur educi ex potentia sensus, Subd. Inter hanc speciem et corpus tamquam causam efficientem, *omissa causa*

materiali nempe organo, non habetur proportio, *Cone.*; inter speciem impressam ex una parte et corpus externum una cum organo ex altera parte, nulla est proportio, *Neg. Dist. Cons.* Corpus non est causa sensationis uti haec dicit formalem cognitionem, *Cone.*; uti dicit motum nervorum et speciem impressam, *Neg.* — Ad prob. majoris *Dist.* uti ad majorem.

§ 2. De qualitatibus corporum.

164. Ex his quae sensus externi referunt, cum certitudine judicat intellectus existere corpora. Ulterius inquiritur num ex sensuum renuntiatione, certo judicet intellectus corpora instrui qualitatibus, per sensations repraesentatis.

Notiones praeviae. 1. Qualitas corporea, sive *sensibile*, est id secundum quod corpus concretum sensu attingitur; dicitur esse *objectum formale sensus*.

2. Qualitas corporea est *sensibilis per se vel per accidens*:

- a) *Sensibile per se* est id secundum seipsum attingitur.
- b) *Sensibile per accidens* est id secundum se per sensum attingi nequit, sed est realiter conjunctum illi rei quae sensu attingitur. Sic sensus percipit coloratum; si colorato subest homo, hic dicitur sensibilis per accidens.

3. Qualitas corporea sensibilis per se, vel est *propria* vel est *communis*: a) *Propria* est ea quae uno tantum sensu attingitur, seu qua corpus in unum determinatum sensum agit. b) *Communis* est ea quae pluribus sensibus attingitur, seu qua corpus in plures sensus agit; tales sunt figura, magnitudo, distantia, motus: visu enim et tactu cognoscuntur.

4. Qualitates propriae dividuntur secundum diversos sensus; corpus nempe attingitur: a) *Visu*, in quantum est coloratum; hinc color est *objectum formale visus*. b) *Auditu*, in quantum est sonorum, ita ut sonus sit *objectum formale auditus*. c) *Gustu*, in quantum est sapidum vel dissipidum. d) *Olfactu*, in quantum est odoratum. e) *Tactu*, in quantum est grave vel leve, calidum vel frigidum, durum vel molle; hinc *gravitas...* etc. sunt qualitates tactus, sive ejus *objecta formalia*.

165. Quaestio tractanda. Quoad *sensibilia communia* conten-

dunt dogmatici ea percipi *uti sunt in se*, seu *formaliter*, dummodo sensus sequentibus *conditionibus* sint vestiti: a) Ut sint *sani*; b) ut sint *apte dispositi*, h. e. ut pro intrinseca organorum dispositione idonei sint ad percipienda *objecta*; c) ut sint *rite applicati*, h. e. ut conjugantur cum *objectis* eo modo qui requiritur ad distinctam apprehensionem; d) ut perceptio fiat non uno tantum sensu, *sed pluribus*.

Quoad *sensibilia propria* asserunt dogmatici *sensus rite dispositos et rite applicatos ea percipere, uti communiter ab hominibus percipiuntur*. — Utrum corporibus insint *formaliter*, aut tantum causaliter dispicietur in Cosmologia.

Num sensus sint apte dispositi et applicati, cognoscitur ex saepius repetitis sensationibus ad diversas ab eodem *objecto* distantias, comparando sensations diversorum sensuum si agitur de *sensibilibus communibus*, denique earum comparatione cum sensationibus ceterorum hominum.

Thesis 12. Sensus debitiss conditionibus instructi, ab omni errore sunt immunes in referendis corporum qualitatibus, sive propriis sive communibus.

166. PROB. I^m ARG. Petitur ex *natura sensuum uti sunt potentiae*. Quaevis potentia necessario agens, infallibiliter consequitur actum, ad quem naturaliter ordinatur, dum adsint conditiones debitae. Atqui sensus necessario agunt; quivis sensus naturaliter ordinatur ad actum repraesentativum *sensibilis proprii*; plures sensus simul exerciti, puta *visus et tactus*, ordinantur ad percipiendum *sensibile commune*. Ergo.

Patet major ex natura ipsa potentiae necessario agentis.

Patet minor quia, testante sensu intimo, quoties ponuntur conditions requisitae ex parte *objecti* et ex parte *subjecti*, corporum qualitates non possunt non apprehendi sensibus.

I^m ARG. Petitur ex *sine sensuum*. Finis proximus sensuum est homini repraesentare qualitates corporum et sic eum in harum cognitionem ducere. Atqui sensus instructi debitiss conditionibus, infallibiliter finem suum attingunt. Ergo.

Patet major, quia aliter non possumus acquirere cognitionem qualitatum corporearum nisi sensuum ope, et quia quo-

ties qualitates corporeas cognoscere volumus, ad sensus sponte recurrimus.

Prob. Min. Secus Deus instruxisset hominem mediis ad finem ineptis. Atqui hoc adversatur ejus bonitati et providentiae. Ergo sensus instructi debitibus infallibiliter finem suum attingunt.

167. Coroll. 1^m. Ergo judicium immediatum intellectus circa ea, quae sensus de corporum qualitatibus referunt, ab omni errore est immune.

Coroll. 2^m. Ergo intellectus cum certitudine judicare potest, ob relationem sensuum, existere corpus determinatum, illudque variis qualitatibus instrui.

168. Scholion 1^m. Sensus non percipit substantiam abstracte neque qualitatem abstracte; sed, per modum unius, concretum ex utroque coalescens; sic non percipit albedinem, colorem, calorem, motum, neque naturas quibus haec insunt; sed percipit album, coloratum, calidum, mobile aut movens. Intellectus ea, quae sensus refert, in duas ideas objectivas seu in duo objecta resolvit, in substantiam videlicet seu substratum et accidens, eaque iterum componit.

169. Scholion 2^m. Ut qualitas propria percipiatur, requiruntur haec tria: a) ut corpus agat in organa; b) ut organum modificetur; c) ut experimentaliter cognoscatur immediate sive corpus quod agit in organa, sive modificatio organica, qua mediante, corpus, eam modificationem causans, cognoscitur.

Modificatio organica, et proinde cognitionis corporis, potest esse varia pro variis speciebus animalium; varia etiam pro variis ejusdem speciei individuis, v. g. pro sanis et aegrotis. Igitur qualitates propriae cognoscuntur *relative*, h. e. in quantum organa modificantur per has qualitates.

170. Scholion 3^m. Phantasia est facultas reproducendi, objecto non praesente, sensationes olim per sensus habitas, easque diverso modo componendi. Phantasia duplenter suppeditat occasionem errori: a) Per judicium immediatum facile judicamus ea esse praesentia, quae phantasia nobis repraesentat; b) si organumphantasiae non est sanum, natura sensationum antea habitarum facile mutatur.

171. Obj. 1. Multa judicia erronea ponuntur circa distantiam corporum, circa motum eorum. Atqui ponuntur ex relatione sensuum, servatis conditionibus. Ergo.

Resp. Conc. Maj.; Neg. Min. Ut infallibiliter de his judicetur, plures sensus sunt applicandi, iisque rite dispositi; error oritur ex defectu applicationis plurium sensuum.

Obj. 2. Ut de qualitatibus propriis corporum certi esse possumus, requiritur ut certi simus organa nostra eodem modo modificari ac organa ceterorum. Atqui de hoc certi esse non possumus. Ergo.

Prob. Min. Quod uni sapit, alteri dissipit; quod uni est deliciis, alteri est nauseae. Atqui hoc est signum organa apud omnes non modificari eodem modo. Ergo.

Resp. Dist. Maj. Requiritur ut certi simus organa nostra eodem modo modificari ac organa omnium animalium, *Neg.*; eodem modo ac organa plerorumque hominum, *Conc.*; *Cdt. Min.* Nunquam certi esse possumus organa plerorumque hominum eodem modo modificari, *Neg.*; *omnium animalium, Transm.* — Ad prob. *Dist. Maj.* Quod uni sapit, alteri dissipit etc., ob diversam educationem, consuetudinem, praejudicia, ob diversitatem accidentalem organorum, *Conc.*; ob diversitatem *essentiale* organorum, *Neg.* unde *Neg. Min.* Animadvertere juvat illud discrimen non haberi quoad omnia: Sic nemo dicet glaciem esse calidam.

ARTICULUS III.

DE CERTITUDINE ACQUISITA PER AUCTORITATEM.

§ 1. Praenotiones.

172. Definitions. Ille qui rem, sibi notam, alteri eam ignorantibus manifestat, dicitur *testis*. — Actus, quo cognitionem manifestat, dicitur *testimonium*. — Actus autem intellectus, quo propositioni assensus praestatur ob testimonium testis, dicitur *fides*. — Id ob quod fides testimonio adhibetur, seu id quo testis fidem testimonio conciliat, dicitur *auctoritas testis*; baec

ties qualitates corporeas cognoscere volumus, ad sensus sponte recurrimus.

Prob. Min. Secus Deus instruxisset hominem mediis ad finem ineptis. Atqui hoc adversatur ejus bonitati et providentiae. Ergo sensus instructi debitibus infallibiliter finem suum attingunt.

167. *Coroll. 1^m.* Ergo judicium immediatum intellectus circa ea, quae sensus de corporum qualitatibus referunt, ab omni errore est immune.

Coroll. 2^m. Ergo intellectus cum certitudine judicare potest, ob relationem sensuum, existere corpus determinatum, illudque variis qualitatibus instrui.

168. *Scholion 1^m.* Sensus non percipit substantiam abstracte neque qualitatem abstracte; sed, per modum unius, concretum ex utroque coalescens; sic non percipit albedinem, colorem, calorem, motum, neque naturas quibus haec insunt; sed percipit album, coloratum, calidum, mobile aut movens. Intellectus ea, quae sensus refert, in duas ideas objectivas seu in duo objecta resolvit, in substantiam videlicet seu substratum et accidens, eaque iterum componit.

169. *Scholion 2^m.* Ut qualitas propria percipiatur, requiruntur haec tria: a) ut corpus agat in organa; b) ut organum modificetur; c) ut experimentaliter cognoscatur immediate sive corpus quod agit in organa, sive modificatio organica, qua mediante, corpus, eam modificationem causans, cognoscitur.

Modificatio organica, et proinde cognitionis corporis, potest esse varia pro variis speciebus animalium; varia etiam pro variis ejusdem speciei individuis, v. g. pro sanis et aegrotis. Igitur qualitates propriae cognoscuntur *relative*, h. e. in quantum organa modificantur per has qualitates.

170. *Scholion 3^m.* Phantasia est facultas reproducendi, objecto non praesente, sensationes olim per sensus habitas, easque diverso modo componendi. Phantasia dupliciter suppeditat occasionem errori: a) Per judicium immediatum facile judicamus ea esse praesentia, quae phantasia nobis repraesentat; b) si organumphantasiae non est sanum, natura sensationum antea habitarum facile mutatur.

171. *Obj. 1.* Multa judicia erronea ponuntur circa distantiam corporum, circa motum eorum. Atqui ponuntur ex relatione sensuum, servatis conditionibus. Ergo.

Resp. Conc. Maj.; Neg. Min. Ut infallibiliter de his judicetur, plures sensus sunt applicandi, iisque rite dispositi; error oritur ex defectu applicationis plurium sensuum.

Obj. 2. Ut de qualitatibus propriis corporum certi esse possumus, requiritur ut certi simus organa nostra eodem modo modificari ac organa ceterorum. Atqui de hoc certi esse non possumus. Ergo.

Prob. Min. Quod uni sapit, alteri dissipit; quod uni est deliciis, alteri est nauseae. Atqui hoc est signum organa apud omnes non modificari eodem modo. Ergo.

Resp. Dist. Maj. Requiritur ut certi simus organa nostra eodem modo modificari ac organa omnium animalium, *Neg.*; eodem modo ac organa plororumque hominum, *Conc.*; *Cdt. Min.* Nunquam certi esse possumus organa plororumque hominum eodem modo modificari, *Neg.*; *omnium animalium, Transm.* — Ad prob. *Dist. Maj.* Quod uni sapit, alteri dissipit etc., ob diversam educationem, consuetudinem, praejudicia, ob diversitatem accidentalem organorum, *Conc.*; ob diversitatem *essentiale* organorum, *Neg.* unde *Neg. Min.* Animadvertere juyat illud discrimen non haberi quoad omnia: Sic nemo dicet glaciem esse calidam.

ARTICULUS III.

DE CERTITUDINE ACQUISITA PER AUCTORITATEM.

§ 1. Praenotiones.

172. *Definitions.* Ille qui rem, sibi notam, alteri eam ignorantibus manifestat, dicitur *testis*. — Actus, quo cognitionem manifestat, dicitur *testimonium*. — Actus autem intellectus, quo propositioni assensus praestatur ob testimonium testis, dicitur *fides*. — Id ob quod fides testimonio adhibetur, seu id quo testis fidem testimonio conciliat, dicitur *auctoritas testis*; baec

est *objectum formale fidei* : respicitur nempe in objecto materiali et ob illud assensus mentis praestatur. — Porro fides habetur in testem quia ducitur cognoscere id quod refert, et non decipere. Igitur auctoritas testis in eo reponitur quod *nec decipitur nec decipit*, constat proinde *scientia et veracitate*.

173. Divisio. Assensus dividitur a) ratione testantis, b) ratione testati, seu objecti materialis cui fides adhibetur.

A. RATIONE TESTANTIS, fides est vel *divina* vel *humana* prout locutioni divinae vel humanae assensus praestatur.

1. Locutio divina communiter vocatur *revelatio*. Repugnat ut Deus infinite perfectus fallat aut fallatur; ideo, cum per signa indubia, qualia sunt miracula et prophetiae, constat Deum esse locutum, veritatibus revelatis *cum certitudine adhaerendum est*; assensum enim detrectare est summe injuriosum Deo.

Objectum materiale revelationis est sive veritas supernaturalis sive naturalis.

2) Veritas *supernaturalis*, h. e. quae solo rationis lumine attingi nequit, est duplex: Alia enim est de re cujus ratio intrinseca, etiam supposita revelatione de existentia rei, superat captum mentis. Dicitur *mysterium proprie dictum*. — 3) Alia est de re cujus existentia rationi est impervia, solaque revelatione innotescit; cuius vero essentia, supposita revelatione existentiae, non est inscrutabilis. Haec autem est *mysterium sensu minus stricto*. — Non repugnare ut dentur utriusque ordinis veritates, eo manifestum est quod ex una parte essentia et potentia Dei sunt infinite perfectae, quod ex altera parte limitata est vis intellectiva hominis, limitatusque est mundus e cuius consideratione hauriuntur omnes cognitiones naturales hominis.

3) Veritas *naturalis* h. e. quae per se humanae rationi impervia non est, revelari potest a Deo, sive quia in praesenti conditione generis humani ab omnibus, expedite, firma certitudine et nullo admixto errore, cognosci, citra revelationem, non potest, sive ut teneatur ab hominibus ob motivum fidei. At de his agit Theologia.

2. Fidem *humanam* ratione testis subdividi patebit ex mox dicendis. Etenim :

B. RATIONE MATERIAE, fides est vel *dogmatica*, vel *historica*, prout ob auctoritatem testis assensus praestatur doctrinae vel facti. Factum autem intelligitur id quod testes sensibus percipiunt. — Ratione facti diversa est subdivisio :

1. Sunt vel *permanentia*, qualis est existentia Urbis; vel *transientia*, quales sunt actiones humanae.

2. Sunt *propinqua* vel *remota*, sive tempore sive loco.

3. Facta, praesertim quae sunt tempore remota, ad nos usque transmitti possunt, a) sive *scriptis libris*, quibus aequiparantur alia quaedam monumenta, uti numismata, statuarum inscriptions; b) sive *sola traditione orali*, h. e. per successivas generationes quarum aliae aliis factum referuntur.

Quaeritur : a) quaenam objective certa esse valeant ob motivum auctoritatis humanae; b) quaenam probabilia tantum sint, ita ut mens per se in statu opinionis circa ea versetur.

§ 2. De certitudine factorum per auctoritatem comparata.

174. Praemittenda sunt nonnulla de legibus moralibus, ut fundamenta sequentium jacentur.

Lex moralis est modus agendi quem homines in quibusdam adjunctis constanter, licet libere, observant. Cum constanter et universaliter adhibeatur, concluditur eum in natura humana fundari, h. e. naturam impellere ad eum.

Variae leges morales : 1. Homines non mentiuntur cum emendacio nullum commodum speratur; praesertim cum solum incommodum sibi oritur. — Ratio est quod homines se naturaliter diligunt, et quod mendacium ut turpe habetur.

2. Homines, cum illud impedire penes eos est, non permitunt spargi mendacia e quibus documentum certe sibi oritur, et e quibus nullum bonum sibi sperare possunt.

3. Homo per naturam suam incitatur ad veritatem investigandam, praesertim si tria occurunt : a) si acquisitio veritatis operosa ipsi non est; b) si aliquod bonum ab assecutione veritatis speratur; c) si aliquod malum, veritate non acquisita, est timendum.

Providentiae divinae est tueri harum legum observantiam quarum observatio necessaria est bono et saluti societatis.

Thesis 13. Auctoritas testimonii humani certitudinem gignere potest de non paucis factis historicis, non tantum coaevis, sed et anteactae aetatis.

175. I^a PARS. *De factis coaevis.*

Prob. Ut auctoritas certitudinem de factis coaevis gignat, sufficit ut certo constet scientia et veracitas testium haec facta referentium. Atqui circa facta plurima coaeva de utraque certo constare potest. Ergo auctoritas certitudinem gignere potest de non paucis factis coaevis.

Prob. Min. Circa certa quaedam facta, sequentia possunt simul et certo occurtere : a) Factum de quo agitur est publicum et obvium, maximique momenti; b) testes multi, iisque aetate, educatione, ingenio, studiis, moribus, religione diversissimi, consentire possunt in eo affirmando; c) hi testes ex affirmatione nullum lucrum reportant, quinimmo damna patientur; d) sunt quorum intererat contradicere, quibus integrum fuit contradicere et qui tamen non contradixerunt. — Atqui in talibus adjunctis certo constat de scientia et veracitate testium. Ergo certo constare potest veracitas, etc.

Prob. Min. Patet constare de *scientia* testium, siquidem ad hoc sufficit ut constet sensus rite fuisse dispositos et rite applicatos. — Probatur duplicitate constare de *veracitate* :

1. Illud est certum quod habet rationem sufficientem et cuius oppositum nullam haberet rationem sufficientem. Atqui habetur ratio sufficiens veritatis testium in his adjunctis, amor videlicet veritatis; nulla autem exstat ratio sufficiens cur in his adjunctis alii falsum affirmassent, alii vero non contradixissent. Ergo in his adjunctis certa est veracitas testium.

Patet major quia principium rationis sufficientis est analyticum et immediatum, ut probabitur in *Ontologia*; analytica autem principia esse certa articulo sequenti probabuntur.

2. Bonum societatis humanae, cui providet divina Providentia, requirit ut, in talibus adjunctis, testibus haud desit veracitas — Imo in hujusmodi adjunctis testes non tantum non decepterunt, sed ne potuissent quidem decipere, si voluissent.

OBSERVA. Etiamsi testes essent pauci, tamen a) si nullum lucrum ex allegatis oritur, quinimmo si multum detrimenti evenit, b) si narrant factum publicum, c) si nemo contradicit, vel si quis spe commodi allactus, in medio ponit rationes spernendas, certitudo de facto relato haberi potest.

176. II^a PARS. *De factis praeteritis.*

Probatio bifariam dividetur : *Certitudo de nonnullis gigni potest : 1. Traditione orali; 2. testimonio scripto.*

A. Testimonio tradito. Habentur facta quae sunt publica, illustria, vestita characteribus supra descriptis; eorum autem memoria ad nos usque manare potest per traditionem quae sit a) *perpetua* h. e. quae pertingit ad factum usque, per successivas testium series; b) *ampla* h. e. talis ut nullo tempore desierint haberi plures testes; ista amplitudo potest esse tanta, ut integrae nationes, eaeque plures, memoriam facti sancte custodierint, idque celebraverint festis, ludis, caeremoniis. Atqui in talibus adjunctis certitudo gignitur per traditionem. Ergo certitudo de nonnullis factis gigni potest testimonio tradito.

Prob. Min. Ut enim per traditionem certitudo habeatur, sufficit ut constet de veracitate et de scientia singularum serierum testium. Atqui in adjunctis modo descriptis certitudo de his datur. Ergo in his adjunctis gignitur certitudo per traditionem.

Prob. Min. Nobis constat eos qui immediate nobis factum referunt, a) rite perceperisse sibi narrata; b) veraces fuisse in nobis tradendo narrata. Pariter singulis testium seriebus certa erat scientia et veracitas serierum antecedentium.

B. Testimonio scripto. Ut de factis, quae per monumenta scripta referuntur, certitudo habeatur, sufficit ut certo constet : a) de *authentia* seu genuinitate libri, h. e. librum esse scriptum ab eo qui fertur fuisse ejus auctor; b) de *substantiali integritate* h. e. nihil quod ad substantialiam facti relati pertinet, fuisse demptum, additum, corruptum; c) de *scientia et veracitate auctoris libri*, h. e. eum circa factum relatum nec deceptum fuisse nec decipere voluisse. Atqui nonnunquam haec certo constare possunt. Ergo nonnunquam de factis, per monumenta scripta narratis, haberi potest certitudo.

Prob. Min. a) *De authentia libri constare potest.* Certitudo enim acquiritur tum per *indicia intrinseca*, qualia sunt stylus

et adjuncta orationis; tum per *indicia extrinseca*, praesertim eo quod ab omnibus hac aetate viventibus, talis liber ut authenticus habitus est, vel quod ut authenticus habetur ab aliis auctoribus quos authenticos esse probatur constanti et universalis existimatione.

b) *De substantiali integritate certitudo comparatur tum eadem via, tum quod auctores ejusdem aetatis vel proxime sequentis, idem factum, ex hoc libro deceptum, referunt.*

c) *De scientia et veracitate auctoris libri constare potest.* Applicatis enim regulis de testibus, probatur : a) factum relatum interdum esse tale ut corrumphi haud potuerit; b) auctorem esse probum, satis pro facto relato eruditum; c) haberi alias auctores qui non contradixerunt et tamen contradixissent, nisi idem pro vero habuissent.

§ 3. *De probabilitate ex motivo auctoritatis.*

177. De argumentatione probabilis in genere. 1. Propositione potest esse probabilis a) *per se* h. e. praedicatum probabiliter convenire subjecto cerni potest ex consideratis solis his terminis; b) *per aliud*, h. e. praedicatum probabiliter convenire subjecto potest menti apparere ex collatione utriusque cum medio, cui utrumque probabiliter convenit, vel unum probabiliter, alterum certo. Ex tali collatione conclusionem deducere, est facere argumentationem probabilem per *syllogismum dialecticum*.

2. Definitur argumentatio probabilis : argumentatio legitima quae ex praemissis, quarum una saltem est probabilis tantum, probabilem colligit conclusionem.

OBSERVA : a) Nexus inter antecedens et consequens est certus; b) deveniendum est ad propositiones *per se* probables : nam deveniendum est ad propositiones primas, hae autem certae esse non possunt, secus enim haberetur demonstratio. Ergo probables sint oportet.

3. Argumentatio probabilis institui potest : a) *circa facta interna*, ex motivo solidio, non tamen infallibili, colligendo eorum naturam, originem; b) *circa facta externa* per sensus externos apprehensa, quando v. g. certum non est sed proba-

bile, sensus fuisse rite dispositos, rite applicatos; c) *circa ideas* uti dicetur postea.

178. *De probabilitate ob motivum auctoritatis :* 1. Factum historicum, per testes immediatos relatum, vel transmissum per traditionem testimonium scriptum, saepissime est probabile, summe probabile, non vero objective certum seu evidens. Illud contingit quando : a) probabilis est, non tamen certa, veracitas et scientia testium immediatorum, seu quando motiva solida suadent utramque, at non ostendunt oppositum esse impossibile; b) quando probabile est, non tamen certum, traditionem vel testimonium scriptum omnibus ornari conditionibus quibus sunt vestienda.

2. *De doctrina autem quae docetur, quaeritur :* a) Utrum ob motivum auctoritatis peritorum, esse possit objective certa, an probabilis dumtaxat. b) Utrum eo quod circa aliquam doctrinam habetur consensus communis, h. e. eo quod homines unanimitate morali assensum huic praestiterint sine formidine oppositi, dicenda sit objective certa, an probabilis.

I^a QUAESTIO.

Thesis 14. Auctoritas hominum sapientium sive arte peritorum, certam non facit doctrinam, sed probabilem dumtaxat.

179. I^a PARS. *Sensus.* Doctrina ab aliquo edocta, potest probari per motiva infallibilia, petita ex natura rei, ita ut sit *extrinsecus certa*; at certa non est ex auctoritate proponentis.

PROB. Ut certa sit doctrina ob motivum auctoritatis, certum esse deberet docentes nee falli nec fallere. Atqui numquam certum est sapientes vel arte peritos nee fallere nec falli. Ergo auctoritas sapientium sive arte peritorum numquam certam facit doctrinam.

II^a PARS. PROB. Illud facit doctrinam *extrinsecus probabilem*, quod natum est virum prudentem movere ad assensum suum praestandum. Atqui auctoritas sapientium sive arte peritorum est motivum tale. Ergo.

180. *Coroll. 1.* (Ad 1^m partem). Ergo non est jurandum in verba magistri.

Coroll. 2. Ergo tanti facienda est auctoritas in ordine ad certitudinem habendam, quanti argumentum allatum.

Coroll. 3. (Ad 2^{ma} partem). Peritis in arte credendum est.

Scholion. Testimonium dogmaticorum, seu magisterium, omnibus apprime utile, imo pernecessarium est; cognitis scientia et veritate docentis, prudenter assensus praestatur doctrinae propositae. — Haec manifestiora sunt quam uti iis demonstrandis immoremur.

1^{ra} QUAESTIO.

181. Consensus moraliter unanimis versari potest circa doctrinas duplicis ordinis : 1) Circa illas quae sunt *fundamentum ordinis intellectualis, moralis et socialis*, h. e. circa doctrinas quarum cognitio est necessaria societati humanae, ut *ordo socialis, moralis et religiosus servetur*. Tales sunt propositiones : Existit Deus; existit altera vita; bonum est facendum; malum est vitandum; jus cuique suum tribuendum; religio est necessaria. Vocantur *veritates sensus naturae*. — 2) Circa doctrinas quae non sunt tale fundamentum. Porro contendimus consensum moraliter unanimen non dare *per se*, h. e. *ratione consensus ipsius, certitudinem doctrinae. Per accidens autem, ratione materiae* circa quam versatur, certa est veritas *sensus naturae*.

Thesis 15. Consensus communis non gignit certitudinem per se, sed per accidens tantum, quando ejus objectum est fundamentum ordinis intellectualis et moralis.

182. I^{ra} PARS. PROB. I^{ma} ARG. Homines olim existimaverunt consensu moraliter unani non haberi antipodes, solem moveri circa tellurum immobilem, cometas influxum in eventus habere. Haec tamen erronea sunt. Ergo consensus moraliter unanimis haberi potest circa falsa, et proin per se certum non facit objectum circa quod versatur.

II^{ma} ARG. Nulla necessitas habetur cur omnes homines non valerent errare, in re aliqua parvi momenti, cuius notitia necessaria non est, cui rite observandae non suppetunt media, quae pravis concupiscentiis blanditur. Ergo consensus per se non est motivum certitudinis.

II^{ra} PARS. PROB. Ex absurdo. Repugnat ut error sit necessarius societati entium intelligentium; repugnat ut sit fundamentum necessarium ordinis intellectualis et moralis. Ergo ea circa quae, tanquam necessaria societati humanae et fundamentum ordinis intellectualis et moralis, assensus praestatur moraliter unanimis, sunt objective certa.

Scholion. Consensus unanimis circa veritates praedictas, oriri non potest ex praejudiciis, ex legislatorum fraude, ex educatione, metu, illusione, pravitate; demonstratur fusius in Theodicea ubi probatur Dei existentia ex consensu omnium populorum in agnoscentia hac Dei existentia.

183. Dices contra I^{ma} partem : Consensus communis per se certitudinem gignit. Ergo falsa est haec pars.

Prob. Ant. Judicia quae ab omnibus constanter et uniformiter elicuntur, procedunt a natura rationali. Atqui judicium procedens a natura rationali, per se est certum. Ergo judicia, quae ab omnibus constanter et universaliter elicuntur, sunt certa.

Resp. Dist. Maj. Haec judicia procedunt a natura rationali judicante sive *ob motivum infallibile*, sive *ob influxum voluntatis, Conc.*; a natura rationali *immuni ob influxu voluntatis, Subdist.* si assensus praestatur *doctrinis necessariis societati humanae, Conc.*; si *aliis doctrinis assensus praestatur, iterum, Subdist.* et hoc *evidenter appetat*, proinde gignere potest certitudinem, *Neg.*; et hoc est *probabile*, adeoque opinionem gignere potest, *Conc. Cdt. Min.*

ARTICULUS IV.

§ 1. *Notiones praeviae. — Status quaestionis.*

Iis quae exposita fuerunt in dialectica de idea et de judicio, nonnulla sunt addenda circa judicium analyticum et syntheticum.

184. A. DE JUDICIO ANALYTICO. 1. Omnis propositio enuntiat praedicatum convenire subjecto. — Si citra experientiam co-

gnoscitur praedicatum essentialiter subjecto convenire, propositio est *analytica*. — Duplex est propositio *analytica*:

a) Vel enim *directe* ostenditur propositionem esse *analyticam*; sive aliter analysi instituta subjecti, vel praedicati, vel alias rei, cerni potest praedicatum esse inter notas subjecti vel ab iis exigi. Talis propositio dicitur esse *analytica stricto sensu*. — Sic analysi facta subjecti « *totius* » videtur praedicatum « *esse sua parte majus* » esse inter notas subjecti. — Analysi facta « *mundi* », cernitur praedicatum « *existere a se* » convenire Deo. — Analysi instituta *aseitatis*, cernitur *infinitatem* Deo convenire. — Analysi facta *infinitatis*, videntur *unitas*, *simplicitas*, *immutabilitas*, etc. Deo convenire.

b) Vel *indirecte* ostenditur propositionem esse *analyticam*; sive aliter ostenditur quod propositio convenientiam praedicati cum subjecto negans, contradictionem involvit aut absurdas sequelas infert, sive quod implicite idem affirmat et negat. Hoc casu propositio est *analytica sensu minus stricto*.

2. Judicia *analytica* alia sunt *immediata*, alia *mediata*.

a) *Immediata* sunt quando mens apprehendit praedicatum essentialiter convenire subjecto, *nullo termino medio* proprio dicto adhibito. Sunt *principia prima*, *immediate evidencia*.

b) *Mediata* sunt cum mens apprehendit praedicatum convenire subjecto, adhibendo *medium terminum* cui comparentur subjectum et praedicatum. Illud judicium est conclusio *ratiocinii*. Tales sunt propositiones: Deus existit, Deus est *infinitus*; Deus ab aeterno praescit futura contingentia.

3. Judicia, seu principia, *analytica* vocantur: a) *absoluta*, quia praedicatum convenit subjecto vi essentiae ejus, independenter ab omni hypothesi; b) *pura*, *rationalia* et *metaphysica*; c) *necessaria*, quia praedicatum necessario convenit subjecto; d) saepe etiam dicuntur *a priori*.

185. B. De JUDICIO SYNTHETICO. Judicium est *syntheticum* quando per *solum experientiam*, sive *sensus intimi*, sive *sensus externi*, intellectus cernit praedicatum convenire subjecto. — Judicium *syntheticum* est *immediatum* vel *mediatum* uti explicatum est supra.

Judicia *synthetica* vocantur: a) *hypothetica*; b) *empyrica* et

experimentalia; c) *contingentia*, seu de materia contingentи; d) saepe etiam dicuntur *a posteriori*. Si judicium est *universale*, vocatur *principium syntheticum*.

186. Status quaestions. Repraesentatione sensibili habita, intellectus de eadem re repraesentationem spiritualem, seu ideam, efformat; rem intellectualiter apprehensam in duas notas, subjecti videlicet et praedicati, resolvit, judiciumque syntheticum elicit, quo affirmat identitatem vel disconvenientiam utriusque conceptus objectivi. Patet autem sensations, non vero ideas, esse fontes e quibus intellectus haurit horum judiciorum elementa. — At intellectus ulterius progreditur; attente inspicit res sibi per sensus subministratas et deinde intellectualiter repraesentatas; ab existentia et a praesentia harum rerum abstractit; inspicit essentiam abstracte, proprietates essentiae, diversas essentiarum relationes, et sic efformat varia judicia *analytica*, quorum fons sunt *ideae spirituales*, et quae sunt *mediata* vel *immediata*.

Porro de *immediatis judicis analyticis* queritur utrum sint *infallibiliter vera*, seu *objective certa*.

At *prævia* est *quaestio*. Ut enim aliquod judicium sit verum, seu conforme rei, requiritur ut *ideae subjectivae*, quibus objecta apprehenduntur, sint conformes conceptibus objectivis seu objectis de quibus per judicium judicatur, mediantibus *ideis*; sive aliter *ut ideis sit valor objectivus*. Quae *quaestio*, uti patet, spectat ad *judicia tum analytica, tum synthetica*. Certum vero esse ideas per se insigniri valore objectivo, generatim probatum relinquitur ex his quae in difficultatum solutione passim dicta sunt. Attamen cum circa illud potissimum cum idealistis controversia existat, haud abs re erit istam *quaestionem*, pro rei momento, integre discutere.

187. Sententiae. I^a SENT. tenet ideas (sive repraesentent objecta in ordine rerum posita, sive relationes rerum, sive privationes), *per se habere valorem objectivum*, seu esse conformes conceptibus objectivis, de quibus judicatur. — Verum non contendit ideas *numquam* erronee per judicium referri ad objectum a quo sunt dissimiles; sed tenet talem errorem menti oboriri *per accidens*, ob influxum voluntatis.

II^a SENT. est *idealistarum*, quorum alii nonnullis ideis, alii omnibus negant inesse valorem objectivum. Ponunt nempe valorem objectivo destitui (h. e. intellectum sua natura judicare de rebus secundum ideas quarum nescit conformitatem cum objectis) : a) vel ideas corpora repraesentantes : sic Berkeley, cuius systema dicitur *idealismus acomisticus*; b) vel ideas repraesentantes aliquid ordinis metaphysici, quod nempe transcendent ordinem physicum, mundum visibilem : sic Kantius (1724-1804) cuius idealismus dicitur *transcendentalis*; c) vel ideas tum ordinis metaphysici, tum ordinis physici, exceptis ideis de subiecto cogitante : sic Fichtius (1762-1814), Schelling (1778-1854), Hegel (1770-1831), quorum sistema dicitur *idealismus absolutus*.

In sequentibus probandum venit a) ideis per se inesse valorem objectivum; b) iudicia analytica immediata esse infallibiliter vera, seu objective certa; c) Merito rejici systema Kantii de iudiciis syntheticis a priori.

OBSERVA. a) In Ontologia probatur omni ideae inesse veritatem, h. e. conformitatem cum objecto; haec quaestio est diversa ab ea quae nunc tractanda suscipitur. Illius enim sensus est ideam conformem esse *alicui objecto*; quaestionis autem heic agitatae sensus est ideam esse per se conformem *huic objecto determinato* de quo *judicium fertur*.

b) Postea inquirendum est de valore objectivo idearum quamdam, v. g. idearum actu universalium, ideae substantiae, causae, etc. Harum quaestionum sensus est num *per accidens* mens fallat judicando res esse substantias, causas, etc. Hae autem quaestiones in Logica aut in Ontologia tractantur, prout primario consideratur conformitas conceptus subjectivi cum objectivo, vel objectivi cum subjectivo.

§ 2. De valore objectivo idearum.

Thesis 16. Ideis per se esse valorem objectivum indirecte demonstratur; directe vero demonstrari nec potest, nec debet.

Sensus. Ideae necessario per se repraesentant illud objectum ad quod referentur per intellectum, sibi permisum et ab influxu

voluntatis immunem. Illud autem demonstratur ex absurdis quae fluenter ex opposito, non vero directe.

188. I^a PARS. Indirecte demonstratur idearum valor objectivus.

PROB. I^m ARG. Admitti nequit id e quo flueret scepticismus. Atqui eo quod ideae per se valorem objectivo destituerentur, sequeretur scepticismus. Ergo ideis per se est valor objectivus.

Patet minor quia si mens humana ex natura sua de rebus judicat secundum repraesentationes quae sunt falsae, semper sic judicare potest, siquidem natura, quae ponitur ex se causa erroris, semper remanet; si autem intellectus in omni actu esse potest obnoxius errori, nunquam certus esse valet.

I^m ARG. Admitti nequit id e quo esset consequens intellectum per se esse fallibilem. Atqui hoc consequens esset eo quod ideis per se non esset valor objectivus. Ergo.

189. II^a PARS. Directe demonstrari non potest valor objectivus idearum.

PROB. I^m ARG. Ut directe demonstraretur, utendum esset ideis; nam utendum esset praemissis in quibus cum eodem termino medio compararetur utrumque extreum propositionis demonstrandae; hae autem ideae vel supponuntur vel non supponuntur valorem objectivum habere. Atqui si praeponuntur ideis per se competere valorem objectivum, fit petitio principii, nullaque est demonstratio; si non supponuntur ideas habere valorem objectivum, medium est ineptum, iterumque nulla est demonstratio. Ergo demonstrari non potest ideas habere per se valorem objectivum.

190. III^a PARS. Demonstrari non debet valor objectivus idearum.

PROB. Illud demonstrari non debet, quod negari et de quo dubitari non potest. Atqui ideas per se habere valorem objectivum, negari et de eo dubitari non potest. Ergo ideas per se habere valorem objectivum demonstrari non debet.

Prob. Min. Illud negari et de eo dubitari non potest quod ipsa negatione vel dubio affirmatur. Atqui ideas per se habere valorem objectivum, negatione vel dubio affirmatur. Ergo.

Prob. Min. a) Qui hoc negat vel de eo dubital, implice admittit iudicium suum esse verum, seu conforme rei, et

proinde ideas suas esse conformes rei de qua judicium fertur.

b) Qui dubitat de valore objectivo idearum, sibi efformat ideam de idea ipsa, de objecto ideae, de conformitate utriusque; nisi supponat hanc ideam suam habere valorem objectivum, nullum dubium movere potest.

Scholion. Intellectum posse elicere ideas valore objectivo instructas probatur a posteriori ex facto quod *elicit* tales ideas.

191. Obj. 1. Eo quod ideae per se haberent valorem objectivum, consequens esset certum esse ideas repraesentantes aliquod objectum tanquam a cogitante distinctum, (v. g. corpus sive proprium sive externum), per se esse certo conformes huic objecto. Sed consequens est falsum. Ergo falsum est antecedens.

Prob. Min. Idea omnis, etiam quae repraesentat objectum tanquam a se distinctum, est subjectivum quid et immanens. Atqui certum esse nequit id, quod est subjectivum et immanens, esse per se conforme objecto distincto et extrinseco. Ergo.

RESP. Conc. Maj. Neg. Min. Ad prob. *Dist. Maj.* Idea, repraesentans objectum distinctum, est aliquid subjectivum et immanens ita ut hanc ideam *praecesserit sensatio quae determinata est a re*, cui formaliter vel fundamentaliter inest id quod per ideam repraesentatur, *Conc.*; ita ut talis sensatio non praecesserit, *Neg. Cdt. Min.* certum esse nequit id quod est subjectivum et immanens esse conforme objecto distincto, si supradictus influxus *per rem in sensationem* non est exercitus, *Conc.*; dato tali influxu, *Neg.*

Explic. Si idea repraesentat essentiam rei naturalis, quidquid est positivum in conceptu essentiae, formaliter huic rei inest; si mens elicit principium rationis, v. g. « totum est maius sua parte » id quod repraesentatur per ideam totius et per ideam partis rebus inest; principium autem enuntiat relationem inter essentiam partis, ideoque res praebent fundatum huic principio. — Ratio conformitatis idearum et rerum petitur ex modo quo ideae efformantur.

Inst. Atqui etiam dato tali influxu, certum esse nequit ideam subjectivam et immanentem esse conformem objecto distincto.

Ut hoc enim certum sit, deberemus comparare posse ideas cum rebus. Atqui haec comparatio institui non potest; ergo.

RESP. Neg. Min. subs.; ad prob. *Dist. Maj.* si idea est *id quod* percipitur per intellectum, *Conc.*; si est *id quo* percipitur objectum, *Neg.*; *Conc. Min.*; *Dist. Cons.*

Obj. 2. Objectivus valor idearum cognosci deberet per ideas. Atqui nequit cognosci per ideas, sic enim fit petitio principii.

RESP. Dist. Maj. Objectivus valor idearum cognosci deberet per ideas quae sint *id quo* cognoscitur hic valor, *Conc.*; quae sint *id quod* cognoscitur prius, et per quod dein cognoscitur hic valor, *Neg. Cdt. Min.*

Ad rationem additam, petitio principii non habetur nisi in demonstratione proprie dicta; fit enim assumendo tanquam medium demonstrationis, conclusionem probandam, vel id quod supponit hanc conclusionem et ei innititur.

§ 3. De certitudine judiciorum analyticorum immediatorum.

Thesis 17. Judicia analytica immediata ab omni errore immunia sunt, eorumque objectum est metaphysice et absolute certum.

192. I^a PARS. PROB. Secus enim vel mens apta non esset ad assequendum verum, vel ideae, quibus repraesentantur essentiae inter quas comparatio instituitur, valore objectivo per se destituerentur, imo veritate carerent. Atqui neutrum dici posse ex antea probatis constat. Ergo judicia analytica immediata ab omni errore sunt immunia.

Decl. 2^a pars Maj. Idea est necessario vera h. e. conformis objecto quod per ideam repraesentatur. Porro in iis judiciis intellectus, praecisione facta ab existentia reali illius objecti, judicat, secundum ideam quam p[ro]ae se gerit, de ipso objecto per hanc ideam repraesentato. Ergo respectu harum idearum in idem incidentur valor objectivus et veritas.

II^a PARS. Objectum judicij analyticij immediati est metaphysice et absolute certum.

Ex notionibus capite primo traditis, liquet objectum esse certum quando veritas elucescit motivo infallibili, et proinde quando oppositum est impossibile. Illud objectum est *metaphysice certum*, quando ideo oppositum est impossibile, quia

repugnat essentiis rerum. Est autem *absolute* certum cum a nulla hypothesi pendet.

PROB. Illud est metaphysice et absolute certum quod fundatur in essentia subjecti; atqui objectum judicij analytici immediati (seu id quod affirmatur), fundatur in essentia subjecti; ergo objectum hujus judicij est analytice et absolute certum.

Patet minor quia illud quod fundatur in essentia subjecti, a nulla hypothesi pendet, ejusque oppositum essentiis rerum repugnat. Est igitur absolute et metaphysice certum.

193. Scholion. Judicia synthetica immediata tripliciter differunt a judiciis analyticis: a) in prioribus experientia notionem praedicati suppeditat, ejusque cum subjecto identitatem palam facit. In posterioribus intuitione idearum utrumque exoritur. b) Priora sunt singularia, utpote cognitione rerum singularium et existentium immediate resultantia: posteriora vero universalia, utpote ex ideis, omni nota singulari ante remota, originem ducentia. c) Priora habent veritatem contingentem, et gaudent certitudine metaphysica hypothetica; posteriorum veritas est necessaria, et certitudo est metaphysica absoluta.

§ 4. *De judiciis syntheticis a priori.*

194. Kantius (1724-1804) erisin seu examen instituit facultatis cognoscitivae; inde ejus sistema nomen *criticismi* est natum. Distinguit autem in homine duas rationes, *theoreticam* nempe investigantem veritates speculativas seu credenda, et *practicam* qua considerantur veritates practicae seu agenda. — Porro de ratione speculativa haec sunt praecipua placita ad rem nostram pertinentia:

1. Existimabat Kantius in omnibus judiciis de natura rerum dari elementum contingens, finitum, mutabile, de quo praedicatur forma metaphysica, seu limites experientiae excedens, necessaria nempe, infinita, immutabilis, idque judicari *necessario*, per diversa judicia diversaque ratiocinia. Concludebat ideas harum formarum ab experientia de rebus contingentibus et finitis mutuari non posse, proindeque eas esse menti humanae innatas. Igitur omne judicium de his rebus constat e duobus

elementis, quorum alterum est *objectivum* et *materia* judicij, alterum vero *subjectivum* et *forma* judicij. Prius subministratur per *experientiam* et est *contingens*; alterum est *necessarium* et *universale* et ejus idea est *innata*. Per judicium, hae formae praedicantur de rebus apprehensionis, quin eis convenire cognoscantur neque per analysis essentiae neque per experientiam. — Tale autem judicium a Kantio vocatur syntheticum a priori: *syntheticum*, etenim non est analyticum; *a priori*, convenientia enim praedicati et subjecti non est nota per experientiam.

2. Porro ex praefatis sequentia fluunt:

a) Solae apparentiae, seu phaenomena, rerum sensibilium sunt certo cognitae; nos latet harum rerum natura, siquidem de ea judicamus judiciis syntheticis a priori.

b) Mens humana cum certitudine apodictica nullum potest judicium ferre, proin nil certitudinaliter cognoscere de corporum extensione, figura, substantia etc.; haec enim de phaenomenis praedicantur per formas innatas. Igitur ratio speculativa tribuit animae libertatem et immortalitatem, quin cernat has ei convenire; ex rebus contingentibus eruit Dei existentiam, adhibito principio causalitatis, quin cernat illud esse analyticum. Itaque hujusmodi ratiocinia sunt *lusus mentis*, *antinomiae*.

c) Principia scientiarum valore objective destituantur. Scientiae enim sunt complexus judiciorum syntheticorum a priori. — Tenet enim Kantius scientias non instituere judicia *analytica* nec judicia *synthetica a posteriori* (1). Nam per judicia analytica nulla scientia acquiritur, ait Kantius: explicite enim tantum affirmant id quod jam implice notum erat. Judicia vero synthetica a posteriori, circa particularia et contingentia versantia, etiam ad scientias non pertinent. Ergo scientiae sunt complexus judiciorum syntheticorum a priori. Per ea vero, ita ipse, mens sibi comparat scientiam novam: *novam*, inquam, praedicatum

(1) Praeter judicia synthetica a priori admittit Kantius judicia analytica et judicia synthetica a posteriori. Per judicia *analytica* intellectus, analysi instituta de formis innatis, de his formis praedicat ea quae per analysis eis inesse detexit. Per judicia *synthetica a posteriori* intellectus de phaenomenis praedicat ea quae sensibiliter apprehensa sunt, dicendo v. g. haec domus est quadrata.

enim non cernebatur inclusum in subjecto; scientiam, nam praedicatum est universale et necessarium (1).

3. Ut scepticismum, materialismum et atheismum effugeret, asserit Kantius veritates fundamentales esse *certas rationi practicae*. Sua enim cuique conscientia imponit *imperativum absolutum* seu obligationem servandi legem; lex autem supponit et involvit *libertatem hominis, vitam futuram ubi virtus praemiis et vitium paenis afficiuntur, existentiam Dei*. Jamvero non datur obligatio, nisi ea quibus immittitur lex sint certo vera. Igitur fundamenta legis non carent objectiva veritate, suntque objectum non quidem *scientiae sed fidei*, siquidem certo innotescunt non quidem *ratione speculativa, sed practica*.

REFUTATIO systematis Kantiani partim ad Logicam partim ad Psychologicam pertinet. — Psychologiae est inquirere num revera innatae nobis sint categoriae quas Kantius commemorat. Logicae autem est inquirere num revera intellectus humanus per se, citra voluntatis influxum, elicit judicia synthetica a priori (nam intellectum, a voluntate inclinatum, saepius judicare praedicatum convenire subjecto licet ei non conveniat, est praeter quaestionem); deinde judicium ferre de termino in quem Critica desit.

Thesis 18. Falsum est id quod a Kantio affirmatur, mentem nempe humanam per se elicere judicia synthetica a priori.

195. PROB. I^m ARG. Intellectus est facultas cognoscitiva, sive facta ad videndum. Atqui talis facultas non elicet per se nisi judicia analytica et judicia synthetica a posteriori.

(1) Kantius systema suum vocavit « Idealismum transcendentalem. — *Idealismus* vocatur ob ideas innatas menti humanae; *transcendentalis* dicitur sensu omni diverso ab eo quo haec vox apud ceteros philosophos usurpat. Veteres enim philosophi transcendental, seu metaphysicum, vocabant id quod est *immaterialē h. e. quod excludit conditiones materiae vel ab iis praescindit*; moderni philosophi transcendental dicunt id quod *limites experientiae excedit* et soli rationi se manifestat, sive illud sit materiale sive immateriale. Kantius vero transcendental vocat id quod *menti est congenitum adeoque praecedit omnem cognitionem experimentalem, et reddit cognitionem rei possibilem*.

Prob. Min. Facultas facta ad videndum ex natura sua non elicet judicium, nisi vel quando videt praedicatum esse de essentia subjecti, illudque videt sive directe (analysis insti-tuendo subjecti et inter notas ejus deprehendendo praedicatum) sive indirecte (cernendo propositionem contradictoriam adversari principio contradictionis), vel quando hoc docetur per experientiam. Atqui in priori casu judicia sunt analytica, in posteriori sunt synthetica a posteriori. Ergo.

II^m ARG. Eo quod intellectus per se elicet judicia synthetica a priori, flueret scepticismum esse amplectendum; praedicaret enim existentiam, rationem substantiae etc. de rebus, quin cernat eas rebus inesse. Ergo.

III^m Omnia judicia quae Kantius in medio producit veluti synthetica a priori, sunt vel analytica vel synthetica a posteriori. Ergo sistema Kantii fundamento caret.

Analytica sunt sequentia: Quod fit, vel incipit esse, vel contingens est, habet causam efficientem sui (Cfr. Ont. de princ. caus.). — Mundus habuit initium (Cfr. Cosm. aut Theod.). — Septem addita ad quinque constituunt duodecim. — Linea recta est brevissima inter omnes lineas quibus ab uno puncto ad aliud pervenitur.

Syntheticum est a posteriori id judicium: in communicatione motus, reactio est semper aequalis actioni.

IV^m ARG. In tantum aliqua ratione suaderetur sistema Kantii, in quantum objecta idearum primigeniarum forent necessaria in essendo, immutabilia absolute, etc. et in quantum conceptus entis necessarii, immutabilis, infiniti, etc. essent totaliter positivi, non vero partialiter negativi. Atqui hujuscemodi non esse objecta idearum primigeniarum et conceptus modo enumeratos, probatur in Ontologia et in Psychologia. Ergo.

196. Schelion. Absurdum est sistema Kantii, si inspicitur terminus in quem devenit.

PROB. I. Kantius explicite asserit nullum ab intellectu cognosci, implicite autem affirmat aliquod esse cognitum. Ideo enim Kantius sistema suum conficit, quia naturam mentis humanae ejusque cognitionis perspectam sibi esse autumabat.

2. Kantius ratione sua et ideis utens, affirmat, testimonio rationis innexus, mentem non esse certo capacem assequendi verum. Atqui in hoc manifeste implicita est contradictio.

3. *Ad hominem.* Juxta Kantium ratiocinia intellectus sunt lusus, illusiones, antinomiae. Atqui hoc probat per ratiocinia valde intricata. Ergo istud ratiocinium, juxta ipsummet Kantium, illusione repletum est.

4. Absurda sunt varia consectaria systematis Kantii in statu quaestionis exposita, uti passim probatur in philosophia.

SECTIO II.

DE AMPLIFICATIONE COGNITIONUM CERTARUM.

Intellectus ex veritatibus primo cognitis alias veritates edicit. Cognitiones autem amplificantur tum generatim ratiocinio, et speciatim inductione, tum analysi objectorum complexiorum et variarum rerum inter sece collatione, quibus potissimum efformantur ideae actu universales, quarum valor objectivus est ad trutinam revocandus. Cognitiones vero amplificatae, apta methodo adhibita, in scientificum sistema coadunantur. Quae de illis tractanda supersunt, quadruplici articulo discutentur.

ARTICULUS I.

DE RATIOCINIO.

197. Circa plurima non aliter innotescit intellectui praeditum convenire subjecto, nisi comparatio utriusque extremi instituta fuerit cum termino medio, sive via ratiocinii. — Ratiocinium autem, ratione praemissarum, est triplex : a) *purum*, si utraque praemissa est analytica; b) *empyricum*, si utraque est synthetica; c) *mixtum*, si altera est analytica, altera synthetica.

Quaeritur utrum ratiocinum sit *medium aptum ad certo amplificandas cognitiones*. Quaestio duo involvit : a) utrum conclusio, quae est cognitio ratiocinii ope comparata, sit *certa*; b) utrum sic cognoscatur aliquid *antea ignotum*.

198. Sententiae. I^a SENT. affirmat, et sic rem declarat :

a) Ut conclusio, quae erat propositio demonstranda, cum certitudine teneatur; praenoscenda sunt sive actualiter sive habitualiter tum principia syllogismi quae tradita sunt nn. 81, sq., tum utrumque extreum et medium, quorum plerumque sufficit cognoscere definitionem nominalem. b) In cognitione implicita horum trium terminorum, implicita est cognitio de veritate conclusionis. At stare potest cum illis explicita ignoratio, vel explicitum dubium de conclusionis veritate. c) Eo autem quod medius terminus cum utroque extremo comparatur, et detegitur nexus inter antecedens et consequens, cognitio conclusionis antea implicita, fit explicita; eo quod est explicita, est nova. Si praemissae sunt certae, est etiam certa.

II^a SENTENTIA, quam tenet Tracy (1754-1836) et Dugaltus Stewart, utrumque negat.

Thesis 19. Ratiocinio comparari potest cognitio nova, eaque certa.

199. I^a PARS. DECLARATUR (aggrexi enim demonstrationem esset petere principium).

1. Ibi comparatur cognitio nova, ubi explicite cognoscitur id quod antea implicite tantum cognoscebatur. Atqui per ratiocinium explicite cognosci potest id quod antea implicite tantum cognoscebatur. Ergo.

Prob. Min. Cognoscebatur, saltem habitualiter, triplex terminus; huic autem cognitioni implicita erat cognitio veritatis conclusionis, haec fit explicita. Ergo.

2. Constat ratiocinio comparari notitias novas :

a) Ratiocinio *puro* pervenitur ad cognitionem veritatum immediate evidentium : sic de anima, de Deo, de origine corporum, multa cognoscuntur ratiocinio; pariter aliae veritates aliis subordinantur; demum inter res deteguntur relationes quae immediate non innotescantur menti.

b) Ratiocinio *empyrico* cognoscuntur potentiae, proprietates, qualitates determinati alicujus corporis, licet in hoc corpore per sensus deprehensae non fuerint.

c) Ratiocinio *mixto*, leges physicae et morales notae fiunt uti

2. Kantius ratione sua et ideis utens, affirmat, testimonio rationis innexus, mentem non esse certo capacem assequendi verum. Atqui in hoc manifeste implicita est contradictio.

3. *Ad hominem.* Juxta Kantium ratiocinia intellectus sunt lusus, illusiones, antinomiae. Atqui hoc probat per ratiocinia valde intricata. Ergo istud ratiocinium, juxta ipsummet Kantium, illusione repletum est.

4. Absurda sunt varia consectaria systematis Kantii in statu quaestionis exposita, uti passim probatur in philosophia.

SECTIO II.

DE AMPLIFICATIONE COGNITIONUM CERTARUM.

Intellectus ex veritatibus primo cognitis alias veritates edicit. Cognitiones autem amplificantur tum generatim ratiocinio, et speciatim inductione, tum analysi objectorum complexiorum et variarum rerum inter sece collatione, quibus potissimum efformantur ideae actu universales, quarum valor objectivus est ad trutinam revocandus. Cognitiones vero amplificatae, apta methodo adhibita, in scientificum sistema coadunantur. Quae de illis tractanda supersunt, quadruplici articulo discutentur.

ARTICULUS I.

DE RATIOCINIO.

197. Circa plurima non aliter innotescit intellectui praeditum convenire subjecto, nisi comparatio utriusque extremi instituta fuerit cum termino medio, sive via ratiocinii. — Ratiocinium autem, ratione praemissarum, est triplex : a) *purum*, si utraque praemissa est analytica; b) *empyricum*, si utraque est synthetica; c) *mixtum*, si altera est analytica, altera synthetica.

Quaeritur utrum ratiocinum sit *medium aptum ad certo amplificandas cognitiones*. Quaestio duo involvit : a) utrum conclusio, quae est cognitio ratiocinii ope comparata, sit *certa*; b) utrum sic cognoscatur aliquid *antea ignotum*.

198. Sententiae. I^a SENT. affirmat, et sic rem declarat :

a) Ut conclusio, quae erat propositio demonstranda, cum certitudine teneatur; praenoscenda sunt sive actualiter sive habitualiter tum principia syllogismi quae tradita sunt nn. 81, sq., tum utrumque extreum et medium, quorum plerumque sufficit cognoscere definitionem nominalem. b) In cognitione implicita horum trium terminorum, implicita est cognitio de veritate conclusionis. At stare potest cum illis explicita ignoratio, vel explicitum dubium de conclusionis veritate. c) Eo autem quod medius terminus cum utroque extremo comparatur, et detegitur nexus inter antecedens et consequens, cognitio conclusionis antea implicita, fit explicita; eo quod est explicita, est nova. Si praemissae sunt certae, est etiam certa.

II^a SENTENTIA, quam tenet Tracy (1754-1836) et Dugaltus Stewart, utrumque negat.

Thesis 19. Ratiocinio comparari potest cognitio nova, eaque certa.

199. I^a PARS. DECLARATUR (aggrexi enim demonstrationem esset petere principium).

1. Ibi comparatur cognitio nova, ubi explicite cognoscitur id quod antea implicite tantum cognoscebatur. Atqui per ratiocinium explicite cognosci potest id quod antea implicite tantum cognoscebatur. Ergo.

Prob. Min. Cognoscebatur, saltem habitualiter, triplex terminus; huic autem cognitioni implicita erat cognitio veritatis conclusionis, haec fit explicita. Ergo.

2. Constat ratiocinio comparari notitias novas :

a) Ratiocinio *puro* pervenitur ad cognitionem veritatum immediate evidentium : sic de anima, de Deo, de origine corporum, multa cognoscuntur ratiocinio; pariter aliae veritates aliis subordinantur; demum inter res deteguntur relationes quae immediate non innotescantur menti.

b) Ratiocinio *empyrico* cognoscuntur potentiae, proprietates, qualitates determinati alicujus corporis, licet in hoc corpore per sensus deprehensae non fuerint.

c) Ratiocinio *mixto*, leges physicae et morales notae fiunt uti

mox dicetur; per applicationem principiorum analyticorum ad cognitiones experimentales, nova de corporibus manifesta fiunt, uti ex cosmologia, ex psychologia et ex scientiis physicis et naturalibus colligere est.

200. II^a PARS. DECL. 1. Ut cognitio, ratiocinio comparata, sit certa, sufficit ut intellectus cernat: a) nexus adesse inter antecedens et consequens; b) praemissas esse objective certas. Atqui mens in nonnullis utrumque cernere potest. Ergo ratiocinio comparari potest cognitio certa.

Patet prima pars minoris, siquidem apprehensio nexus est immediata, seu non fit discursus ope.

Prob. 2^a pars Min. Praemissae sunt vel immediate evidentes et certitudo objectiva earum illico cernitur; vel mediate evidentes, in quo casu utrinque termini comparatio fit cum medio, donec perveniantur ad propositionem per se notam, quae fundet certitudinem ceterarum.

2. Quaevis potentia necessario agens infallibiliter actum eum consequitur, ad quem naturaliter ordinatur, dum adsint conditiones debitae. Atqui mens est facultas necessario agens, et naturaliter ordinatur ad ratiocinandum; conditiones autem debitae sunt cognitiones, saltem implicitae, de quibus supra dictum est. Ergo actus ratiocinii infallibilis esse potest, seu acquiri possunt cognitiones certae.

Decl. Min.: a) Mensem necessario agere, ostenditur in Psychologia; b) eam ordinari ad ratiocinandum, constat tum quia *ratio* vocatur, tum quia praeter judicia analytica immediata, et synthetica immediata, ceterae, eaque plurimae, cognitiones per solum discursum comparantur.

201. Obj. Ratiocinium innititur memoriae. Atqui eo quod memoriae innititur, non comparatur cognitio certa. Ergo.

Patet minor quia memoria est fallax.

RESP. Praenota. A. *Ratiocinium* formaliter stat in apprehensione consequentiae, haec autem non innititur memoriae. Si praemissae sunt immediate evidentes, earum cognitio non innititur memoriae; si sunt mediate evidentes, inniti quidem memoriae possunt, quatenus pro certis ponuntur quia olim earum certitudo menti fuit perspecta, verum hoc necesse non est.

B. *Quoad memoriam*: 1. Apud animantia: a) species impressae, corporum praesentium representativa, non omnes delentur, sed quedam in statu latenti sive habituali conservantur. b) Hae species e statu latenti excitantur et per eas cognoscuntur corpora absentia. c) Partialiter possunt deleri ita ut praesentent corpora absentia modo ab his corporibus alieno. d) Per istas species corpora appendi possunt a bruto tanquam diversa a corporibus praesentibus.

2. Pariter omnes cognitiones intellectuales olim habitae non penitus delentur, sed habitu quedam conservantur; e statu latenti iterum excitari possunt, ita ut: a) id quod antea fuit notum iterum cognoscatur, b) cognoscatur tanquam olim cognitum, c) imo tanquam cognitum determinato aliquo tempore. — E quo concludere licet species impressas rerum intelligibilium, de quibus in Psychologia agitur, non omnes penitus deleri, sed quasdam in statu latenti conservari, easque iterum excitari. — Excitantur autem modo spontaneo modo voluntarie. — Spontaneo inquam, sive citra applicationem memoriae voluntatis imperio: Saepius enim, postquam irritos conatus adhibuimus ut alicujus rei olim scitae fiamus iterum memores, postea occurrit nobis ejus idea, licet voluntas intellectum non applicuerit ad ejus inquisitionem.

3. Ob duas causas memoria ansam praebet errori: a) species impressa potest non integra excitari; in illo casu irrepit error si judicatur objecto nil convenire praeter id quod hac specie apprehenditur; b) speciei impressae addi possunt notae sub influxu voluntatis. — Igitur non per se sed *per accidens* memoria originem praebet judicio mediato falso.

Hinc *Dist. Maj.* ratiocinium, h. e. *apprehensio consequentiae*, innititur memoriae, *Neg.*; *certitudo praemissarum* innititur memoriae, *Subdist.* si sunt *immediate evidentes*, *Neg.*; si sunt *mediate evidentes*, *Subdist.* innituntur *necessario* memoriae, *Neg.*; innituntur *contingenter* memoriae, *Subdist.* innituntur memoriae quae *per se* fallat, *Neg.*; quae *per accidens* fallat, *Conc. Cdt. Min.*

ARTICULUS II.

DE INDUCTIONE.

§ 1. Notiones. — Variae quaestiones.

Quaeritur 1º quid sit inductio; 2º quotplex; 3º quisnam sit scopus praecipuus; 4º utrum certitudinem gignere possit?

202. I. Quid sit? Inductio sumitur tripliciter:

A. *Sensu latissimo* est transitus quilibet a singulari ad universale. Fit a) efformando ideam universalem; b) condendo definitionem via ascensus. — Inductio secundum talem significatum opponitur deductioni, quae est transitus ab universali ad particulare. Supra n. 66 agendo de investigatione definitionis, de ea dictum est.

B. *Sensu lato* est omnis transitus a propositione singulari ad propositionem universalem. Hic autem est duplex: a) Propositionem singularis potest esse occasio aliqua necessaria, quae suppeditet notitiam subjecti et praedicati, qua suppeditata, intellectus principium analyticum per inductionem efformat, ita tamen ut principium analyticum intelligatur verum esse, inspectis sive solis ejus terminis sive insuper alia essentia. Talem inductionem instituit ille, qui postquam apprehendit domum esse totum, cubile esse partem, necessario domum esse cubili majorem, assurgit ad principium analyticum « *totum est majus sua parte.* » — b) Propositionem singularis potest relate ad propositionem universalem sic se habere ut hujusc veritas intelligatur ope veritatis alterius intellectae, tamquam elementi intrinseci. Porro:

C. Ista inductio, quae sumitur sensu strictissimo, definitur argumentatio quae concludit de universalis id quod experientia docet haberi circa inferiora ejus.

203. II. QUOTPLEX? Inductio est completa vel incompleta.

1. Completa concludit de universalis id quod experientia, circa singula inferiora facta, docet in singulis verificari.

Exemplo sit: visus, auditus, gustus, tactus, olfactus, servatis conditionibus, infallibilis sunt in percipiendis qualitatibus propriis corporum; ergo omnes sensus hominis in iis percipiendis infallibilis sunt (1).

2. Incompleta concludit de universalis id quod experientia, circa aliquot tantum inferiora facta, docet in his verificari.

204. SCOPUS INDUCTIONIS INCOMPLETAE est detegere a) *leges morales* ex inspecta agendi ratione hominum; b) *leges physicas* ex inspectis rebus corporeis. Sic quando individua cognoscuntur jam aliunde pertinere ad eamdem speciem vel ad idem genus, et quando experimentaliter cognoscimus ad singula haec individua pertinere aliquam qualitatem vel virtutem producendi effectus; per argumentum inductionis concludimus has qualitates, hanc virtutem agendi, pertinere ad totam speciem vel ad totum genus.

205. QUAERITUR 1. Utrum per inductionem incompletam acquiri possit certitudo perseverantiae et actualis exercitii legum moralium. De qua quaestione pauca quidem sed sufficientia sunt dicta ad n. 117.

2. Utrum inductione comparari possit cognitio certa legis physicae.

206. Sententiae. I^a quam tenent Plato, Wolfius, Positivistae, negat ullam legem physicam certam inductione colligi.

(1) CIRCA INDUCTIONEM COMPLETAM, cuius conclusionem certam esse ex se constat, quaeritur quomodo se habeat relate ad processum syllogisticum.

RESP. Inductio completa non est syllogismus proprie dictus, licet ad syllogismi instar efferi possit. Etenim:

1. Syllogismus essentialiter exigit terminum medium proprie dictum cui comparetur utrumque extremum et qui ab his diversus sit; talis autem terminus medius in inductione completa prorsus deest. Exemplo sequenti patebit: Visus, auditus, gustus, tactus, olfactus infallibilis sunt, etc.; atqui omnes sensus externi sunt auditus, gustus, visus, tactus, olfactus; ergo. — Terminus « omnes sensus, » diversus non est ab extremo minore, sed prorsus idem aliis verbis significat.

2. Syllogismus pressissime acceptus concludit ex universalis ad particulare, ideoque saepe *deductio* vocatur. Inductio autem concludit universale ex particulari seu potius ex variis singularibus.

II^a SENT. *affirmat leges physicas certo innotescere inductione.* Principium, e quo inductio vim suam mutuatur, aliud ab aliis esse dicitur : a) In rebus naturalibus proprietas, semper observata in individuis alicujus speciei, omnibus individuis ejusdem speciei convenit. — b) Eadem causa naturalis, in iisdem conditionibus posita, idem perpetuo producit. — c) Effectum generalium ejusdem generis eadem sunt causae. Sic Newton. — d) Natura uno et eodem modo operatur, nisi impediatur. Sic D. Thomas. — e) Naturae cursus uniformis est. Sic St. Mill.

Porro concedendum est certitudinem de legibus physicis non gigni si sola facta experientiae externae adhibentur; nam ea spectant tantum praeteritum; neque certitudinem acquiri vi principii: futorum erit simile praeterito, nam illud principium non est immediate evidens; unde ab alio principio certitudinem suam mutuet opus est. — Sed contendimus haberi aliquem processum inductivum quo, certis principiis adhibitis, lex physica cum certitudine colligitur.

§ 2. Inductione incompleta acquiri potest notitia certa legis physicae.

Thesis 20. Inductione incompleta non raro comparari potest cognitio certa legis physicae.

207. Sensus. Eo quod experientia detexit qualitatem vel modum agendi in pluribus individuis, quae aliunde cognoscuntur pertinere ad eamdem speciem vel idem genus, cum certitudine interdum concludi potest hanc qualitatem virtutemve esse communem toti speciei, totive generi.

Prob. Illa conclusio est certa, quae necessario fluit ex praemissis certis. Atqui inductione incompleta non raro colligi potest propositio enuntians legem physicam, quae necessario fluit ex praemissis certis. Ergo inductione incompleta non raro comparari potest cognitio certa legis physicae.

Prob. Min. Non raro lex physica colligi potest sequenti polysyllogismo : Qualitas modusve agendi se prodit constanter et

uniformiter, variatis tamen adjunctis, in pluribus individuis alicujus speciei vel generis. Atqui quod tali modo se prodit, requirit pro illis pluribus causam constantem et uniformem. Ergo in his pluribus habetur causa constans et uniformis hujuscemodis qualitatis vel modi agendi.

Atqui causa constans et uniformis hujuscemodis qualitatis vel modi agendi nequit esse *extrinseca* his individuis. Nam a) non est causa aliqua *creata*, ut constat ex variatis adjunctis, b) nec est *Deus*, arbitrarie efficiens ut, variatis adjunctis, alia quidem individua ejusdem speciei constanter qualitatem quamdam et modum agendi preeferant, alia vero iis careant: sic enim non modo homini impossibile redderet detegere certo ullam legem physicam, sed adhuc eum induceret in errorem invincibilem. Ergo causa constans et uniformis est *intrinseca* iis rebus.

Atqui causa *intrinseca* istius effectus reducitur ad naturam eorum individuorum. Ergo *natura* *illorum* *individuorum* est causa istius modi agendi et qualitatis.

Atqui qualitas modusve agendi, cuius causa est *natura*, communis esse debet omnibus iis quae *naturam* hanc participant. Ergo ista qualitas et modus agendi communis est toti speciei totive generi.

Atqui in tali processu, conclusio necessario fluit ex praemissis certis.

Ergo inductione incompleta non raro colligi potest lex physica, quae necessario fluit ex praemissis certis.

208. Coroll. 1. *Inductio incompleta est ratiocinium mixtum: altera enim praemissa est propositio synthetica, altera est principium analyticum.*

Coroll. 2. Ergo inductio incompleta non innititor, ut placuit Humio, huic principio « *futurum erit simile praeterito;* » sed illud principium est corollarium inductionis.

209. Schol. 1^m. Alia species legum physicarum etiam per inductionem detegi valet. Potest nempe fieri ut individua quaedam non cognoscantur pertinere ad eamdem speciem vel idem genus; experimentaliter autem detegi valet ad singula pertinere summam aliquam qualitatum vel virtutum; per argumentum inductionis concludi potest talia individua ad eamdem

speciem vel idem genus pertinere. Ex similitudine enim qualitatum et operationum concluditur ad similitudinem naturae, ab identitate naturae ad identitatem essentiae completae, quae realiter cum natura identificatur.

210. Schol. 2^m. Regulae, juxta quas praevia individuorum experientia est facienda, a Newton in suis regulis philosophandi exponuntur. Eas notasse sufficiat :

1. Observationes ita fieri debent, ut ne minima quidem negligatur circumstantia, quae saepe majoris est momenti quam videtur.

2. Multiplicanda sunt quantum requiritur, ut effectum constantia satis innoscatur, et accidentia discernantur a proprietatibus quae constitutivae sunt adeoque omnibus aliunde similibus entibus communes.

3. Cavendum a praeconcepta opinione, quae effectum ad causam aliquam a priori praesumptam per fas et nefas reducere vellet. Quo errore nil majus nocet inquisitioni veritatis.

4. Tandem, licet multum in hoc valeat observatoris ingenium ac perspicacitas, id tamquam communis regula, qua omnes juventur, proponi potest, scilicet : ea est habenda causa phænomeni cuiuslibet, quae, praesente phænomeno, adest; ipso cessante, cum illo tollitur; quae ubi crescit phænomenon, crescit, illo decrescente ibi etiam decrescit causa, ita ut inter utrumque proportio ac connexio perpetua servari videatur.

ARTICULUS III.

DE UNIVERSALIBUS.

§ 1. Status quaestionis.

211. Sensatio repraesentat in concreto objectum materiale, singulare, praesens. Sensatione habita, intellectus determinatur ad efformandam sibi ideam quae repraesentat essentiam rei sensibiliter prius notae, abstractione facta ab existentia et a notis individuantibus. De valore objectivo harum idealium jam

fuit actum in prima sectione. — Si intellectus essentiam cognitam attente inspicit, advertit essentiam istam in pluribus individuali distributive sumptis verificari adeoque esse universalem; insuper valet mens essentiam per analysis resolvare in varias notas, eam comparare cum aliis essentiis sibi jam notis, comprehendere quid his essentiis sit commune, quid vero singulis sit proprium. Haec autem praestando, mens acquirit ideas universales actu seu reflexas. — Porro im-praesentiarum quaeritur de valore objectivo harum idealium.

Universale vi vocis est *unum pluribus commune*, seu *unum ad plura se extendens*.

Distinguitur universale *potentia* et universale *actu*. a) Alterum *potest* esse pluribus commune. b) Alterum *revera est* tale.

Dari terminos (vocabula) universales, usu omnium hominum liquidum est : sic a) homo dicitur de Petro, de Paulo etc.; b) brutum, de leone, de equo etc.; c) planta, de arbore, de flore etc.; d) animal, de homine, de bruto; e) vivens, de animali et de planta; pariter f) color, de albo et de nigro.

Quaestiones. Circa universalia triplex movetur quaestio quae antiquitus jam mirifice philosophos torquebat :

1. Quaeritur utrum termino universalis respondeat conceptus representans aliquid commune pluribus, seu aliquid quod de pluribus ex toto distinctis praedicatur. — Cujus quaestio sensus est : num conceptus universalis repraesentet essentiam aliquam tamquam pluribus communem.

2. Utrum id, quod conceptibus universalibus repraesentatur, certe sit conforme aliuc objecto ordinis realis, huic nempe objecto de quo per judicium praedicatur; sive aliter utrum hisce conceptibus per se insit valor objectivus.

3. Dato aliquod objectum in ordine reali his conceptibus respondere, num illud sit *universale an singulare*.

4. Dato illud objectum esse singulare, quomodo *valori objectivo conceptuum universalium salvando sufficiat*.

Quibus quaestionibus connexa est haec altera in psychologia tractanda, qua nempe ratione intellectus istos conceptus efformet, seu quaenam sit *idealium origo*.

212. Sententiae. I^a SENT. est *Nominalium*, quorum duces exstiterunt a) apud veteres : Heraclitus (A. C. 500); b) medio aevo Roscellinus (sec. 11); c) apud modernos Hobbesius, Condillac (1713-1785), Comte, Taine, Hume et generatim omnes positivistae. — Hi ad primam quaestionem respondent *negando terminis universalibus respondere conceptus universales* repraesentantes essentiam quasi pluribus distributive inesset. Contendunt non dari nisi *conceptus nominum, definitiones nominales*, h. e. mentem, auditio vocabulo, sola nomina cogitare, adeoque conceptus nostros non repraesentare aliquam realitatem quam judicamus pluribus distributive sumptis inesse.

II^a SENT. est *Conceptualium*, quorum patroni sunt : a) apud veteres, Zeno (540-260) et Stoici; b) medio aevo, Abeillard (1079-1142), Gulielmus Occam (sec. 14); c) inter modernos Kantius. Hi asserunt terminis universalibus respondere conceptus universales repraesentantes essentiam ac si pluribus inesset, sed *negant objectum repraesentatum certo inesse, etiam fundamentaliter, rebus ordinis realis*.

OBSERVA. Nominales Conceptualesque communiter asseverant essentiam rerum nobis esse plane incognitam; dissentunt in eo quod juxta Nominales ne conceptum quidem alicujus essentiae habemus; juxta Conceptuales habentur tales conceptus, sed destituuntur valore objectivo.

III^a SENT. est *Realistarum exaggeratorum*, qui ad tertiam quaestionem respondent affirmando *conceptus universales repraesentare objectum quod et ipsum sit universale, ita nempe ut existant universalia a parte rei*. Abeunt in triplicem sententiam, ubi assignant istud universale :

a) Juxta Platonem, si fides sit Aristoteli, universalia, per conceptus repraesentata, sunt formae separatae, h. e. existentes in se ipsis, seorsim ab individuis. Sic natura humana, natura belluina, natura arborea existunt separatae ab hominibus, a plantis, ab arboribus. — Anima autem, unioni cum corpore praeeexistens et in astris degens, universalia haec contemplata est, contemplationisque vestigia servavit.

b) Juxta *Ontologos* universalia sunt *ideae divinae*.

c) Juxta Gul. Champeaux († 1121), Laforet, Ubaghs, univer-

salia per conceptus repraesentata non sunt ab individuis separata, sed *individui inexistunt*, ita videlicet ut omnia individua alicujus speciei non tantum habeant singula naturam quae sit similis, sed naturam quae sit *una numerice* (h. e. quoad realitatem) eo prorsus modo quo tres Personae Divinae unam individualiunque naturam participant.

IV^a SENT. est *Realistarum moderatorum*, ducibus Philosopho, et Doctore angelico. Tenent non dari universalia nisi in intellectu, proindeque *universalitatem non competere nisi terminis, ideis et objectis uti existunt in mente*.

Distinguunt ideam universalem *directam* et ideam universalem *reflexam* : a) Idea universalis *directa* repraesentat id quod pluribus quidem distributive inest, verum non repraesentat de facto notam iis inesse; insuper non repraesentat notam eo modo quo inest objecto a parte rei. — b) Idea universalis *reflexa* suppperaddit directae notam repraesentatam de facto pluribus inesse aut posse inesse. Vocatur *reflexa*, quia mens eam sibi comparat per reflexionem supra directam. Patet eam solam dici actu et formaliter universalem.

In dialectica n. 21 observatam est dari quinque universalia, ideis universalibus reflexis apprehensa, speciem nempe, genus, differentiam, proprium et accidens. — Observatum etiam est quinque ista universalia non modo substantiis inesse, verum etiam accidentibus realibus. Denique ostensum est qua via intellectus se ad efformationem idealium universalium evehat. Cfr. nn. 25 ad calcem.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN § 2. Rejiciuntur falsae sententiae de universalibus.

Thesis 21. Circa universalia prorsus falsa docuerunt Nominales, Conceptuales, Realistae exaggerati.

213. 1^a PARS. Nominalium sententia est falsa.

Sensus. Falsum est terminis, qui de pluribus distributive dicuntur, non respondere conceptum repraesentantem aliquid diversum a nomine, quod his pluribus inesse judicatur.

PROB. 1^m ARG. Terminus universalibus respondet :

A. *Conceptus repraesentans aliquid reale diversum a nomine.* Etenim, testante sensu intimo, quando auditur vocabulum, excitatur in mente conceptus repraesentans id quod per judicium de re praedicatur, quod affirmatur ii inesse. Atqui de re non affirmatur eam esse nomen aliquid, sed eam esse aliquid a nomine diversum et per nomen significatum. Sic non affirmatur Petrum esse *nomen hominis*, animalis, justi, docti, etc., sed ei inesse diversas rationes objectivas quas his nominibus significamus. Ergo.

B. *Hic conceptus est universalis.* — Etenim vel est singularis, vel collectivus, vel universalis. Atqui non est singularis nec collectivus. Ergo.

Prob. Min. Terminis universalibus respondet conceptus repraesentans essentiam quae non uni tantum individuo inesse judicatur, sed pluribus; neque pluribus collective sumptis, sed distributive. Sic ratio hominis non de solo Petro praedicatur; neque de Petro, Paulo, Andrea, etc. simul sumptis, sed de his singulis. Atqui hujuscemodi conceptus non est singularis, nec collectivus. Ergo.

214. II^a PARS. *Conceptualismus est falsus.*

Sensus. Falsum est conceptibus universalibus per se nullum in ordine rerum respondere certo objectum.

PROB. I^m ARG. Sola ratio illud negandi foret quod mens humana non valeret cognoscere quid realiter rebus insit, vel quod non valeret percipere inter varia individua similitudinem. Atqui neutrum dici potest. Ergo.

Patet major quia si intellectus valet percipere id quod realiter rebus inest, si valet etiam cernere id secundum quod diversae res inter se exstant similes; potest etiam sibi efformare conceptum quo repraesentatur id in quo haec plura sunt similia; hic autem conceptus est universalis.

Prob. 1^a pars Min. Res corporeae similitudinem sui in sensoria imprimunt; intellectus sensatione determinatur ad apprehendendum abstracte essentiam rei, quae prius sensibiliter est apprehensa; essentia rei materialis resolvitur in varias notas suas. Ergo intellectus valet cognoscere res secundum quaedam ex iis quae realiter insunt rebus.

Prob. 2^a pars Min. Eo quod intellectus cognoscit facta et essentias rerum, eo quod essentias complexiores in notas simpliciores analytice resolvere, quod insuper alias essentias cum aliis comparare potest; sequitur eum percipere posse secundum quam notam diversae res inter se sint similes, eamque notam seorsim ab allis tamquam pluribus communem sibi repraesentare aut ea de re judicium ferre.

I^m ARG. Petitur *ex natura vocabuli* uti est *signum.*

Ex usu omnium linguarum vocabula non modo manifestant conceptus, sed et suppónunt pro rebus. Atqui e conceptualismo consequens esset vocabula non esse certo signa suppositiva rerum. Ergo conceptualismus falsus est.

Prob. Min. Illud deficit a ratione signi suppositivi, cui non certo est signatum, pro quo supponat. Atqui e conceptualismo consequens esset vocabulis non esse certo signatum pro quo supponat. Ergo e conceptualismo consequens esset vocabula non esse certo signa suppositiva rerum.

I^{II}m ARG. Illud est falsum quo perimeretur omnis scientia. Atqui conceptualismo perimeretur omnis scientia. Ergo.

Prob. Min. Objectum scientiae est res certo cognita et causa rei certo cognita. Atqui juxta conceptualismum, objectum scientiae jam non est res certo cognita et causa rei certo cognita, et proin non est nisi conceptus subjectivus. Ergo conceptualismo perimitur objectum scientiae, adeoque ipsa scientia.

OBSERVA. Conceptibus universalibus non respondere collectionem ut sic objectorum ex prima parte constat.

III^a PARS. Falsus est Realismus exaggeratus.

215. A. Falsus est Platonismus :

PROB. I^m ARG. Petitur *ex natura ideae universalis.* Quod apprehenditur conceptu universalis, inest pluribus individuis distributive sumptis. Atqui formae separatae ab individuis, iis non existunt. Ergo quod apprehenditur idea universali non est forma platonica.

Prob. Maj. Illud quod conceptu universalis repraesentatur, praedicatur de pluribus distributive. Atqui quod de pluribus distributive praedicatur, iis inest. Ergo.

I^m ARG. Petitur *ex variis absurdis.* Si objectum respondens

ideis universalibus est forma ab individuis separata, non tantum species (v. g. homo, planta, brutum) existent seorsim ab individuis, sed etiam a) genera (v. g. animal, vivens, substantia) existent separata ab individuis et a speciebus; b) accidentia (v. g. albedo, cogitatio, motus) existent separata ab individuis et a substantia. Atqui haec sunt absurdiora quam dici potest.

Prob. Maj. : a) Non modo dantur conceptus universales specierum, sed etiam generum et accidentium. Atqui juxta realistas omnibus conceptibus universalibus respondet forma universalis separata. Ergo talis forma respondet conceptibus generum, etc. b) Neque affirmare possunt realistae solis conceptibus specierum respondere formas separatas; quaerit enim potest quid respondeat conceptibus generum, accidentium; haud secus enim atque ceteris, iis est valor objectivus. Si dicunt conceptibus generum et accidentium respondere objecta singularia, et proinde si admittunt sententiam scholasticorum quod hanc partem, jam nulla est ratio propugnandi id quod tenent de conceptibus specierum.

Patet minor quia absurdum est existere a) animal quod nec homo sit, nec brutum; b) vivens quod nec animal sit nec planta; c) substantiam quae nec corpus sit nec spiritus; d) ens quod nec accidens sit nec substantia; e) albedinem, cogitationem, motum, quae non inhaerent rei albae, principio cogitanti, rei motae.

216. B. Non dantur formae universales individuis inexistentes.

PROB. I^m ARG. Ex absurdis. Natura universalis individuius inexistentis, vel in his multiplicatur, vel non multiplicatur. Atqui quidquid dicatur, flunt absurdia. Ergo id quod conceptibus universalibus respondet, non est natura universalis individuius inexistentis.

Prob. 4^a pars Min. Si natura in individuis multiplicatur, est una et simul non est una, divisa et non divisa. Atqui haec contrariantur principio contradictionis. Ergo.

Prob. Maj. a) *Est una*: secus deficit a notione universalis; *non est una*, nam multiplicatur; b) *est divisa*, ex multiplicatione; *non est divisa*, propter unitatem.

Prob. 2^a pars Min. Si natura universalis non multiplicatur in individuis, jam non est universalis, sed singularis. Ergo simul signate asseritur esse universalis, exercite asseritur non esse universalis.

II^m ARG. Petitur iterum *ex absurdis*. Stante illa sententia, non tantum una est realiter natura humana, sed unus est homo. Atqui hoc est absurdum. Ergo absurdum est haec sententia.

Prob. Maj. Natura humana multiplicari non posset in variis individuis, uti patet ex primo argumento. Atqui si non multiplicatur in individuis, non habentur varia individua. Ergo.

III^m ARG. Ulterius non tantum unus esset homo, sed unum animal, una planta, una albedo, unus color, una cogitatio, unum ens, et sic delabimur in pantheismum. Atqui haec absurdum sunt plus quam dici potest. Ergo.

Patet major quia non tantum habetur idea universalis speciei, sed generis, accidentis, entis; unde si objectum, respondens ideae universalis specierum, est natura universalis, idem est dicendum de objecto quod respondet ideis generum, accidentis et entis.

217. C. Falsus est Ontologismus.

PROB. I^m ARG. In Psychologia probatur falsum esse mentem humanam, in hoc statu unionis cum corpore, intueri essentiam divinam, uti supponunt adversarii.

II^m ARG. Lapsus fit in pantheismum. Id quod respondet conceptibus universalibus praedicatur distributive de singulis individuis. Atqui ideae divinae non praedicantur de singulis individuis, nisi lapsus fiat in pantheismum. Ergo.

Prob. Min. Ideae divinae realiter identificantur cum essentia divina. Atqui essentia divina non praedicatur de singulis individuis, nisi asseratur res creatas esse Deum. Ergo.

§ 3. Stabilitur vera sententia.

Ex praejactis probatum relinquitur terminis universalibus respondere conceptus actu et formaliter universales, his nempe conceptibus apprehendi notam quae pluribus distributive inest et inesse judicatur; quare objecta prout in mente existant sunt etiam dicenda formaliter

universalia. — Cum hisce conceptibus in ordine reali non respondeant nisi objecta singularia, restat ut inquiratur *quomodo sufficient expli- cando valori objectivo horum conceptuum*.

Tria affirmamus : a) valor objectivus ideae universalis *directae* stat in eo quod ejus objectum, seu id quod concipitur tali idea, rebus singularibus inest, licet alio modo. — b) Valor objectivus ideae universalis *reflexae* in eo est quod ejus objectum inest rebus *fundamentaliter*, seu quod res singulares praebent fundamentum tali ideae. — c) Praeter ideas universales, objectum harum idearum prouti est in mente, et terminos quibus significantur, non datur aliud actu universale.

Thesis 22. Conceptum universalium ea est indoles ut id quod concipitur idea universalis directa, seu universale directum, in individuis existat, licet non eo modo quo concipitur, et ut universale reflexum nonnisi fundamentaliter rebus insit. Praeter hos autem conceptus universales, eorumque objecta prouti in mente existunt, et praeter terminos quibus significantur, non datur aliud cui insit forma universalis.

218. I^a PARS. A. Objectum ideae universalis directae existit in individuis singularibus.

DECL. 1. Idea universalis directa concipitur essentia aliqua. Atqui essentia existit in individuis singularibus. Ergo id quod concipitur idea universalis, existit in individuis.

2. Id quod concipitur idea universalis directa, v. g. homo, animal, praedicatur de singulis individuis. Atqui illud quod praedicatur de individuis, in iis existit. Ergo.

B. Non tamen secundum modum quo concipitur.

DECL. Id quod idea universalis directa concipitor, repraesentatur sine notis individuantibus. Atqui non existit in individuis sine istis notis. Ergo id quod idea universalis directa concipitur, non existit eo modo quo concipitur.

219. II^a PARS. Objectum ideae universalis reflexae fundamentaliter rebus inest.

DECL. Inter plura individua habetur similitudo, sive ratione essentiae compleiae, sive ratione essentiae incompleiae, sive ratione alicujus accidentis quod ab essentia est distinctum. Atqui haec similitudo est fundamentum ideae universalis reflexae. Ergo objectum ideae universalis reflexae individuis fundamentaliter inest.

220. III^a PARS. Praeter ideas universales, earum objecta in mente existentia, et terminos, non datur aliud quod universale sit.

Probatur ex rejectis ceteris sententiis : Universale enim quod, praeter conceptum universalem, objecta idealia et terminos universales, haberetur, vel esset in Deo et habetur sententia Ontologorum, vel extra Deum; si est extra Deum, illa forma universalis aut esset separata ab individuis, et habetur sententia Platonicorum; vel non separata ab individuis, et habetur sententia Gul. de Champeaux. Atqui has sententias esse absurdas probatum est. Ergo praeter conceptus universales, objecta idealia et terminos, non datur aliud quod sit universale.

221. Coroll. Ergo universale est *ens rationis*. Intellectus nempe cogitat formam actu universalem quasi vigeret formaliter in ordine reali, licet non vigeat nisi *fundamentaliter*.

Scholion 1. Per denominationem a conceptibus, *universale* appellatur etiam id quod in ordine reali respondet ideis universalibus. Unde essentia realis est universale directum; similitudo essentiae in pluribus est universale actu (intellige fundamentaliter). Ex his autem liquet universale reale esse plura actu, unum potentia; universale logicum esse unum actu, plura potentia.

Scholion 2. Universale directum quoad id quod concipitur dividitur in decem praedicamenta, seu categorias; universale reflexum dividitur in quinque praedicabilia. Essentia enim concepta pertinet ad unam ex decem categoris. Singulæ essentiae habent speciem, seu secundum totam essentiam convenient cum pluribus aliis; in hac essentia completa distingui potest pars determinabilis seu genus et pars determinans seu differentia; quaedam necessario et quaedam contingenter huic essentiae convenient; in his autem iterum essentia convenit cum pluribus aliis.

222. CONTRA I^m PARTEM Obj. 1. Illud solum est universale actu, quod intellectus sibi vitaliter repraesentat seu cogitat, et id quo exterius significatur intellectus operatio. Atqui intellectus sola nomina cogitat; et hanc operationem significat nominum ope. Ergo sola nomina sunt universalia.

Prob. Min. Quoties cogito de attributis divinis, de rebus

mundanis, cogito *nomina*. Mihimetipsi scisitanti quid sit Deus, per internam locutionem respondeo : « Deus est ens a se, causa prima. » Ulterius investiganti mihi in quo reponatur aseitas, respondeo eam consistere in eo quod ens sit necessario existens et in seipso habens rationem necessitatis suae. Mihi quaerenti quid sit homo, respondeo « animal rationale; » quid animal, respondeo « vivens sensibiliter. » Ergo intellectus sola nomina cogitat.

RESP. Conc. Maj. Dist. Min. Intellectus sola nomina cogitat h. e. quoties cogitat se convertit ad sola nomina, *Transm.* Praeter conversionem ad phantasma nominum, non habetur in intellectu *alius actus* quo aliud objectum intelligibiliter attingitur, *Neg.* Ad prob. *Dist.* quoties cogito de Deo, de mundo, cogito *nomina* h. e. me converto ad *phantasmata nominum*, *Conc.*; non habetur *alius actus* quo aliud objectum attingitur, *Neg.* Quis enim sibi umquam dixit : Deus est istud nomen : ens a se? Homo est istud nomen : animal rationale? — Intellectus sibi dicit Deum esse rem quae significatur signo sensibili aliquo ad quod se intranece convertit et quod exterius vocabulo significatur.

Obj. 2. Non habetur conceptus qui per se non sit conformis rebus. Atqui conceptus universalis per se non est conformis rebus. Ergo non habetur.

Prob. Min. Universale non existit, neque potest existere. Atqui de tali re non potest haberi conceptus rei conformis. Ergo conceptus universalis per se non est conformis rebus.

RESP. Dist. Maj. Non habetur conceptus qui non sit conformis rebus *quoad id quod* concipiatur *Conc.*; *quoad modum quo*, *Subd.* qui non sit conformis h. e. circa quem in rebus non habetur *fundamentum* cur res tali modo concipiatur, *Conc.*; nisi in re sit iste modus, *formaliter sumptus*, secundum quem res concipiatur, *Neg.*

Ad prob. Dist. Maj. Universale *formaliter sumptum*, seu ens actu unum et pluribus commune, non existit, *Conc.*; universale *fundamentaliter* non existit h. e. non existit *fundamentum* concipiendi res eo conceptu qui pluribus distributive convenit, seu cuius objectum de pluribus praedicatur, *Neg.*; *Cdt. Min.*

Non potest haberi conceptus de eo quod *nec formaliter nec fundamentaliter* est in ordine reali, *Conc.*; quod non est *formaliter* in ordine reali eo modo quo concipiatur, *Neg.*

Obj. 3. Repugnat conceptus universalis. Etenim repugnat ut idem sit unum et multiplex. Atqui conceptus universalis esset aliquid unum et multiplex. Ergo.

Prob. Min. Universale, ex definitione, est unum pluribus commune. Atqui unum pluribus commune est unum et multiplex. Ergo conceptus universalis esset aliquid unum et multiplex.

RESP. Neg. Ant. Ad prob. *Dist. Maj.* Repugnat ut idem sit unum et multiplex, *sub eodem respectu*, *Conc.*; ut idem sit aliquid unum *sub uno respectu*, multiplex *sub alio*, *Neg. Cdt. Min.* conceptus universalis est *unus entitative*, h. e. *sub respectu entitatis suae*, *multiplex repraesentative* eo nimirum sensu quod plura repraesentat, *Conc.*; unum et multiplex *sub eodem respectu*, *Neg.* Ad prob. resp. *idem*.

223. CONTRA III^m PARTEM *Obj. 4.* Objectum praesupponitur actui facultatis. Atqui ut praesupponatur objectum, oportet ut sit universale a parte rei. Ergo.

RESP. Dist. Maj. Objectum praesupponitur actui facultatis secundum *id quod* actus facultatis attingit, *Conc.*; secundum *modum quo* facultas attingit objectum, *Subdist.* praesupponitur in objecto haberi *fundamentum* istius modi attingendi ipsum, *Conc.*; praesupponitur in objecto ipsem modus *formaliter sumptus*, *Neg.*; falsitas enim istius asserti ex eo est manifesta quod jam nulla daretur distinctio mere logica, seu quod omnis distinctio evaderet realis. *Cdt. Min.*

Obj. 5. Objectum scientiae est universale. Atqui objectum scientiae est reale. Ergo aliquod reale est universale.

RESP. a) Objectum scientiae est universale, i. e. definitiones et leges per scientias traditae verificantur *in pluribus rebus distinctis*, ob similitudinem suam, *Conc.*; verificantur in re aliqua *per identitatem communis pluribus*, *Neg. Conc. Min.* — *Dist. Cons.* realiter habetur universale, i. e. habetur *similitudo plurium*, *Conc.*; habetur *identitas realis plurium*, *Neg.* — *b)* *Dist. Maj.* Objectum scientiae est universale *formaliter*, *Neg.*; *fundamentaliter*, *Conc.*; *Conc. Min. Dist. Cons.*

ARTICULUS IV.

DE SCIENTIA ET DE METHODO.

§ 1. De scientia.

224. I. Definitio scientiae. *Vi vocis*, scientia rei est *cognitio rei*. Cognitio autem dividitur ratione *objecti cogniti*, et ratione *modi cognoscendi*. — Cognoscitur enim vel *factum* vel *essentia*, utraque cognoscuntur a) vel *intuitive*, vel *per ratiocinum* seu *discursum*; b) vel ita ut eorum *causa* sive *ratio ontologica* cognoscatur, vel ita ut haec lateat.

Quaeritur quanam cognitio nomine *scientiae* honestetur?

Assertum. Scientia est cognitio rei certa qua tum ipsa res, tum ejus causa cognoscitur.

PROB. I^m ARG. Illa sola cognitio ex usu omnium, est scientia, qua mens plene quiescit. Atqui mens tantummodo plene quiescit cognitione rei quae sit certa, et qua non tantum res, sed ejus causa, sive ratio ontologica, cognoscatur.

II^m ARG. Sola cognitio quae est perfecta, quantum haberi potest cognitio perfecta, merito vocatur scientia. Atqui talis est cognitio modo descripta. Ergo.

225. II. De origine scientiae. Comparatur dupli modo:

a) *Testimonio* quod par sit certitudini dignendae. Talis est sane auctoritas divina; tum solum factum causamque facti, tum essentiam rei naturalis docere potest.

b) *Consideratione rei*. Consideratione autem tribus modis dignitur scientia: a) Per intuitionem: tali modo Deus omnium scientiam habet. b) Per demonstrationem *a priori*. c) Per demonstrationem *a posteriori*, qui modus acquirendi scientiam est assuetus homini. Ad hanc demonstrationem refertur demonstratio *circularis* seu *regressiva*, quae in eo reponitur quod quis a cognitione effectus ad cognitionem causae transit, a qua ad effectum reddit, ut hujuscemodi cognitionem acquirat. Sic e cognitione rerum creatarum transit mens ad cognitionem

Dei, a quo ad res creatas reddit, novasque cognitiones, v. g. circa finem earum, acquirit.

226. III. De objecto scientiae. Objectum est: a) *Factum* cuius insuper causa cognoscitur, sive per auctoritatem, sive per studium proprium. b) *Essentia rei*. — Omnis autem scientia essentias rerum aliquatenus scrutatur. Inde objectum scientiae, excepto Deo, est universale directum.

227. IV. De divisione scientiae. — Scientiae dividuntur:

1. Ratione *objecti materialis* et ratione *objecti formalis*. Sic aliae scientiae versantur circa Deum, aliae circa res creatas; hae subdividuntur, prout respiciunt substantiam spiritualem vel pure materiale. — Cum scientiae diversae circa eadem objecta materialia versantur, quemadmodum v. g. cosmologia, chemia et physica quae de corporibus agunt, physiologia et psychologia quae de homine tractant, inter se dividuntur ratione objecti formalis diversi, h. e. ratione diversarum proprietatum quae eidem objecto materiali convenienti et sub quibus illud consideratur.

2. Ratione *modi quo versantur circa objectum materiale*. Scientia est vel *partialis* vel *totalis*, prout unam tantum conclusionem demonstrat, vel *systema conclusionum*, quarum una est *ratio alterius*.

3. Ratione *finis*. Scientia est vel *speculativa* vel *practica*, prout finis est sola rei cognitio, vel *praxis* h. e. *operatio intellectus* vel *voluntatis* vel *alius potentiae*, ad quam cognitio scientifica ordinatur.

4. Ratione *subordinationis*. Scientia est *subalternans* vel *subalternata*. Subalternans demonstrat principia quae a subalternata assumuntur tamquam probata. — Scientia quae accipit principia pro demonstratis ab alia scientia, dicitur huic subjici seu subordinari. — Sic ceterae scientiae subjiciuntur logicae et ontologiae, metaphysica specialis subjicitur scientiis naturalibus, physiologia chemiae et physicae, medicina physiologiae.

228. Scholion. Scientia differt ab *arte*. Ars enim tradit quidem leges secundum quas exigendum est opus, verum has leges non probat, nisi evadat ars scientifica seu scientia practica.

§ 2. *De methodo.*

229. A. Definitio. Ut veritas, seu convenientia praedicati cum subjecto, inveniatur, mens saepe gradatim cogitur procedere, incipitque a noto ut ad ignotum perveniat. Methodus definitur: *Certus modus quo intellectus, veritatem investigans, a noto ad ignotum procedit.*

230. B. Regulae methodi in genere.

1. A facilioribus, a distinctioribus, a notioribus, est incipiendum, ut gradus fiat ad difficiliora, obscuriora, incognita. Quae regula trito hoc effato effertur: « *Ab ovo incipitur.* »

2. Procedendum est *gradatim*, non per saltus.

3. Eadem certitudo non exigenda in omnibus rebus. Ut notat Philosophus, ad hominem bene disciplinatum pertinet ut tantum certitudinis quaerat in unaquaque materia, quantum rei natura patitur.

231. C. Divisio. Methodus est *analytica* et *synthetica*. — Tales dicuntur triplici sensu:

1. Ratione modi *investigandi definitionem essentiale*.

2. Ratione modi *demonstrandi propositionem*:

a) Methodus *analytica* (ἀνάλυτικός, *resolutio*) procedit *a toto actuali*, physico vel metaphysico, *ad partes physicas vel metaphysicas*. — Cum totum pluribus notis constet quam pars totius, et eo major sit extensio quo minor est comprehensio, analysis dicenda est procedere *a minus universalibus ad universaliora*, ab inferioribus ad superiora. — Insuper cum in propositione naturali subjectum sit majoris comprehensionis quam praedicatum et cum praedicatum contineat subjectum sub extensione sua, dicendum est analysis procedere *a consideratione subjecti ad praedicatum*.

b) Methodus *synthetica* (σύνθετικός, *compositio*) procedit *a partibus*, sive physicis sive metaphysicis, *ad totum actuale*, adeoque a magis universalibus ad minus universalia, a praedicato ad subjectum.

3. Ratione *principiorum analyticorum, vel syntheticorum*. Haec tertia significatio est solemnis apud modernos:

a) *Methodus pure analyticus*, in investigatione objecti sui non nisi principia analytica adhibet, proindeque innititur essentiis soli rationi manifestis. Vocatur etiam *deductiva*. Si autem ideas non hauriri ex experientia, sed mente esse innatas, vocatur *idealistica*.

b) *Methodus pure synthetica* soli experientiae innititur, proindeque solis propositionibus syntheticis utitur, pro falsis aut pro dubiis habet principia analytica, notionesque metaphysicas. — Vocatur etiam *inductiva, empirica*.

c) *Methodus synthetico-analytica* utriusque speciei propositiones usurpat; facta experientiae considerat, condit leges physicas, ex his assurgit ad considerationem essentiarum, essentias diversas comparat, relationes detegit quas exprimit principiis, principia analytica factis experientiae applicat. — Haec est methodus *scholastica*.

232. Methodus philosophiae modernae. Methodum *pure syntheticam* sectata est schola philosophica quae dicitur *moderna*.

I. **METHODUS EXPOSITUR.** 1. Philosophia moderna, in scrutandis ultimis rerum causis, vestigia antiquorum philosophorum premere renuit. — Non pauci sunt inventi philosophi qui affectabant et gloriabantur se ignorare quid veteres docuerint, quique omnia per seipso inspicere volebant, ac si nihil veritatis transmissum fuisse a viris anteactae aetatis.

2. Non tantum antiquae philosophiae auctoritatem repulerunt, sed etiam, praesertim secundo XVIII et XIX, multi philosophi recusaverunt habere rationem eorum quae ab infallibili Ecclesie auctoritate definiuntur contineri deposito fidei. Revelatae autem sunt tum veritates non paucae naturaliter etiam cognoscibiles, tum veritates intellectui imperviae. Moderni itaque philosophi examinare renunt utrum propositiones suae sint conformes revelatis; neque umquam perpendunt utrum placita sua componi possint cum mysteriis necne.

3. Ut investigarent naturas rerum, de quibus antiqui philosophi opiniones suas tradiderant, duxerunt methodum novam esse adibendam. Hanc autem voluerunt esse *solam inductionem, deductione prorsus rejecta*. Ideo voluerunt ut serio incumberetur observationi factorum. — Porro duplex est observatio, per

sensus externos et per conscientiam; per sensus apprehenduntur corpora, per conscientiam facta interna animae. Hinc prouti systema philosophicum potissimum utitur observatione externa vel interna, vocatur *sensualisticum* vel *idealisticum*.

4. Philosophia *idealistica* profitetur cognitiones rerum naturalium derivari ex interna experientia vel potissimum ex illa experientia. Haec schola, fundata a Renato Cartesio, desiit in Pantheismum.

5. Philosophia *sensualistica* profitetur cognitiones rerum naturalium derivari vel ex sola experientia externa vel potissimum ex hac experientia. Ideo etiam *empyristica* dicitur. Hujus scholae fundator fuit Baco. — Desiit in atheismum et materialismum. Attamen Baco has conclusiones non est professus.

6. Positivistae, quorum dux est Augustus Comte, quem secuti sunt in Gallia Taine et Littré, in Anglia Stuart Mill et Herbert Spencer, non expresse negant existentiam sive idearum spiritualium sive rerum metaphysicarum, sed negant earum valorem objectivum, et non inquirunt quomodo ideae in mente gignantur. Juxta eos objectum scientiae est id quod est positivum et reale; positivum vero et reale est id tantummodo quod per experientiam sensibilem cognoscitur, scilicet phaenomena sensibilia et relationes quoad tempus et quoad locum quibus phaenomena inter se colligantur; de his solis certitudo haberi potest. E quo consequitur notiones metaphysicas, cum experientiae limites superexcedant, valore objectivo carere.

233. OBSERVA. 4. Praeter philosophos qui repudiaverunt auctoritatem antiquae scholae, alii placitis scholae scholasticae firmiter adhaerere perrexerunt. Sed philosophia moderna nomen suum accepit a doctrinis novis quae hisce temporibus exortae sunt.

2. Inter philosophos qui infensose antiquae philosophiae praestiterunt, non pauci sunt inventi qui auctoritati Ecclesiae obedientiam non detractaverunt, et cordi habuerunt nihil tradere quod cum dogmatibus revelatis componi nequeat.

3. Prorsus immerito judicatum est philosophiam peripateticam *a priori* statuisse philosophemata sua de ultimis rerum causis. Peripatetici enim et scholastici constanter duxerunt neque solam deductionem esse adhibendam, neque solam in-

ductionem, sed utramque harmonice esse usurpandam. — Clare id liquebit consideranti solempne esse huic scholae effatum « nihil esse in intellectu, nisi prius fuerit in sensu. » Dicit nempe cognitionem essentiarum non esse menti congenitam neque ex Dei intuitione hauriri, sed erui ex iis quae per sensationem nota fiunt; quare censem necesse est ut observentur phaenomena et natura interrogetur. Ceterum quis unquam in rebus naturalibus scrutandis usus est ea diligentia quam adhibuit Philosophus? — Verum existimavit schola scholastica, eadem experimenta sibi non esse repetenda, quandiu alia instrumenta observandi sibi praesto non essent, praeter ea quibus peripatetici usi fuerant.

234. II. CRISIS METHODI PHILOSOPHIAE MODERNAE.

1. Rejiciendas esse methodum scholae sensualisticae et methodum scholae idealisticae, tamquam corollarium fluit ex omnibus his quae fuerunt probata circa sensus externos, ideas, ratiocinium. Insuper illud colligitur ex sequelis utriusque scholae, quas considerant aliae partes philosophiae.

2. Nonnulla addere juvat de falsitate positivismi.

a) Omnis scientia innititur principiis metaphysicis, puta principiis causalitatis, convenientiae. Ergo per positivismum omnis scientia valore objectivo destitueretur.

b) Omnis inductio innititur principiis metaphysicis; est enim ratiocinium mixtum. Ergo, stante positivismo, est medium ineptum detegendi leges physicas.

c) Omnis argumentatio syllogistica, qua per medium terminum detegitur convenientia duorum conceptuum objectivorum, valore objectivo careret; ejus enim vis probativa innititur principiis metaphysicis.

d) Denique positivismus contradictionibus scatet. Explicite enim asserit haberi certitudinem de phaenomenis, implicite autem hoc negat. Omnis enim actus mentis certus innititur principio contradictionis: nam mens fit certa fixaque eo quod affulget ipsi evidencia objectiva seu quod praedicatum appareat convenire subjecto *evidenter*, ita videlicet ut cernatur non posse non ei convenire; sed ut objectum, tali modo affulgens menti, eam fixam certamque reddere possit, oportet ut intellectus admittat principium contradictionis, nihil posse simul esse et

non esse; jamvero positivimus non habet pro certo principium contradictionis. Ergo, si sibi constat, ducere nequit certam dari phaenomenorum cognitionem.

235. D. Utilitas methodi. Methodus respicit veritatem propositionis inveniendam, demonstrandam, docendam. Cum quaeritur quodnam praedicatum subjecto conveniat, patet potius juvare methodum analyticam; cum quaeritur utrum determinatum aliquod praedicatum subjecto conveniat, utraque methodus apta est. Utraque methodus apta est ad demonstrandam et docendam veritatem quam perspectam habet is qui docet vel demonstrationem aggreditur. Alia aliis praefacit pro indeole ingenii; saepe utraque miscetur (Cfr. *Dialect.* c. 4. IV. nn. 66, 67).

CAPUT IV.

DE ULTIMO CERTITUDINIS MOTIVO.

§ 1. Status quaestionis.

236. Notiones praeviae. **NOTIO CRITERII CERTITUDINIS.** Criterium (*xpivo*) vi vocis est id quo unum ab alio discernitur. — Criterium certitudinis est id quo res certa ab incerta discernitur, actus certus ab incertus. — Veteres Graeci distinguebant triplex criterium certitudinis :

a) *Criterium per quod*; est facultas per quam homo cum certitudine verum a falso discernit.

b) *Criterium quo*; est actus quo intellectus verum a falso discernit; hic actus est judicium.

c) *Criterium secundum quod*, seu motivum; est nota qua infallibiliter verum a falso discernitur, seu quae ostendit rem sic esse et aliter esse non posse, adeoque ex se formidinem de oppositi veritate expellere valet a mente.

DIVISIO CRITERII SECUNDUM QUOD :

1^a **Div.** Motivum certitudinis aliud est *ultimum*, aliud est *proximum*: a) *Ultimum* est illud ultra quod non potest assignari aliud. b) *Proximum*, illud ultra quod assignatur aliud.

2^a **Div.** Motivum est *universale* vel *particulare*. a) Universale illud est quod est *commune omnibus iudiciis certis*, seu quo infallibiliter omne verum a falso discernitur. — b) Particulare illud est quod est *commune uni tantum speciei iudiciorum*, seu quo infallibiliter quaedam tantum vera discernuntur a falsis.

Criterium *simul ultimum et universale* vocatur *supremum*.

237. Status quaestionis. Ex iis quae capite secundo fuerunt tradita, manifestum est dari certitudinem proprie dictam, h. e. rebus quibusdam praedicata convenire ob motivum infallibile, ostendens rem sic esse et aliter esse non posse, iisque ob tale motivum praestari assensum firmum, exclusa oppositi formidine. — Ex iis, quae capite tertio demonstrata sunt, constat motivum aliquod infallibile gignere certitudinem de principiis analyticis, de factis internis et de factis externis; ex his veritatibus primo cognitis certo erui veritates iis implicatas. Motivum autem infallibile adaequate inspectum idem non est pro quadruplici materia certa.

Im-praesentiarum quaeritur utrum habeatur motivum *supremum*, quod proinde sit a) *universale*, h. e. implicitum omnibus motivis fundatibus certitudinem de factis et de principiis, b) *ultimum* h. e. a quo cetera motiva mutuent vim suam et quod ipsum non innitatur motivo aliis.

238. Sententiae. Duplex datur classis sententiarum :

JUSTA AUCTORES PRIMAE CLASSIS, criterium supremum est *nota extrinseca iudicio sive subjective inspecto sive objective* :

1. Juxta Fideistas seu Traditionalistas, quorum duces sunt Huetius, Bautain, de Bonald, Bonnetty et Ventura, haec nota est *auctoritas divina manifestata per revelationem factam protoparentibus et traductam ad omnes gentes*.

2. Juxta de Lamennais (1782-1854) (1), criterium supremum quoad veritates ordinis tum naturalis tum supernaturalis, est *auctoritatis generis humani quae manifestatur consensu generali*. Ratio individualis per se de nulla re potest esse certa. JUSTA AUCTORES SECUNDÆ CLASSIS motivum ultimum est *nota intrinseca iudicio certo*. Bifariam dividuntur :

A. Juxta alios motivum supremum est *nota intrinseca iudicio subjective inspecto*. Alii autem aliam notam assignant :

(1) *Essais sur l'indifférence*, t. II, ch. 12, 13, 14.

non esse; jamvero positivimus non habet pro certo principium contradictionis. Ergo, si sibi constat, ducere nequit certam dari phaenomenorum cognitionem.

235. D. Utilitas methodi. Methodus respicit veritatem propositionis inveniendam, demonstrandam, docendam. Cum quaeritur quodnam praedicatum subjecto conveniat, patet potius juvare methodum analyticam; cum quaeritur utrum determinatum aliquod praedicatum subjecto conveniat, utraque methodus apta est. Utraque methodus apta est ad demonstrandam et docendam veritatem quam perspectam habet is qui docet vel demonstrationem aggreditur. Alia aliis praefacit pro indeole ingenii; saepe utraque miscetur (Cfr. *Dialect.* c. 4. IV. nn. 66, 67).

CAPUT IV.

DE ULTIMO CERTITUDINIS MOTIVO.

§ 1. Status quaestionis.

236. Notiones praeviae. **NOTIO CRITERII CERTITUDINIS.** Criterium (*κρίτης*) vi vocis est id quo unum ab alio discernitur. — Criterium certitudinis est id quo res certa ab incerta discernitur, actus certus ab incertus. — Veteres Graeci distinguebant triplex criterium certitudinis :

a) *Criterium per quod*; est facultas per quam homo cum certitudine verum a falso discernit.

b) *Criterium quo*; est actus quo intellectus verum a falso discernit; hic actus est judicium.

c) *Criterium secundum quod*, seu motivum; est nota qua infallibiliter verum a falso discernitur, seu quae ostendit rem sic esse et aliter esse non posse, adeoque ex se formidinem de oppositi veritate expellere valet a mente.

DIVISIO CRITERII SECUNDUM QUOD :

1^a **Div.** Motivum certitudinis aliud est *ultimum*, aliud est *proximum*: a) *Ultimum* est illud ultra quod non potest assignari aliud. b) *Proximum*, illud ultra quod assignatur aliud.

2^a **Div.** Motivum est *universale* vel *particulare*. a) Universale illud est quod est *commune omnibus iudiciis certis*, seu quo infallibiliter omne verum a falso discernitur. — b) Particulare illud est quod est *commune uni tantum speciei iudiciorum*, seu quo infallibiliter quaedam tantum vera discernuntur a falsis.

Criterium *simul ultimum et universale* vocatur *supremum*.

237. Status quaestionis. Ex iis quae capite secundo fuerunt tradita, manifestum est dari certitudinem proprie dictam, h. e. rebus quibusdam praedicata convenire ob motivum infallibile, ostendens rem sic esse et aliter esse non posse, iisque ob tale motivum praestari assensum firmum, exclusa oppositi formidine. — Ex iis, quae capite tertio demonstrata sunt, constat motivum aliquod infallibile gignere certitudinem de principiis analyticis, de factis internis et de factis externis; ex his veritatibus primo cognitis certo erui veritates iis implicatas. Motivum autem infallibile adaequate inspectum idem non est pro quadruplici materia certa.

Im-praesentiarum quaeritur utrum habeatur motivum *supremum*, quod proinde sit a) *universale*, h. e. implicitum omnibus motivis fundatis certitudinem de factis et de principiis, b) *ultimum* h. e. a quo cetera motiva mutuent vim suam et quod ipsum non innitatur motivo aliis.

238. Sententiae. Duplex datur classis sententiarum :

JUSTA AUCTORES PRIMAE CLASSIS, criterium supremum est *nota extrinseca iudicio sive subjective inspecto sive objective* :

1. Juxta Fideistas seu Traditionalistas, quorum duces sunt Huetius, Bautain, de Bonald, Bonnetty et Ventura, haec nota est *auctoritas divina manifestata per revelationem factam protoparentibus et traductam ad omnes gentes*.

2. Juxta de Lamennais (1782-1854) (1), criterium supremum quoad veritates ordinis tum naturalis tum supernaturalis, est *auctoritatis generis humani quae manifestatur consensu generali*. Ratio individualis per se de nulla re potest esse certa. JUSTA AUCTORES SECUNDÆ CLASSIS motivum ultimum est *nota intrinseca iudicio certo*. Bifariam dividuntur :

A. Juxta alios motivum supremum est *nota intrinseca iudicio subjective inspecto*. Alii autem aliam notam assignant :

(1) *Essais sur l'indifférence*, t. II, ch. 12, 13, 14.

1. Juxta scholam *Scoticanam* (1), cuius duces sunt in Scotia Reid et Dug. Stewart, in Gallia Theod. Jouffroy (1796-1842) (2), motivum supremum est *caecus instinctus intellectus*, qui in eo stat quod omnes, quin apprehendant convenientiam subjecti et praedicati, instinctu sive inspiratione naturae, impelluntur ad judicia necessaria et universalia ponenda.

2. Juxta scholam *Sentimentistarum*, quorum dux in Germania est Jacobi (1745-1819), in Anglia vero Hutcheson, criterium supremum est *caecus instinctus*, non quidem intellectivus, sed *affectivus*. Ex dicendis patebit scholam scoticam et sentimentalistarum e medio tollere omnem certitudinem.

3. Juxta Cartesium motivum supremum est *claritas et distinctio ideae*: illud enim omne, ait, est infallibiliter verum quod clare percipitur.

OBSERVA. Sententia cartesianorum ab aliis sic exponitur: motivum supremum est claritas et distinctio cognitionis objective sumptae, h. e. objecti prout praelucet in cognitione.

(1) SCHOLA SCOTICA fundata est a Thoma Reid (1710-1796), et successiva evoluta a James Beattie (1735-1803), James Oswald, Dugald Stewart. Se opposuit scepticismo Humii.

A. *METHODUS* est *observatio interna et externa*; *REGULA* est *sensus communis*. Quae methodus distinguitur a methodo Baconis et Cartesii, quorum regula erat ratio individualis, et quorum alter solam experientiam internam, alter autem solam externam adhibebat.

B. *PRINCIPIA*: 1. Illud est *verum* quod ut tale habetur per *sensem communem*, h. e. per homines omnium temporum et locorum; illud autem est *falsum* quod *sensui communi adversatur*. Omnes homines per instinctum, seu inspirationem naturae, admittunt quasdam veritates, seu elicunt quaedam judicia necessaria et universalia, quin tamen videant objectivam connexionem praedicati et subjecti. Haec judicia sunt *leges fundamentales et constitutivae rationis humanae*.

2. Idealismus, scepticismus et materialismus contrariantur his legibus et proinde falso laborant.

3. Aedificatur philosophia, observando apud se et apud alios quamnam pro veris et quaenam pro falsis habeantur.

Huic systemati affine est sistema eorum, qui criterium ultimum certitudinis reponunt in *uctoritate generis humani*.

(2) *Cours de droit naturel*, t. I, leçon 9.

B. *Juxta Scholasticos*, praeeuntibus Philosopho et D. Thoma, motivum supremum est *evidentia objectiva intrinseca judicio objective inspecto*, seu objecto de quo mens elicit judicium.

§ 2. Rejiciuntur falsae sententiae.

Thesis 23. Motivum supremum certitudinis: non est extrinsecum judicio subjective aut objective inspecto; ac proinde neque est auctoritas divina per revelationem manifestata, uti volunt Fideistae; neque auctoritas generis humani, manifestata per consensum moraliter universalem hominum, uti vult de Lamennais. Neque est intrinsecum judicio subjective inspecto; adeoque non reponitur in instinctu caeco intellectivo, uti vult Schola Scotica; neque in instinctu affectivo, uti vult Schola Sentimentistarum; neque in claritate et distinctione ideae, uti vult Cartesius.

239. I^a PARS. *Caecus naturae instinctus non est supremum motivum certitudinis.*

Sensus. Concedimus homines instinctu mentis ferri ad quae-dam judicia ponenda, eo sensu quod mens assentitur cum necessitas rei sibi est manifesta; sed negamus: a) hunc instinctum esse *caecum*, scilicet, mentem per naturam suam ferri ad assentiendum propositioni quin connexionem praedicati cum subjecto sibi sit manifesta per aliquod motivum objectivum; b) instinctum esse motivum ultimum certitudinis.

PROB. I^m ARG. Illud non est certitudinis supremum motivum quo in scepticismum inciditur. Atqui eo quod *caecus naturae instinctus* esset supremum certitudinis motivum, in scepticismum incideretur. Ergo.

Prob. Min. *Intellectus*, ne incidat in scepticismum, certus esse debet instinctum non ferri in falsum. Atqui ex eo quod supremum motivum certitudinis sit instinctus *caecus*, intellectus non potest esse certus instinctum non ferri in falsum. Ergo.

II^m ARG. Illud non est supremum certitudinis motivum, quod naturae mentis repugnat. Atqui *caecum* esse intellectus instinctum repugnat naturae mentis. Ergo.

Prob. Min. Mens ex natura sua est facultas facta ad videntum: nam est facultas cognoscitiva, cognoscere autem res

est res videre. Atqui facultati factae ad videndum repugnat ut instinctus ejus sit *caecus*. Ergo.

240. II^a PARS. *Auctoritas generis humani non est supremum motivum certitudinis.*

PROB. I^m ARG. Illud non est supremum certitudinis motivum quod vel inducit caecum instinctum, vel petit principium, vel praesupponit aliud motivum cui ipsum innititur et a quo certitudinem suam habet. Atqui, admissa auctoritatem generis humani esse supremum motivum certitudinis, unum ex his tribus consequens est. Ergo.

Prob. Min. Auctoritatem generis humani esse supremum motivum non est evidens, seu objective certum, immediate et per se. Igitur a) vel nullo motivo seu argumento redditur objective certum: et inducitur caecus instinctus circa supremum certitudinis motivum, et proinde circa omnia ea quae certa sunt; b) vel aliquo motivo id certum efficitur, illud autem argumentum a) vel est ipsa auctoritas generis humani et petitur principium; b) vel est diversum ab hac auctoritate, et tunc admittitur aliud motivum, cui innititur certitudo ipsius auctoritatis generis humani. Ergo.

II^m ARG. Illud non est supremum certitudinis motivum quod plerisque impossibilem reddit ullam notitiam certam. Atqui eo quod auctoritas generis humani foret supremum certitudinis motivum, plerisque impossibilis redderetur ulla notitia certa.

Prob. Min. Ut ullum habeatur judicium certum, certa esse debet existentia propria, siquidem est una ex duabus veritatis quae sunt fundamentum omnis judicii certi. Atqui, in sententia impugnata, plerisque impossibilis redditur certitudo de existentia propria. Ergo.

Prob. Min. Stante ista sententia, certitudo de existentia dari nequit, nisi de illa interrogetur genus humanum; nam constare debet de ejus consensu, ad hoc ut aliquid sit certum. Atqui hoc esse plerisque, imo omnibus, impossibile manifestum est.

241. III^a PARS. *Auctoritas Dei revelantis non est supremum motivum.*

Patet non agi de certitudine objective supernaturali h. e. de certitudine, ob motivum fidei, circa veritates revelatas.

PROB. Illud non est supremum certitudinis motivum, quod

vel inducit caecum instinctum, vel petit principium, vel praesupponit aliud motivum, cui ipsum innititur et a quo certitudinem suam accepit. Atqui eo quod auctoritas Dei revelantis esset ultimum certitudinis motivum, unum ex his tribus consequens esset. Ergo.

Prob. Min. Ut enim intellectus ob auctoritatem Dei revelantis sit certus, prius certus esse debet a) aliquem esse locutum; b) Deum esse qui sit locutus; c) locutionem Dei esse infallibiliter veram; secundum vero et tertium, non sunt evidentia immediate et per se. — Ceterum si per se evidentia forent, illa evidentia esset ultimum motivum certitudinis. — Igitur a) vel per nullum motivum certa fiunt, et inducitur instinctus caecus; b) vel certa fiunt aliquo motivo; illud vero motivum a) vel est ipsa auctoritas Dei revelantis, et petitur principium; b) vel est diversum ab hac auctoritate; tunc autem praesupponitur aliud motivum. Ergo.

242. IV^a PARS. *Clara distinctaque rei perceptio non est ultimum motivum.*

Ut habeatur judicium certum, requiritur idea clara distinctaque rei et motivi objectivi; idea clara et distincta rei potest dici motivum ob quod assensus firmus praestatur, quatenus involvit evidentiam objectivam; at negamus motivum supremum esse meram ideam subjectivam.

PROB. I^m ARG. Illud non est ultimum certitudinis motivum, quo subjectum non infallibiliter et necessario cum praedicato connectitur. Atqui per ideam claram et distinctam subjectum non infallibiliter cum praedicato connectitur. Ergo.

Prob. Maj. Motivum certitudinis involvit duo: a) hoc motivo praedicatum infallibiliter connecti subjecto; b) id mente esse manifestum, seu hujusce rei haberi claram cognitionem. Itaque id non est motivum ultimum quod caret priori elemento.

Prob. Min. Idea clara et distincta indicat tantum intensitatem majorem cognitionis, per quam mens tendit in objectum. Atqui per hoc quod mens magis aut minus in objectum tendit, non potest innasci subjecto connexio cum praedicato; sed ad summum potest poni conditio subjectiva, ut appareat menti connexio subjecti cum praedicato, quae tamen non apparebit

nisi subjecto revera insit. Ergo per ideam claram et distinctam, subjectum non infallibiliter cum praedicato connectitur.

II^m ARG. Criterium supremum veritatis debet esse immutabile et independens ab omni affectione subjectiva. Atqui talis non est idea clara et distincta Cartesii. Ergo.

Patet major quia veritas, de qua judicandum est, immutabilis est et independens.

Patet minor quia claritas et distinctio ideae saepissime pendent a subjectiva dispositione, ab attentione.

243. CONTRA II^m PARTEM. Obj. 1. Dubitamus cum nobis non constat ceteros nobis consentire, vel constat eos nobis non consentire; contra non dubitamus cum nobis constat ceteros nobis consentire. Atqui hoc est signum consensum omnium esse motivum supremum certitudinis. Ergo.

RESP. Dist. 1^a pars Maj. Dubitamus cum nobis non constat ceteros nobis consentire, in rebus quae nobis evidentes non sunt, *Transm.*; in rebus quae nobis sunt evidentes, *Neg.* — Dist. 2^a pars Maj. Dubitamus cum constat ceteros non consentire nobis, in rebus quae nobis evidentes non sunt, *Conc.*; in rebus nobis evidenteribus, *Neg.* — Dist. 3^a pars Maj. Cum nobis constat ceteros consentire, tunc non dubitamus, h. e. tunc *incipit certitudo*, *Neg.*; tunc augetur intensitas certitudinis, *Subd.* ob additum *novum motivum*, quod ex se saltem *probabilitatem* sententiae tribuit, *Conc.*; ob additum *ultimum motivum certitudinis*, *Neg. Cdt. Min.*

Obj. 2. Pueri non sequuntur aliud motivum quam auctoritatem. Atqui hoc est signum auctoritatem generis humani esse supremum motivum certitudinis. Ergo.

RESP. Dist. Maj. Pueri non sequuntur aliud criterium in rebus quae evidentes sunt sibi, *Neg.*; in rebus quae non sunt evidentes, *Transm.*

§ 3. De evidentia objectiva.

244. Definitio. Evidentia sumitur sensu duplo :

1. Sensu proprio est objecti sensibilis visibilitas; sive aliter, est id quo objectum aliquod corporeum per sensum visus

attingitur. Involvit igitur : a) realitatem objecti; b) id quo objectum se manifestum visui facit; c) praesentia visui.

2. Sensu metaphorico est necessaria rei intelligibilitas, quae pariter involvit tria : a) Objectum seu enuntiabile; b) id quo ab intellectu intelligi potest; c) manifestatio intellectui.

Evidentia varie definitur : a) Veritas rei perspecta menti; b) objectiva connexio praedicati cum subjecto perspecta menti; c) necessitas rei, sive enuntiabilis, manifesta menti; d) necessaria veritatis intelligibilitas.

245. Divisio : 1^a. Evidentia est objectiva vel subjectiva, sive dicitur de objecto quod ab intellectu videtur, et de subjecto quod objectum videt. — Primario dicitur de objecto quod menti manifestum fit; secundario de intellectu sive de actu intellectus qui per evidentiam objectivam determinatur.

Evidentia subjectiva definitur : cognitio intellectualis adeo clara ut nulla ratio dubitandi relinquatur.

Evidentia objectiva tripliciter dividitur ratione triplicis elementi quo constat. Etenim :

2^a Drv. Ratione necessitatis rei, evidentia est absoluta vel hypothetica (cf. n. 116).

3^a Drv. Ratione manifestationis menti, est immediata vel mediata : a) Immediata est, si connexio objectiva praedicati cum subjecto menti fit manifesta, inspectis solis terminis, sine medio demonstrativo; b) secus est mediata.

4^a Drv. Ratione nexus motivorum cum veritate, est intrinseca vel extrinseca. a) Intrinseca est si praedicatum videtur in subjecto, sive immediate sive mediate. Vocatur evidentia veritatis. — b) Extrinseca est si praedicatum cognoscitur convenire subjecto per motivum auctoritatis, quae ipsa intrinsecus evidens esse valet. Sic extrinsecus est evidens Deum esse trinum personis.

Porro mente scholasticorum evidentia objectiva, seu objectiva connexio praedicati cum subjecto menti manifesta, est in ordine naturali ultimum motivum omnis judicii certi; intellectus certus est praedicatum convenire subjecto, propterea quod haec convenientia sibi ita appetit ut cernatur rem aliter esse non posse. Itaque omnis certitudo repetitur ab evidentiis principiorum primorum, quorum nempe est « quod non solum necesse est

ea per se vera esse, sed etiam necesse est videri quod sint per se vera. »

Dici potest intellectum esse praeditum *instinctu*, si hoc nomine intelligitur dispositio ad eliciendum judicium quoties evidentia objectiva adest. At iste instinctus non est *caecus*, ut ex notione evidentiae perspicuum est.

Thesis 24. Evidentia objectiva est ultimum certitudinis naturalis motivum.

Sensus. Ultima ratio cur intellectus, exclusa omni formidine oppositi, firmum assensum in ordine naturali praestat facto aut principio, est quia praedicatum cum subjecto connectitur, mediate aut immediate, intrinsecus aut extrinsecus, et quod haec objectiva connexio menti appareat.

246. DECLARATUR, nam aggredi probationem esset petere principium.

I^m ARG. Petitur *ex renuntiatione sensus intimi*. Illud est supremum certitudinis naturalis motivum, quod est ultima ratio cognita quam mens profert interroganti cur se dicat certam. Atqui haec ultima ratio est evidentia objectiva. Ergo.

Prob. Min. Veritas quam certe tenemus est vel mediata vel immediata. Cum mediata est, si quaeratur ratio cur ea teneatur, proferimus principia alia quibuscum illa necessario conexa nobis appetit, et propter eorum necessitatem manifestam esse dicimus. Et si quaeratur ratio cur teneamus principia, si ea non sint immediata, tandem aliquando ad immediatas veritates devenimus, cum quibus ea connexa necessario sunt: et proinde eorum quoque necessitatem manifestam esse dicimus. Quod si tandem quaeratur ratio cur immediatas veritates teneamus, nihil aliud respondemus nisi quia eorum veritas nobis est necessario manifesta (1).

II^m ARG. Illud est supremum certitudinis motivum quod implicitum est singulis motivis certitudinem naturalem gignentibus, et e quo ea vim suam mutuant. Atqui talis est evidentia objectiva. Ergo.

Minor facile constabit percurrenti singula motiva de quibus

(1) Cfr. PALMIERI, *Log. Crit.* c. 4. Th. 22. p. 214.

actum est capite tertio. Speciatim recolantur theses de existentia corporum, de factis historicis, de inductione.

III^m ARG. Petitur ex *natura mentis*. Illud est supremum certitudinis motivum: a) quo habito, intellectus quiescere, certus immobilisque esse potest; quo non habito, quiescere, certus immobilisque per se esse non potest. Atqui evidentia objectiva habita, intellectus quiescere potest; ea non habita, per se non potest quiescere. Ergo.

Prob. Min. Intellectus est facultas cognoscitiva. Atqui talis facultas quiescere potest, imo debet, evidentia habita; hac non habita, per se quiescere non potest. Ergo.

247. Coroll. 1. Ergo evidentia non est principium aliquod. h. e. determinata veritas e qua ceterae educuntur; sed est certa *conditio* et *modus* objecti cognoscibilis. Per reflexionem in actus certos et in ea quae horum actuum existentiam determinant, elicetur principium evidentiae: « *Quod est evidens, est verum.* »

Coroll. 2. Nulla propositio evidens potest esse falsa; nulla propositio falsa potest esse evidens. Quod enim menti apparet esse et non posse non esse, id falsum esse non potest. Vicissim quod est falsum nequit apparere menti esse et non posse non esse.

248. Obj. 1. Criterium evidentiae *huc redit*: veritas est veritatis criterium. Atqui in tali effato habetur tautologia, et proinde eo non continentur ultimum certitudinis motivum. Ergo criterium evidentiae non est ultimum motivum.

Rsp. Dist. Maj. Criterium *huc redit*: veritas *objectiva, ontologica*, h. e. objectiva connexio praedicati cum subjecto menti manifesta, est criterium veritatis *subjectivae*, seu certitudinis *subjectivae*. **Conc.**; veritas *subjectiva* est criterium veritatis *subjectivae*, **Neg.**; **Cdt. Min.**

Obj. 2. Illud non est ultimum certitudinis motivum, quod cum errore componi potest. Atqui evidentia objectiva cum errore componi potest. Ergo non est ultimum motivum certitudinis.

Prob. Min. Etiam hi qui errant, existimant se habere evidentiā objectivā. Atqui hoc est signum evidentiā objectivā cum errore componi posse. Ergo.

Rsp. Conc. Maj.; Neg. Min. Ad prob. Dist. Maj. etiam illi qui errant existimant se habere veritatem, et si attente consi-

derarent, viderent se evidentiam non habere, *Conc.*; et non valeant hoc cernere, *Neg.*; *Cdt. Min.*

Obj. 3. Ex sententia theseos sequitur omne verum esse evidens. Atqui hoc est falsum. Ergo falsum est evidentiam objectivam esse supremum certitudinis motivum.

Prob. Min. Mysteria sunt vera. Atqui mysteria non sunt evidencia. Ergo aliquod verum non est evidens.

Resp. Dist. Maj. Ex sententia theseos sequitur omne verum esse evidens sive *intrinsecus* sive *extrinsecus*, *Conc.*; *intrinsecus*, *Neg.*; *Cdt. Min.* — Ad prob. *Conc. Maj.*; *Dist. Min.* mysteria non sunt evidencia *extrinsecus*, *Neg.*; *intrinsecus*, *Conc.*

Obj. 4. Saltem evidencia *extrinseca* non est ultimum certitudinis motivum. Illud enim non est ultimum certitudinis motivum quo in sententiam fideistarum inciditur. Atqui eo quod evidencia extrinseca valeret esse ultimum certitudinis naturalis motivum, incideretur in sententiam fideistarum. Ergo evidencia extrinseca non est ultimum motivum.

Prob. Min. Eo quod hoc admitteretur, ultimum motivum esset auctoritas Dei revelantis. Atqui haec est sententia fideistarum. Ergo.

Resp. In sententia fideistarum, assensus praestatur auctoritati Dei revelantis *propter seipsum* et proinde modo caeco. In sententia theseos assensus naturalis praestatur huic auctoritati quia mens evidenter cernit Deum esse, Deum esse locutum, Deum nec fallere nec falli posse; de his autem tribus habetur evidencia *intrinseca* (1).

(1) Articulus fidei creditur quidem assensu supernaturali supra omnia firmo propter auctoritatem Dei revelantis praecise sumptam, nempe non progrediendo ad motiva naturaliter evidencia quibus factum revelationis et auctoritas Dei loquentis vera esse comprobentur. Verum exinde nullatenus consequitur actum fidei esse caecum. Etenim cum inter fidei praeambula, ex motivis credibilitatis, certitudo, saltem moralis, sit acquisita de facto revelationis, cum infinita Dei scientia et veracitas ex theologia naturali sit manifesta; ad illa argumenta, excurrendo extra lineam fidei, rediri semper potest a mente. Jamvero ex his sufficienter eluescit actum fidei, licet sistat in auctoritate Dei revelantis, non esse proprie caecum.

Inde *Conc. Maj. Dist. Min.* Qui admittit evidentiam extrinscam incidit in sententiam fideistarum, si non est evidens *intrinsecus* Deum esse, Deum esse locutum, Deum nec fallere nec falli posse, *Conc.*; si haec sunt evidencia *intrinsecus*, *Neg.*; *Dist. Cons.*

Obj. 5. Illud non est supremum certitudinis motivum quo cuiusvis individui ratio fit judex infallibilis veritatis. Atqui eo quod evidencia est supremum certitudinis motivum, cuiusvis hominis ratio fit judex infallibilis veritatis. Ergo.

Resp. Dist. Maj. Illud non est supremum motivum quo ratio fit judex infallibilis *constituens* veritatem, *Conc.*; *cognoscens* veritatem, et ita cognoscens ut, evidencia habita, falli non possit, *Neg.*; *Cdt. Min.*

Inst. Atqui eo quod evidencia est supremum motivum, quivis homo fit judex *constituens* veritatis. Criterium enim evidentiae huc reddit: « res ita est, quia sic mihi videtur. » Atqui per tale criterium homo fit judex *constituens* veritatis. Ergo.

Resp. Dist. Maj. Si sensus verborum ponitur esse: *rem ita esse affirmo quia sic se mihi manifestat*, *Conc.*; *quia mihi placet ut talis sit*, *Neg.*; *Cdt. Min.*

Inst. Atqui absurdum est rem aliquo modo sic esse, v. g. Deum esse bonum, quia sic se mihi manifestat. Ergo.

Prob. Min. Subs. Si enim hoc admittitur, veritas rei pendet ab evidencia. Atqui hoc est absurdum. Ergo absurdum est rem certo modo esse, quia sic se menti manifestat.

Resp. Dist. Maj. Si hoc admittitur, veritas rei, h. e. *certitudo subjectiva* veritatis, penderet ab evidencia, *Conc.*; *veritas objectiva*, seu *connexio praedicati cum subjecto*, penderet ab evidencia, *Subd.* ab evidencia *in actu secundo*, *Neg.*; *in actu primo*, *Transm. Cdt. Min.* Profecto a parte rei praedictum convenit subjecto, sive hoc appareat menti sive non; sed veritas rei debet se manifestare menti, sive magisterii beneficio sive propria inquisitione, ad hoc ut detur certitudo.

ONTOLOGIA.

PRAENOTIONES.

1. **Definitio.** Scientiae metaphysicae investigant eas rerum causas quae limites experientiae sensuum externorum aufgiunt. Quaedam autem ex his rationibus sunt communes aliquatenus omnibus rerum generibus quae a variis aliis partibus metaphysicae considerantur. Hae autem rationes perpenduntur ab Ontologia. — E quo patet quodnam sit objectum Ontologiae et quaenam ejus definitio. Ontologia (*Ὥντος περὶ τὸν ὄντα;*) definitur : Scientia quae considerat ens, entisque proprietates, ac suprema genera, easque entis universales rationes quae in omnibus naturis reperiuntur, conjunctim vel divisim.

Objectum. Objectum materiale Ontologiae sunt omnia entia; objectum formale est id quod soli intellectui se manifestat et est aliquatenus omnibus rebus commune. Porro rationes quas Ontologia considerat, dupli modo possunt esse communes, sive quatenus eadem ratio omnibus generibus entium competit, sive quatenus alterutra ex oppositis cuique entium generi convenit.

Nomen. E praefactis liquet partem istam philosophiae apte vocari *Ontologiam*. Nec minus apte vocatur etiam *Philosophia Prima*, aut *Metaphysica generalis*, quia nempe considerat principia prima et fundamentalia quae applicantur tum scientiis physicis tum metaphysicae speciali.

Partitio. Ontologia tripartito dividetur :

- I^a Pars ager de ente, ejusque proprietatibus;
- II^a de decem categoriis in quas dispescitur ens;
- III^a de perfectionibus entium.

ONTOLOGIAE PARS PRIMA.

DE ENTE EJUSQUE PROPRIETATIBUS.

CAPUT I.

DE ENTE.

Inquirendum est primum de entis conceptu, et de habitudine ejus ad ceteros conceptus; deinde evolvendi sunt characteres entis prout ens dicit essentiam; tum considerandus est duplex status qui enti competere potest, nempe status possibilitatis et status existentiae; postremo declaranda sunt principia rationis quae ex notione entis immediate efflorescant.

ARTICULUS I.

DE CONCEPTU ENTIS.

2. Nomine entis appellatur omne quod existit, quaecumque sit rei natura, sive sit substantia sive accidentis, sive vita gaudet sive careat. Imo eodem vocabulo vocantur ea quae, existentiam non adepta, duntaxat apta sunt ad eam adipiscendam. Ideo terminus « *ens* » dicitur *transcendentalis*, utpote omnia genera transcendens, omnique rei communis.

Porro in praesenti articulo tria quaeruntur : a) Utrum vocabulo *ensis*, prout ad ista varia refertur, respondeat *conceptus unus*, an *multiplex*. b) Quaenam sit ratio per hunc *conceptum exhibita*. c) Quaenam sit *habitudo conceptus entis ad ceteros conceptus*.

I. DE UNITATE CONCEPTUS ENTIS UT SIC.

3. 1. Conceptum *subjectivum* entis esse unum constat *ex experientia*: Audito enim nomine entis, experimur mentem nostram non distrahi neque dividi in plures conceptus, sed colligi potius ad unum, sicut cum concipit hominem, animal, et similia.

2. Conceptum *objectivum* entis esse unum patet quia conceptui subjectivo uni respondet conceptus objectivus unus. Omnis enim actus intellectus unitatem suam vel multiplicitatem habet a ratione objectiva, prout haec nempe est una vel multiplex.

Ex his colligitur conceptum objectivum entis non dicere expresse substantiam nec accidens, Deum nec creaturam: Si enim expresse diceret substantiam, conceptus objectivus entis non inesset accidenti, et proin non esset unus; si vero expresse diceret accidens, hic conceptus non inesset substantiae, et incurreretur in idem inconveniens.

II. DEFINITIO ENTIS.

4. De ente tradi non potest definitio essentialis *proprie dicta* per partes physicas neque per partes metaphysicas; tradi etiam non potest definitio proprie descriptiva. Nota enim entis, ut modo manifestum erit, est simplex et imbibitur qualibet alia ratione; consequenter est expers cujuslibet partis et ingreditur in omnibus his quibus describeretur. — Quare inquiritur definitio essentialis *impropriæ dicta*.

1. Ens significat *id quod est, realitatem, essentiam*. — Etenim cum conceptus objectivus entis sit unus et transcendentalis, ratio objectiva hoc conceptu repraesentata dicenda est esse transcendentalis et notare illud in quo substantia et accidens, Deus et creature inter se convenient et quod de singulis praedicandum est. Atqui sola notio modo tradita est hujusmodi. Ergo.

2. Ens sumitur tum *adaequatum* tum *inadaequatum*.

a) Illud dicitur esse *adaequatum* ens, *quod existit*, seu quod habet realitatem extra nihilum. Hinc ens *adaequatum* sumptum dicit *essentiam existentem*, includitque duo: *a)* rem seu *essen-*

tiam, b) actuale exercitium ejus realitatis, seu *existentiam*. Non ideo tamen constat ens ex notis essentiae et existentiae formaliter diversis; existentia enim in suo conceptu includit essentiam, est nempe aliquid, secus esset nihilum.

b) *Inadaequate* ens significat *aliquid, aliquam essentiam, praescindendo ab hoc utrum actu existat, necne*. Res, quae in ordine reali existit, concipi potest praecisione facta ab ejus actuali existentia; pariter concipi possunt res quae possunt existere, licet actu non existant. Ita vero concipitur sola essentia quae est apta ad existendum. Essentiae sic consideratae competit nota « *id quod est* » ob ejus aptitudinem ad existendum.

Coroll. Conceptus entis prout dicit indeterminate essentiam, est simplicissimus. Terminus enim entis dicitur de omni ratione excogitabili. Huic termino respondet conceptus unus. Sed ut conceptus conveniat omni rei, debet esse simplex; secus totus conceptus conveniret singulis partibus suis utpote rebus.

Advertatur diversum non esse conceptum essentiae existentis et essentiae simpliciter, sed eundem conceptum « *id quod est* » verificari duobus modis intrinsecis. Quare essentia non existens non differt ab essentia existente secundum rationem essentiae; attamen differt secundum statum existentiae et non existentiae. Haec vero differentia non est positiva sed *negativa*. Differentia enim positiva habetur inter duos terminos reales; negativa inter duo quorum unum est reale, alterum non.

Advertere etiam juvat objectum ontologiae esse ens prout est *essentia*. Ontologia enim abstrahit utrum essentiae, quas considerat, habeantur in ordine rerum, necne. Ceterarum scientiarum est considerare has essentias ut existentes. Hinc existentia ipsa et possibilitas, quae essentiis competere possunt, considerantur ut sunt essentia aliqua.

III. DE HABITU DINE CONCEPTUS ENTIS AD CETEROS CONCEPTUS.

Assertum 1^m. Conceptus *subjectivus* et *objectivus* entis ut sic est secundum rationem praecisus ab omni alio conceptu *subjectivo* et *objectivo*.

5. PROB. Si conceptus *subjectivus* et *objectivus* entis non

praescindunt ab omnibus his conceptibus vel notis; implice includunt unum ex illis. Atqui hoc dici nequit. Ergo.

Prob. Min. Si enim conceptus entis includeret notam perseitatis, jam non conveniret accidenti; si includeret notam inaleitatis, jam non conveniret substantiae. Atqui hoc dici nequit, secus enim conceptus entis non est transcendentalis nec simplex.

Assertum 2^m. Conceptus entis objectivus prout in re ipsa existit, non est aliquid ex natura rei distinctum ac praecisum ab inferioribus in quibus existit, nec ab ulla differentia vel ratione positiva.

6. Sensus. Ex superioribus liquet rationem objectivam entis non includere in comprehensione sua rationes formales eorum in quae dividitur ens, puta substantiam et accidens. Contra heic contenditur tum ista inferiora entis, tum ipsas differentias quasi specificas, seu rationes formales, nimurum perseitatem, inaleitatem, etc. includere in comprehensione sua hanc notam entis, adeo ut ens omnes notiones pervadat.

PROB. Nulla ratio distinguitur ex natura rei ab eo in cuius definitione includitur. Sed ratio entis includitur in definitione omnium inferiorum entis, omnium differentiarum et omnium rationum positivarum. Ergo ratio entis non distinguitur ex natura rei ab inferioribus, et ab ulla differentia vel ratione positiva.

Prob. Min. Illa ratio includitur in definitione alterius, quae convenit illi per seipsum; sed ratio entis per seipsum convenit omnibus inferioribus, et differentiis, et rationibus positivis. Omnia enim inferiora et omnes differentiae et rationes positivae, per seipsa sunt entia: ex. gr. perseitas, et esse perseitatem est esse quoddam ens; si enim per seipsum non esset ens, esset non-ens seu nihil.

Assertum 3^m. Conceptus objectivus entis contrahitur in inferioribus, non quidem per modum compositionis, sed per modum expressioris conceptus aliquujus entis contenti sub ente.

7. Sensus. Inferiora entis, puta substantia et accidens, Deus et creatura, concipiuntur nota entis cum quodam addito (per se et in alio, a se et ab alio); haec addita, quae contrahunt ens, includunt notam entis, sunt diversi modi entis, distincte et determinate referunt id quod ens indeterminate et confuse refert.

Prob. Ille conceptus contrahitur in inferioribus, non per modum compositionis, sed per modum distinctioris conceptus ejusdem realitatis, qui descendit ad inferiora per additionem illius quod includit notam contrahendam; atqui conceptus objectivus entis descendit ad inferiora per additionem illius quod includit ens; ergo.

Prob. Min. Conceptus entis descendit ad inferiora per additionem perseitatis, inaleitatis, infinitatis, finitatis, etc. Atqui haec includunt notam entis. Ergo conceptus entis descendit ad inferiora per additionem illius quod includit ens.

Prob. Min. a) Ista addita essentialiter concipiuntur ut aliquid, ut ens; secus enim conciperentur ut nihil; nihil autem non potest contrahere ens. b) Ens non distinguitur ex natura rei a ceteris rationibus positivis, licet tamen has rationes in comprehensione sua non includat. Ergo ens includitur in qualibet ratione ipsi addita.

Assertum 4^m. Conceptus objectivus entis univocus non est, sed analogus.

8. Observa. Terminum *ens* non esse aequivocum ex eo manifestum est quod huic vocabulo respondet conceptus subjectivus et objectivus qui sit *unus*. Sufficit igitur probare conceptum entis non univoce referri ad inferiora.

PROB. Conceptus objectivus entis in inferioribus contrahitur non per modum compositionis, sed per modum distinctioris conceptus ejusdem realitatis. Atqui talis conceptus non est univoce communis inferioribus. Ergo.

Prob. Min. Ille conceptus objectivus non est univoce communis inferioribus, qui in inferioribus perficitur, non quidem per notam formaliter diversam, sed per notam quae jam includit priorem. Atqui conceptus qui in inferioribus contrahitur modo qui descriptus est, in his inferioribus perficitur per notam quae jam includit priorem. Ergo talis conceptus non est univoce communis inferioribus.

ARTICULUS II.

DE COGNOSCIBILITATE ET DE CHARACTERIBUS ENTIS
SEU ESSENTIAE.

Uti ex ejus enuniatione patet hic art. in duas partes dispescetur:

§ 1. *De cognoscibilitate essentiarum.*

9. Notiones. I. Definitio. Essentia vi vocis, est id quo responderetur querenti *quid sit res*. Ideo vocatur etiam *quidditas*. Sumitur tripleriter: a) *Latissime pro ente ut sic*. Sic intellecta, existit in ordine rerum quoad id quod concipitur, non vero quoad modum quo concipitur; non enim existit essentia indeterminata. — b) *Late pro quovis modo entis h. e. pro quavis substantia et quovis accidente*. — c) *Stricte pro specie seu natura specifica entis in ordine physico positi*: Ita nunc inspicitur essentia.

Essentia definitur tripliciter: a) In ordine ad seipsam: *id quo res est id quod est*, seu etiam *id quo res est constituta in certo ordine entium, in determinata specie*. — b) In ordine ad *intellectum*: *id quod in re concipitur esse primum*, seu etiam *id quo concipitur esse ratio, radix ceterorum enti intrinsecorum, quod autem ipsum in-alio-rei intrinseco rationem sui non habet*. — c) In ordine ad *effectus*: *principium primum, radicale, intimum actionum ac proprietatum quae rei convenient*. — Sic definita, essentia est formaliter idem ac *natura*.

10. II. *Divisio.* Essentia dupliciter dividitur:

1. In *physicam et metaphysicam*: a) *Physica* constat ex partibus realiter inter se distinctis; b) *metaphysica* ex partibus sola ratione distinctis. (Cfr. Dial. n. 64).

2. In *artificialem et naturalem*. a) *Essentia artificialis* illa est cuius constitutio est dependens ab humano intellectu. b) *Naturalis* illa est cuius constitutio pendet a *natura*.

Quaestio. Quaeritur quousque essentiae rerum naturalium nobis per viae esse possint. — Essentias rerum *artificialium*, puta *navis, libri,*

machinae etc. usvis, perfecte nobis esse cognitas, patet quia ipse intellectus humanus determinat omnia earum rerum constitutiva. Igitur restringitur quaestio ad essentias naturales.

11. Sententiae: I^a est *Nominalium et Conceptualium negantium essentias rerum naturalium cognosci posse*. Distinguunt Nominales inter essentiam physicam, et essentiam nominalem. Essentia *physica* est id quo res in seipsa physice constituitur. Essentia *nominis* est ea quae a consideratione mentis pendet, quatenus nempe mens res coordinat per quasdam series, quae dicuntur genera, species, etc. Essentia *physica* rei *naturalis*, aiunt, plane est impervia menti humanae. — *Conceptuales* denegant valorem objectivum *idearum de essentis*.

II^a est *Scholasticorum*. Concedunt non omnes rerum essentias esse cognitas; deinde essentiarum naturalium cognitionem non esse intuitivam et immediatam, neque perfectam seu eam non attingere εν αντεμπονιᾳ omnia elementa quibus essentiae naturales constant. Sed contendunt *nonnullarum* saltem essentiarum haberet cognitionem *abstractivam et mediatam*, eo nimur sensu quod ex proprietatibus, ex qualitatibus et effectibus rerum, mens ratiocinando dedit cognitionem saltem imperfectam quarundam essentiarum.

Thesis 1. Mens humana plurium rerum naturalium cognoscere potest essentias, saltem imperfecte.

12. PROB. Sensus externi referunt modum quo non pauca corpora videntur agere in alia, ea modificare, alterare, se combinare cum iis. Sic referunt in arbore successive oriri folia, flores, fructus; referunt varias combinationes quas oxygenium init cum aliis substantiis. Pariter sensus attingunt diversas qualitates, puta calorem, colorem, etc., quibus res instructae apparent. Atqui ex cognitis his effectibus et his qualitatibus, potest mens aliquatenus deducere cognitionem essentiarum harum rerum. Ergo potest mens aliquatenus cognoscere essentias plurium rerum naturalium.

Prob. Min. Ex effectibus rerum naturalium, et ex qualitatibus, intellectus potest arguendo cognoscere iis respondere diversa principia intrinseca et proportionata, quae sunt sub-

stantiae et causae. Atqui cognoscere rebus respondere diversa principia intrinseca et proportionata, est aliquatenus cognoscere essentias harum rerum. Ergo.

13. Scholion. Quaeres quodnam discrimen intercedat inter hanc thesim et thesim Logicae de conceptualismi falsitate, qua nempe probatur conceptus nostros de rerum essentiis haud carere valore objectivo?

RESP. Logica inquirit de certitudine cognitionum nostrarum proindeque de valore objectivo *conceptuum subjectivorum*. Judicamus enim de rebus per conceptus apprehensionis; proinde ut certa sint iudicia, requiritur ut conceptus subjectivi sint conformes hisce rebus de quibus iudicium fertur. — Ontologia considerat ipsas res, seu *conceptus objectivos*; inquirit num cognosci possint, et quid sint. — Igitur thesis contra conceptuales posita respicit *in recto conceptus subjectivos, in obliquo conceptus objectivos*; thesis de cognoscibilitate essentiarum naturalium respicit *in recto conceptus objectivos, in obliquo conceptus subjectivos*. Quibus argumentis probatur una thesis, iisdem probatur et altera; quibus difficultatibus una est obnoxia, iisdem et altera est obnoxia.

§ 2. De characteribus essentiarum.

Thesis 2. Quaevis essentia est certo aliquo modo immutabilis, indivisibilis, necessaria, aeterna.

14. I^a PARS. Essentia est immutabilis in ratione essentiae.

A. Notio. Immutabilitas est negatio mutabilitatis quae in eo est posita quod aliquid mutationis est capax. Mutatio definitur *transitus a potentia ad actum vel ab actu ad potentiam*.

Mutatio duplex est, extrinseca nempe et intrinseca: 1. *Extrinsica* est transitus a non respectu ad respectum, vel e converso. — 2. *Intrinsica* est transitus a non esse alicujus intrinseci ad esse hujus intrinseci, vel e converso.

Mutatio intrinseca duplex est: a) *Metaphysica* seu improprie dicta: est transitus a statu non existentiae ad statum existentiae, vel e converso. — b) *Physica* seu proprie dicta: est transitus

subjecti realis ab una forma ad aliam formam. Ipsa forma potest esse *substantialis* vel *accidentalis*, prout vel in materia prima duae formae substantiales se invicem excipiunt, vel substantia completa ab uno accidente transit ad aliud. In hac mutatione idem est *subjectum* quod successive subest termino a quo et termino ad quem mutationis.

Essentiis competit mutabilitas metaphysica, eo nimur sensu quod in ordine reali vel non positae ponit, vel positae ab essendo deficere possunt. Iis competit mutabilitas physica secundum accidentia: ipsis enim accedere, vel ab iis recedere possunt diversae qualitates accidentales. At contendimus essentias esse physice immutabiles *in ratione essentiae*, seu repugnare ut aliqua essentia fiat essentia alia per mutationem proprie dictam. Sic homo qui ex essentia est animal rationale potest mutari secundum accidentia mutatione proprie dicta: transit enim ab uno accidente ad aliud; verum non potest mutari secundum essentiam mutatione proprie dicta seu non potest haberi idem *subjectum* quod ab una essentia transeat ad aliam.

B. PROB. Si essentia aliqua potest mutari mutatione proprie dicta in essentiam aliam, simul haberetur et non haberetur idem *subjectum* sub termino a quo mutationis et sub termino ad quem. Atqui hoc implicat. Ergo.

Prob. Maj. a) *Haberetur idem subjectum*: Supponitur enim fieri mutationem proprie dictam. Atqui identitas subjecti est essentialis huic mutationi. Ergo. **b)** *Non haberetur idem subjectum*: Mutatur essentia in essentiam aliam; essentia autem est ipsum *subjectum*; unde *subjectum* mutatur in aliud.

15. II^a PARS. Essentia est certo modo indivisibilis.

Notio. Duplex concipi potest essentiae divisibilitas:

Prior in eo ponitur quod essentia composita, sive cogitatione sive re, in suas partes resolvitur. Hanc possibilem esse manifestum est. — Posterior in eo ponitur quod essentia, manens eadem, locupletatur vel spoliari potest notis ad essentiam spectantibus. Haec divisibilitas negatur de essentiis; quod probatur eodem modo atque supra.

16. III^a PARS. Essentia est certo modo necessaria.

A. **NOTIO.** Triplex est necessitas : a) *In essendo*, qua essentia necessario existit. b) *Possibilitatis*, qua necessario est possibilis. c) *In praedicando*, quatenus necessario de ea quaedam praedicari possunt. — Prima necessitas *soli Deo* competit; ceterae essentis vindicantur.

B. **DECL.** 1. Essentiae sunt diversi modi secundum quos imitabilis est essentia divina. Atqui hi modi sunt necessario possibles. Ergo.

Prob. Min. Deus est infinite perfectus. Atqui ens infinite perfectum est necessario imitabile ad extra secundum modos sine fine varios. Ergo.

2. Essentia quaevis est immutabilis et indivisibilis; ergo semper et necessario quaedam de ea praedicari possunt.

17. IV^a PARS. *Essentia est certo modo aeterna.*

A. **NOTIO.** Aeternitas dicit durationem sine initio et sine fine. Duplex est : *positiva* et *negativa*. 1. *Positiva* est *realis*, vel *idealis*. 2) *Realis*, seu in essendo, est *duratio in essendo tota simul, sine initio et sine fine*. Definitur a Boetio : « Interminabilis vitae tota simul et perfecta possessio. » 3) *Idealis*, stat in eo quod aliquid ab aeterno est cognitum. — 2. Aeternitas *negativa* est *indifferentia ad existendum in quavis parte durationis indefinitae*. — Soli Deo competit aeternitas positiva realis. — Contendimus essentis competere aeternitatem *positivam idealem*, et aeternitatem *negativam*.

B. **DECL.** 1. Cuivis essentiae competit aeternitas *idealis*.

Ab aeterno intellectus divinus cognoscit omnes modos secundum quos essentia divina est imitabilis ad extra. Atqui hi varii modi sunt omnes essentiae rerum; ergo ab aeterno essentiae sunt cognitae ab intellectu divino.

2. Aeternitas *negativa* convenit : a) essentiis finitis *mere possibilibus*, uti ex se patet; b) essentiis *existentibus*, inspectis ut essentiis, eo sensu quod hae essentiae, inspectae uti formaliter sunt essentiae, possunt existere in quavis differentia temporis.

OBSERVA. Essentiae existentes, inspectae uti formaliter sunt existentes, jam determinantur ad certam temporis differentiam, proindeque aeternae jam non sunt.

ARTICULUS III.

DE POSSIBILITATE.

Praestituta notione potentiae et actus, inquiretur 1^o quomodo possibilia a nihilo discriminantur. 2^o Undenam possibilitatem suam mutuent.

§ 1. *De potentia et actu.*

18. POTENTIA. A. **NOTIO.** Est *aptitudo* ad varia agendum vel patiendum. Ens instructum diversis potentias dicitur esse in potentia ad diversa. — Illa ad quae natura est in potentia, dicuntur *actus*.

B. **PARTITIO.** 1. Res non existens aut existens potest concepi esse capax existendi, seu in potentia ad existendum. Haec res dicitur esse *unum ex possibilibus*; ejus potentia vocatur *objectiva* (h. e. potentia ad fieri objectum), *possibilitas logica*, *simpliciter possibilitas*; definitur : *aptitudo ad existendum*.

2. Res existens est in potentia ad agendum vel patiendum. Ista vero potentia dicitur *subjectiva, realis*. Definitur : *aptitudo ad formam suscipiendam, vel ad agendum, fundata in entitate reali subjecti*. — Potentia realis dupliciter dividitur :

a) *In activam et passivam* : a) *Activa* est *aptitudo agendi*, seu *principium agendi*. Est ipsa duplex prout terminus actionis, seu id quod fit, est immanens vel transiens. Principium quod immanenter agit, dicitur *vitale*. b) *Passiva* est *aptitudo patiendi*, seu *suscipiendi formam*. — b) *In naturalem, et obedientiam* : a) *Naturalis* est *potentia ad actum viribus naturae proportionatum*. — b) *Obedientialis* est *potentia ad recipiendam intrinsecus formam quae superat exigentiam et naturalem capacitatem naturae*.

19. **ACTUS.** Est de primis simplicibus; unde stricte non definitur; describitur : *perfectio quae acquiritur potentia quae ipsi respondet*. Dividitur aequae ac potentia.

1. *Potentiae logicae* respondet *actus essendi*.

2. *Potentiae reali* respondet *forma recepta in subjecto*. Est *substantialis* seu *actus formalis*, si recipitur in materia prima; *accidentalis*, si recipitur in substantia completa.

3. Potentiae *activae* respondet *operatio seu actio*.
 4. Potentiae *passivae* respondet *terminus recentus*.
 5. Potentiae *obedientiali passivae* respondet *forma supernaturalis*, puta gratia sanctificans, habitus infusus virtutum.
- 20.** Axiomata scholastica de potentia et actu :

I^m. *In tantum aliquid est perfectum, in quantum est in actu, imperfectum in quantum est in potentia.* Potentia enim realis, in quantum est potentia, actu seu perfectione destituitur.

II^m. *Actus omnino purus est omnino perfectus.* Nam actus purus non est in potentia ad ulteriorem perfectionem, nulla perfectione privatur. Atqui quod hujuscemodi est, id omnino est perfectum.

NOTA. Actus purus ille est qui non est admixtus potentiae. Duobus modis actus potest admisceri potentiae : a) quia est actus alicujus potentiae, ut anima est actus corporis; b) quia ipse est in potentia ad ulteriorem actum.

III^m. *Actus purus in aliquo ordine est omnino perfectus, non simpliciter, sed secundum quid, h. e. in illo ordine.* Ratio est quod hic actus purus non est in potentia ad ulteriorem perfectionem; unde habet omnem perfectionem ad quam aptitudinem habet, seu quae entibus hujuscce ordinis competere potest.

IV^m. *In tantum aliquid agit, in quantum est in actu; patitur vero in quantum est in potentia.* Pati enim est acquirere aut amittere perfectionem; sed in tantum aliquid acquirit aut amittit perfectionem, in quantum est in potentia. Agere autem est operationem elicere; sed operatio est actus potentiae activae. Agere ergo est esse in actu.

V^m. *Potentia, qua talis, nequit per semetipsam ad actum reduci, sed reducitur ab alio principio in actu.* Illud axioma cum distinctione accipiendum est, ne penitus pervertatur libertas. Sic autem distingui illud oportet : « *Potentia objectiva* reducitur ab alio ad actum, *Conc.*; *potentia subjectiva, Subdist.* *potentia passiva, Cone.*; *potentia activa, Subdist.* *potentia activa necessario agens, Conc.*; *libere agens, Subdist.* *potentia activa libere agens ab alio reducitur ad actum primum, Cone.*; *ad actum secundum, Neg.* De essentia enim talis potentiae est ut, constituta in actu primo completo, seu stipata omnibus ad

agendum requisitis, sit indifferens ad agendum, et se ipsam active determinet ad agendum.

VI^m. *Omne ens mutabile constat potentia et actu.* Esse enim mutabile est posse transire ab uno ad aliud, ab una forma ad aliam. Sed tale ens constat ex potentia et actu.

Quibus axiomatis sequentia addantur :

1. *Actus prior est potentia* (intellige : simpliciter loquendo, vi axiomatis quinti, non vero secundum quid, in ente enim finito prior est potentia). — 2. *Actus et potentia sunt contraria.* — 3. *Cujus est potentia, ejus est actus.* — 4. *Potentia frustra est quae non redigitur in actum.* — 5. *Ab actu ad potentiam valet consequentia.*

§ 2. De possibilium discrimine a nihilo.

21. *Possibile est illud quod esse potest, sive insuper existat, sive non.* Possibile *purum*, est illud quod esse quidem potest, verumtamen non est. — *Impossible* est id quod neque est, neque esse potest. — *Nihilum* est id quod non est. Est duplex : a) *Existentiae*, seu inadaequatum; est id quod non existit, sive existentiae sit capax sive non. Concipitur concipiendo ens adaequatum et negando *existentialiam*. b) *Nihilum essentiae*, seu adaequatum; est id quod neque existit, neque existere potest. Talis est circulus quadratus. Concipitur concipiendo *essentiam* et adjiciendo negationem.

22. *Patet pure possibile esse nihilum secundum existentiam.* At nullatenus est idem ac nihilum secundum *essentiam*. Etenim nihilum secundum *essentiam* nunquam esse potest, et proinde idem est ac impossibile; possibile vero purum non quidem est, sed esse potest, adeoque idem non est atque impossibile.

§ 3. De ratione proxima possibilitatis.

23. *Quaeritur undenam possibilia mutuentur suam possibilitem?* — Quae quaestio ita proponi potest :

Tum possibilia, tum impossibilia, sunt quidam complexus notarum. Sic homo est complexus notarum « *animalis* », et

« rationalis ; » circulus quadratus est complexus notarum « figurae circularis » et « quadrati. » — Itaque alii notarum complexus constituant ordinem possibilium; alii ordinem impossibilium. Quaeritur unde nam complexus habeant quod sint possibles vel impossibles; seu quod apti sunt aut inepti ad existendum.

Porro ut aliquid sit aptum ad existendum, seu ut sit *adæquate* possibile, duo requiruntur et sufficiunt :

a) Ut ex parte ipsius rei, seu ipsius complexus notarum, *non habeatur incapacitas ad existendum*. Haec aptitudo vocatur *possibilitas intrinseca, absoluta*. b) Ut habeatur *aliud ens*, quod aptum sit ut ad existentiam traducat id quod possibilitate intrinseca gaudet. Ista aptitudo illius alterius entis, vocatur *possibilitas extrinseca rei* quae existentia donari potest. Dicitur etiam *possibilitas relativa*. — Porro ab omnipotentiâ divina repetitur quod ea omnia quibus est *possibilitas intrinseca*, ad existentiam traduci queant.

DE POSSIBILITATE INTRINSECA possibilium duo quaeruntur :

1. Undenam *proxime* habeant possibilia quod sint *intrinsecus apta traduci ad existentiam*; seu undenam alii complexus notarum proxime habeant quod, quantum est ex se, non sint inepti ad existendum; undenam alii complexus ex se solis jam sint inepti ad existendum.

2. Quodnam sit *fundamentum possibilium*. De hoc in § seq.

24. Sententiae. PRIMA CLASSIS autumat possibilium absolutam possibilitatem oriri ex *ipsismet possibilibus*. — Ulterius a) Juxta fatalistas, ista ratio est ipsa possibilium *existentia*. b) Juxta plerosque possibilitas emergit ex *ipsis essentiis*.

SECUNDA CLASSIS asserit possibilitatem absolutam possibilium oriri ex aliquo *extrinseco* ipsis possibilibus. — Ulterius a) Juxta quosdam, possibilitas intrinseca pendet *ab intellectu humano*; h. e. *intrinsecus possibilia* sunt *capacia existentiam nancisci*, quia ut talia intellectu cogitantur. b) Juxta Ockam oritur *a divina potentia* h. e. possibilia *capacia sunt existentia donari*, eo quod Deus potens est ea producere. c) Juxta Cartesium, pendet *a libera voluntate Dei*; seu alia sunt possibilia, alia vero impossibilia quia Deus id libere voluit.

Thesis 3. Essentiarum possibilitas intrinseca non oritur proxime ex aliquo extrinseco possibilibus; sive illud extrinsecum ponatur esse potentia divina, sive libera Dei voluntas, sive intellectus humanus. Sed oritur ex aliquo possibilibus intrinseco; non tamen ex eorum existentia, sed ex notis constitutivis.

25. I^a PARS. Possibilitas intrinseca non pendet ab *actuali existentia rerum*.

Sensus. Ratio cur aliquis notarum complexus in se non habeat incapacitatem ad existendum, non est quia aliquando existit.

PROB. Ista sententia supponit ea tantum esse possibilia, quae existunt. Atqui hoc esse falsum constat tum ex libertate Dei, ejusque infinita perfectione, tum ex libertate hominis. Ergo.

26. II^a PARS. Non pendet ab intellectu humano.

PROB. Illud non pendet ab intellectu quod a) conceptui et judicio intellectus necessario praesupponitur; b) intellectu humano non dato, adhuc est possibile. Atqui possibilitas intrinseca a) conceptui et judicio intellectus necessario praesupponitur; b) intellectu humano non dato, adhuc habetur. Ergo.

Prob. 1^a pars Min. a) Objectum praesupponitur intellectui quoad id quod concipitur: intellectus enim non facit objectum. b) Evidentia objectiva, et proinde convenientia praedicati cum subjecto ejusque possibilitas intrinseca, praesupponitur judicio certo: nam judicium certum per hanc veritatem determinatur.

Prob. 2^a pars Min. Antequam Deus hominum genus condidit, adeoque antequam existebat intellectus humanus, possibilis erat homo, possibiliaque erant omnia creata.

27. III^a PARS. Non pendet a divina potentia.

PROB. Possibilitatem intrinsecam pendere a divina potentia, altero ex his modis intelligi deberet: a) Alia sunt possibilia, alia impossibilia, quia Deus alia facere potest, alia non potest; b) alia sunt possibilia, alia impossibilia, quia Deus alia efficit possibilia, alia efficit impossibilia. Atqui ex utroque flunt absurdia. Ergo.

Prob. 1^a pars Min. Consequens esset a) Deum propria limitatione et impotentia non omnia posse facere; b) potentiam Dei adæquate esse cognoscendam ut certo cognosci possit aliquid

esse impossibile. Atqui utrumque est absurdum : ex altero enim sequeretur Deum esse finitum; alterum vero contrariatur experientiae. Ergo.

Prob. 2^a pars Min. Dicendum esset Deum, necessario agenter, alia efficere possibilia, alia impossibilia. Patet quia secus possibilitas penderet a divina voluntate, haec vero est sententia de qua agetur parte sequenti. — Atqui hoc esse absurdum patet, quia nonnisi ob suam imperfectam potentiam Deus non potuisset alia facere possibilia quam quae fecit.

28. IV^a PARS. Non pendet a divina voluntate.

PROB. Si possibilitas intrinseca pendet a divina voluntate, nullum est homini medium naturale cognoscendi aliquid praeter existentia esse possibile vel esse impossibile. Atqui hoc contrariatur experientiae; ergo possibilitas intrinseca non pendet a divina voluntate.

Patet major quia actus liber divinae voluntatis, citra revelationem, intellectui humano est inscrutabilis.

29. V^a PARS. Oritur ex possibilium notis constitutivis.

PROB. Possibilitas intrinseca ex illo oritur, e quo oritur : 1) quod singulae notae sint possibles; 2) quod complexus notarum sit possibilis, h. e. quod notae coexistere possint in eodem subjecto. Atqui ex essentiis rerum oritur utrumque. Ergo.

Prob. 1^a pars Min. Singulae notae sunt possibles ex eo quod singulae sunt aliquis modus essendi, illud autem habent proxime ex essentia sua. Ergo.

Prob. 2^a pars Min. Posse existere in eodem subjecto, est idem atque non repugnare; hoc autem idem est ac se mutuo non excludere, se mutuo non negare. Atqui ex essentiis notarum oritur quod una nota non sit negatio alterius.

§ 4. De ultimo fundamento possibilium.

Sensus quaestionis. Probatum est possibilitatem intrinsecam possibilium proxime emergere ex essentiis. Manet ut quaeratur utrum agnoscat ulterius fundamentum extra ipsas essentias. Quae quaestio sic etiam proponitur : Utrum possibilia possitatem suam habeant a se an ab alio.

Thesis 4. Possibilia in essentia divina agnoscent fundamentum suum ultimum et virtuale; formaliter autem per Dei intellectionem constituuntur in ordine ideali.

30. I^a PARS. A. Essentia divina est fundamentum possibilium.

PROB. Quod ex constitutione sua est exemplatum alterius, in hoc altero fundatur. Atqui possibilia, seu essentiae finitae, ex intrinseca sua constitutione sunt exemplata essentiae divinae. Ergo possibilia fundantur in essentia divina.

Prob. Min. Deus est infinite perfectus. Atqui infinita perfectio requirit ut nihil sit possibile, nisi quod imitatur quodammodo essentiam entis infiniti. Ergo omne possibile est ex intrinseca sua ratione imitatio essentiae Dei.

B. Istud fundamentum non est formale sed virtuale.

PROB. Essentia divina est fundamentum possibilium, eo modo quo est exemplar eorum. Atqui non est exemplar formale, sed eminentiale et virtuale. Ergo.

Prob. Min. Quod non continet possibilia secundum eamdem formam, sed secundum modum multo perfectiorem, non est exemplar formale possibilium. Atqui essentia Dei non continet possibilia secundum eamdem formam, sed multo perfectius; nihil enim est univocum Deo et creatis. Ergo.

31. II^a PARS. Possibilia sunt formaliter in intellectu divino.

PROB. Intellectus divinus, eo quod est infinite perfectus, perfectissime cognoscit essentiam divinam, non tantum uti est in se, sed etiam uti est in ordine ad alia, seu uti est imitabilis. Atqui ut tali modo nota sit essentia divina, requiritur ut termini imitabilitatis divinae, seu possibilia prout habent ordinem et connexionem ad essentiam divinam, secundum propriam formam sint objectum intellectus divini. Ergo possibilia secundum propriam formam sunt nota intellectui divino, seu per intellectionem Dei constituuntur formaliter in ordine ideali.

ARTICULUS IV.

DE DISTINCTIONE INTER ESSENTIAM FINITAM EJUSQUE EXISTENTIAM.

§ 1. Exponitur quaestio.

32. Notiones. 1. Essentia *realis* intelligitur omne ens extra statum possibilis objectivae, sive sit substantia, sive sit accidens. — Essentia *realis existens* est essentia *posita extra statum possibilis*, *actualiter praesens in ordine physico*. — Inde existentia est id quo ens constituitur extra causas et praesens in ordine physico.

Quaestio. Inter essentiam divinam et ejus existentiam, nullam dari distinctionem, ne rationis quidem, in theologia naturali probatur. Igitur de sola essentia *creata* movetur quaestio, et cum non existat nisi essentia determinata, in qua videlicet esse contrahitur per aliquem modum essendi, circa eam solam examen instituendum venit. Quaeritur itaque utrum inter essentiam *creatam* ejusque existentiam vigeat *distinctio realis*, an rationis dumtaxat; sive aliter, utrum essentia aliqua realis, puta Petrus, cogitatio Petri, color corporis, sit existens per ipsammet realitatem essentiae, an per aliquid ei *superadditum*, quod intrinsecus huic essentiae sit unitum et quo haec sit formaliter existens.

Quaestio, examini heic subjecta, sic evolvitur :

Ex his quae alibi disputantur, intellectus intelligens est quidem unum ens, sed est compositum ex duobus realiter distinctis, ex intellectu nempe, qui ex se est potentia subjectiva intelligendi, et ex intellectione, quae educitur ex hac potentia, redditque eam actualiter intelligentem. Pariter corpus album est ens unum compositum, constans ex substantia, quae ex se est in potentia ad varios colores, et ex albedine, quae educitur ex potentia corporis et hanc potentiam actuat.

Jamvero quaeritur num simili aliqua ratione essentia existens sit realiter composita ex duobus, ex essentia reali quae secundum se sit in potentia ad existendum, et ex existentia quae realiter educatur ex

potentia essentiae, hanc potentiam actuat, huic essentiae intrinsecus uniatur eamque faciat actu existentem; an sit existens ratione ipsius essentiae realis.

33. Sententiae affirmanti realem distinctionem subscrubunt Scotus, Cajetanus, Capreolus, Fonseca, Sylv. Maurus, Conimbricenses, cl. Liberatore, cl. Cornoldi, cl. Schiffini, cl. Desan.

Sententiae neganti realem distinctionem suffragantur Henricus Gandavensis, Durandus, Vasquez, Suarez, Tongiorgi, cl. Palmieri, cl. Pesch.

De mente Angelici disputatur.

§ 2. Resolvitur quaestio.

Thesis 5. Essentia realis et existentia non realiter sed ratione dumtaxat inter se distinguuntur.

34. I^a PARS. Rejicitur distinctio realis.

PROB. I^m ARG. Essentia realis et existentia eatenus valerent esse realiter distinctae, quatenus valerent realiter esse unitae. Atqui nequeunt uniri realiter, sed tantum ratione. Ergo.

Prob. Min. Illa non realiter uniuntur, quorum unum tale est ut nec alterum realiter perficiat nec ab eo perficiatur. Atqui ex essentia et existentia, una, scilicet existentia, talis est ut nec essentiam realiter perficiat nec ab ea perficiatur. Ergo.

Prob. Min. Illud nec realiter perficit nec perficitur, quod nihil habet sibi proprium quo perficiat nec quo perficiatur, seu cui nulla realitas propria subest. Atqui existentiae nulla realitas propria subest. Ergo.

Prob. Min. Si existentiae aliqua realitas propria subest, haec realitas existentiae ab existentia realiter distinguitur, vel non distinguitur. Atqui neutrum dici potest. Ergo.

Prob. Min. Si primum asseritur, reddit quaestio et fit processus in infinitum. Si alterum asseritur, nulla est ratio asserendi priorem essentiam realiter distingui ab existentia.

II^m ARG. Quo aliquid differt a nihilo, eo est existens. Atqui essentia realis differt a nihilo per ipsammet suam realitatem. Ergo est existens per suam realitatem.

Patet major quia non datur medium inter nihilum secundum existentiam et non nihilum secundum existentiam.

Patet minor quia essentia realis differt a nihilo per id quo est extra statum merae possibilitatis, aut etiam per id quo formaliter extra causas suas sistitur; sed ratione realitatis sua est extra statum merae possibilitatis, et sistitur formaliter extra suas causas. Ergo.

35. II^a PARS. Astrictur distinctio rationis.

PROB. Illa distinguuntur ratione cum fundamento in re, quorum unum concipitur sine altero, seu quorum conceptus sunt formaliter diversi. Atqui essentia realis concipi potest, non concepta explicite existentia. Ergo.

Prob. Min. Qui rem concipit ut existentiam, eam concipit ut certae speciei, certi ordinis entium, primo ab aliis essentiis discretam; contra qui rem concipit ut existentem, eam cogitat ut formaliter extra nihilum positam et praesentem in ordine physico. Atqui qui primum concipit, non concipit explicite alterum. Ergo.

36. Obj. 1. Essentia est potentia, existentia est actus. Atqui potentia realiter ab actu distinguitur. Ergo essentia realiter distinguitur ab essentia.

Patet minor, quia nil seipsum recipit.

RESP. Dist. Maj. Essentia in statu possibilitatis est potentia objectiva, Conc.; essentia in statu reali est potentia subjectiva, Subd. relate ad perfectiones accidentales, Conc.; relate ad actum existendi, Subd. est potentia realiter, et existentia est actus physicus, Neg.; est potentia logice et existentia est actus metaphysicus, seu essentia considerari potest abstractione facta ab existentia reali, Conc. Cdt. Min. Potentia realis distinguitur realiter ab actu physico, Conc.; potentia logica ab actu metaphysico, Neg.; Dist. Cons. Essentia in statu possibilitatis distinguitur realiter ab existentia, distinctione negativa, Conc.; essentia realis, Neg.

Obj. 2. Existentia non distincta ab essentia, est esse irreceptum. Atqui repugnat ut existentia creata sit esse irreceptum.

Prob. Min. Repugnat ut esse creatum sit infinitum. Atqui esse irreceptum est infinitum; nam non habet quo limitetur.

Resp. Dist. Existentia non distincta ab essentia est esse irreceptum h. e. non est recepta ab alio nempe a causa efficiente, Neg.; est esse irreceptum h. e. non recipitur in alio tamquam in typo praevio, Conc.; Cdt. Min.

Ad prob. Conc. Maj. Dist. Min. eodem modo. — Ad prob. Dist. esse irreceptum h. e. essentia quae non est ab alio, sed quae est a se, non habet quo limitetur, Conc.; essentia quae est ab alio, sed quae non est in alio, seu quae non est distincta ab existentia, non habet quo limitatur. Neg. Etenim limitetur per ipsammet realitatem suam, seu essentiam, quacum identificatur, haec enim est modus finitus imitans essentiam divinam.

ARTICULUS V.

37. Praenota. 1. Alia principia definiunt rerum causas proximas aut ultimas, intinsecas aut extrinsecas, proprias aut communes. Alia autem exprimunt relationes quae inter diversas res vigent: diminant ex consideratione essentiarum et mutua harum comparatione.

2. Singulis scientiis tum physicis tum metaphysicis sua sunt principia, efflorescentia ex consideratione objecti sui et ex comparatione partium. — Quare Ontologiae sua pariter sunt principia, ad quae devenit perpendendo suprema rerum genera, generumque perfectiones.

3. Quaedam principia emergunt ex notione entis. Cum conceptus entis imbibat omnes ideas rerum, principia quae ex idea objectiva entis immediate emergunt, prima sunt principia, ac ceterorum principiorum fundamentum.

Quæstiones. Quaritor a) quænam sint principia prima; b) utrum aliquod principium sit ceteris principiis natura et suppositione prius. — Illud vero principium dicitur ceteris prius esse natura, in virtute cuius cetera affirmantur, et quod ipsum rationem sui in nullo alio habet.

Thesis. 6. Ex notione entis immediate enascuntur principia

identitatis, contradictionis, exclusi medii. Illorum autem principiorum primum est principium contradictionis.

38. I^a PARS. 1. *Principium identitatis*, « quod est, est, » emergit ex conceptu entis. Intellexus enim considerans ens, et in ente actum essendi percipiens, actum essendi de ente affirmare potest; hoc autem fit eliciendo judicium: « ens est » seu « quod est, est; » vel etiam « quod non est, illud non est. »

2. *Principium contradictionis*: « nihil potest simul esse et non esse, » emergit ex conceptu entis. Intellexus comparat ens cum non ente; cernit unum non esse alterum, nec posse esse alterum. Unde affirmat: « ens non potest esse non ens » seu « nihil potest simul esse et non esse. »

Porro in hoc principio « nihil, » idem audit atque nulla res; termino autem *rei* intelligitur quidquid potest excogitari, sive actu in ordine rerum sit positum sive non. In eodem principio « esse » sumitur tum absolute et simpliciter, tum secundum quid et relative pro « esse tali. » Igitur sensus principii est: « nulla res potest simul existere et non existere, neque simul potest esse talis et non esse talis. »

3. *Principium exclusi medi* « quodvis aut est aut non est, » efflorescit immediate ex conceptu entis. Intellexus comparat ens et non ens, cernit negare unum esse affirmare alterum, nec dari medium; hinc affirmat: « quodvis aut est aut non est. »

39. II^a PARS. Prob. Ut principium contradictionis dicendum sit primum, sufficit: a) ut principium exclusi medi habeat in illo fundamentum et rationem sui; b) ut id, quod affirmatur per principium identitatis, non sit diversum ab eo quod affirmatur per principium contradictionis. Atqui utrumque obtinet.

Decl. 1^a pars Min. Ratio cur certum sit quodvis aut esse aut non esse, nec dari inter haec medium, ista, inquam, ratio est quia certum est nihil posse simul esse et non esse. Ergo quod affirmatur per principium exclusi medi, habet fundamentum et rationem sui in principio contradictionis.

Prob. 2^a pars Min. Principium et affirmatio « id quod est, est, » huic aequivalet « id quod est, dum est, certo et necessario est. » Atqui ista affirmatio non differt realiter ab eo quod

affirmatur per principium contradictionis. Ergo id quod affirmatur per principium identitatis non est diversum ab eo quod affirmatur per principium contradictionis.

Patet major quia intellectus ponit judicium « quod est, est » quia percipit praedicatum certo et necessario inesse subjecto; ita vero non inest subjecto, nisi dum subjectum est.

APPENDIX.

DE ENTE RATIONIS.

40. Intellexus cogitare potest a) entia quae extra intellectum esse habent; b) entia quae extra intellectum esse habere possunt, seu possibilia; c) entia quae extra intellectum esse habere nequeunt. — Repraesentatio entium triplicis illius speciei procedit ab activitate mentis et intellectui inhaeret; quare omne ens vocari aliquatenus potest ens *rationis*. Illud tamen vocabulum servatur terciae speciei entium, propterea quod illis non obtingit aliud esse objectivum. Entia primae et secundae speciei vocantur entia *realia*.

Ex his constat ens rationis rite definiri: « id quod habet esse objective tantum in intellectu, seu id quod a ratione cogitatur ut ens, cum tamen in se non habeat entitatem. »

Dari entia rationis, quae nempe a mente cogitantur ut entia et tamen esse objective in sola mente habent, manifestum est quia *impossibilita* (v. g. circulus quadratus), negationes et privationes (e. g. vacuum, extensio extramundana, tenebrae, mors), cogitantur a ratione ut entia, siquidem de his *judicamus* et loquimur; jamvero in sola mente esse objective habent.

Observa. 1. Esse entium rationis vocatur *esse diminutum*. Ens enim a significatione propria transfertur ad minus propriam.

2. Entia rationis sunt vera secundum *praedicationem* non secundum *realitatem*, h. e. vera est propositio in qua ipsa enuntiantur, non autem vere existunt.

CAPUT II.

DE PROPRIETATIBUS ENTIS.

41. Prologus. 1. Proprietas transcendentalis entis est id quod cum ente necessario connectitur et convenit omnibus entibus in quantum sunt entia, non vero in quantum sunt talis vel talis speciei.

2. Triplex est entis proprietas : a) *Unitas*, quae convenit enti absolute inspecto; b) *Veritas* quae convenit enti prout ad intellectum habet ordinem; c) *Bonitas* quae enti convenit quatenus appetitum respicit. — Quare istud caput in tres articulos dividetur.

ARTICULUS I.

DE UNITATE TRANSCENDENTALI ENTIS.

Unitati opponuntur pluralitas et distinctio; de pluralitate dicetur in tercia parte; de distinctione autem, postquam de unitate actum fuerit.

§ 1. De unitate quae entibus competit.

42. Notiones. *Definitio.* 1. *Unum* addit enti negationem divisionis : *Unum* nihil aliud significat quam *ens indivisum*, et ex hoc ipso apparet quod unum convertitur cum ente.

2. *Unitas* entis, seu ejus *indivisio*, adaequate inspecta, tum in eo reponitur quod alia constitutivorum entis ab aliis non separantur, neque separari valeant, essentia remanente in singulis; tum in eo quod ejus realitas non multiplicetur in pluribus. In utroque enim casu exsurgit *pluralitas*, in primo quidem entium diversae speciei, in altero vero entium ejusdem speciei. — Sic unitas hominis in eo consistit quod anima non sit separata a corpore, quod non possit ita separari ut essentia humana praedicetur de utraque parte seorsim ab altera, deni-

que quod complexus non multiplicetur in pluribus individuis.

Divisio. 1. Ex modo dictis apparet dari unitatem formalem et individualem : a) *formalis* seu *essentialis* stat in eo quod essentia entis dividi nequit in plures essentias ejusdem *adæquatae denominationis*; b) *individualis* stat in eo quod ens dividi non potest in plura entia quae essent illud ipsum ens. Quod hac unitate gaudet, dicitur *individuum, singulare*.

2. Unitas formalis est *simplicitatis* aut *compositionis* prout abest aut adest *compositio ex partibus*.

3. *Unum* est *per se* aut *per accidens* :

a) *Unum per se* est *essentia completa*. Si est composita, constat partibus distinctis aut ratione aut realiter. — Partes realiter distinctae seu physicae quae constituant ens unum *per se*, sunt substantiales vel integrantes. Sic substantia corporea completa constituitur ex materia et ex forma, quarum utraque est substantia incompleta; corpus humanum, constitutum ex materia et ex forma, complectitur varia membra quae dicuntur partes integrantes, quia ex his exsurgit substantia integra. — Partes ratione distinctae seu *metaphysicae* sunt $\alpha)$ genus et differentia specifica; $\beta)$ essentia realis ejusque existentia; $\gamma)$ individuum et principium individuationis; $\delta)$ natura et suppositum.

b) *Unum per accidens* coalescit ex unione entis jam substantialiter completi et integri et *ex ulterioribus determinationibus*. Efflorescit duobus modis : $\alpha)$ Unione *intrinseca essentiae cum ente ex ejus potentia educto, ei contingenter inherenti et accidentaliter perficieni*. Talis est unio substantiae et accidentis, puta corporis et coloris, animae et scientiae, animae et sanctitatis etc. $\beta)$ Unione *extrinseca rerum distinctarum*.

Unio extrinseca tripliciter fit : $\alpha)$ Cum plura copulantur ad unum constituendum ex ordinatione intellectus humani; sic lapides ordinantur ut exsurget dominus una. Unitas vocatur *artificialis*. — $\beta)$ Cum plures personae uniuntur ad unum finem prosequendum. Vocatur *moralis*. — $\gamma)$ Cum plura juxtaponuntur aut in eodem loco uniuntur. Est unitas purae *aggregationis*.

Thesis 7. Omne *ens* est *unum*, gaudetque tum unitate individuali tum unitate formalis.

43. I^a PARS. *Omne ens est unum, seu indivisum.*

PROB. Ens est aut simplex aut compositum. Atqui tum ens simplex tum ens compositum est unum, h. e. indivisum. Ergo omne ens est unum.

Prob. 1^a pars Min. Ens simplex non constat ex partibus. Ergo non tantum est indivisum sed et indivisible.

Prob. 2^a pars Min. Ut ens sit compositum, oportet ut non sit divisum; ut enim partes sint compositae (simul positae), oportet ut non sint divisae. Ergo ut ens dici queat compositum, oportet ut sit unum.

44. II^a PARS. *Omne ens est individuum.*

Sensus: Nullum ens dividi potest in plura entia quae essent illud ens totum et idem.

PROB. Repugnat dari universalia a parte rei. Atqui eo quod ens non esset individuum, consequens esset dari universalia a parte rei. Ergo repugnat ens non esse singulare.

45. III^a PARS. *Omne ens gaudet unitate formali.*

PROB. Omne ens habet essentiam suam. Atqui essentia quaevis gaudet unitate formali; patet quia est indivisibilis. Ergo.

§ 2. — De principio individuationis.

Modo probatum est omne ens esse individuum. Jam investigandum est quid sit illud quo ens intrinsecus determinatur ad hoc ut sit individuum, seu dividi nequeat in plura quae essent illud ens; illud vero determinativum vocatur principium individuationis. — Quaestio versatur circa omne ens, sive sit substantia sive accidentis, sive sit simplex sive compositum, sive sit eiusdem speciei ac alia quaedam entia, sive unicum (1).

(1) Aliud est principium individuationis, aliud sunt notae individuantes. Principium enim individuationis est id quo *ens reale* individuatur; notae autem individuantes sunt notae quibus *conceptus individuatur* seu quibus conceptus evadit singularis. — Rei enim existentis in ordine reali haberi possunt conceptus varii: concepi potest natura communis seu specifica, qui conceptus repraesentat

46. Sententiae. I^a est Thomistarum, sequentiaque perhibet:

- a) Entia pertinentia ad eamdem spectem individuantur per materiam signatam. Juxta alios, materia signata est materia affecta certa quantitate, juxta alios est materia capax certae quantitatis. b) Itaque ens ab omni materia expers est *unicum* in sua specie; secus enim non singularizaretur. Tale autem ens per ipsam suam realitatem est *individuum*.

II^a SENT. videtur esse Scoti et eam tenet Fonseca. *Res fit individua per modum ex natura rei distinctum ab ipsa.*

III^a SENTENTIA est Vasquezii, Durandi, Toleti et Suarezii. Juxta hanc sententiam *quaevi realitas*, sive simplex sit sive composita, sive substantia sive accidentis, est singularis *per ipsam suam realitatem*: proinde principium formale individuationis *non est realiter distinctum* a re individuata, sed ratione dumtaxat. — Distinctio autem rationis hueredit, quod per conceptum praecisivum concipi potest natura realis quae est in Petro, quin concipiatur expresse hanc naturam Petri esse distinctam a ceteris. Hic conceptus est objective realis quoad id quod concipiatur, non vero quoad modum concipiendi.

Thesis 8. Omne ens est individuum per realitatem suam.

47. PROB. I^m ARG. Petitur ex triplici absurdo:

1. Ex eo quod aliquod ens singularizaretur per aliquid superadditum, consequens foret illud ens per se non esse individuum, et proinde illud per se esse universale. Atqui absurdum est ullum ens reale per se esse universale. Ergo.

2. Istud superadditum enti reali, vel individuatur per se vel per aliud. Atqui neutrum dici potest. Ergo nihil superadditur quo individuetur ens reale.

cetera individua ejusdem speciei; praeter essentiam, concipi possunt varia accidentia quae et ipsa aliis individuis competere possunt; praeter essentiam et varia accidentia, concipi possunt variae notae individuantes in dialectica recensitae, quibus discernuntur varia individua inter se, et gignitur conceptus singularis unius rei repraesentativus. Verum neque notae istae objectivae realiter distinguuntur ab essentia, neque realitas individui per eas a ceteris individuis distinguitur.

Patet major quia istud superadditum debet esse singularizatum; secus enim neque ens cui superadditur esset per se individuum, neque id quod superadditur; igitur compositum non valeret individuari.

Prob. 1^a pars Min. Circa hoc aliud redit quaestio, et inducitur processus in infinitum. Ergo.

Prob. 2^a pars Min. Si istud principium per se individuatur, nulla est ratio asserendi aliud ens reale indigere principio a se distincto, ad hoc ut individuatur.

3. Ex sententia Thomistarum consequens est in entibus immaterialibus per se subsistentibus tot naturaliter debere esse species, quot sunt individua. Atqui hoc videtur esse absurdum; etenim nulla datur ratio cur Deus non posset creare duos angelos ejusdem speciei. Ergo.

Si Ais: Istud ens est necessario unicum in sua specie quod non potest multiplicari. Atqui forma immaterialis non potest multiplicari. Ergo specie differt ab omni alia forma immateriali.

Prob. Min. Forma immaterialis est abstracta a materia. Atqui forma abstracta a materia non potest multiplicari. Ergo.

RESP. Dist. Maj. Illud est necessario unicum quod non potest multiplicari, neque per generationem, neque per creationem, *Cone.*; quod non potest multiplicari per generationem, *Neg.*; *Cdt. Min.* Forma immaterialis non potest multiplicari per generationem, *Cone.*; per creationem, *Neg.* — Ad prob. minoris, *Conc. Maj.*; *Dist. Min.* eodem modo.

II^m ARG. Ens est individuum per illud quo primo, seu ratione sui, non vero ratione alterius, repugnat illud ens dividi in plura quae essent ipsum illud ens. Atqui per ipsammet realitatem suam regugnat primo, seu ratione ipsiusmet realitatis, ut quodvis ens dividatur in plura quae essent illud ipsum ens. Ergo quodvis ens est individuum per ipsammet suam realitatem.

48. *Schol. 1^m.* Materia dici potest principium manifestativum individuationis. Etenim a materia, utpote sensibili, petuntur plures notae individuantes, quibus nempe varia individua inter se distinguere solemus. — Deinde materia est principium quo multiplicantur individua corporea, siquidem formae materiales ex potentia materiae educuntur; speciatim vero est principium quo multiplicantur individua animalia.

Scholion. 2^m. Sequentia vocabula: « *Essentia* et *natura humana communis*, *specifica*, *abstrakte concepta* » dupli significatu usurpari possunt: a) *pro conceptu speciei* repraesentante plurimum distributive sumptorum essentiam completam; b) *pro eo quod praecise in individuis huic conceptui respondet*, omissis ceteris quae realiter identificantur cum formalitate concepta; proin *pro natura reali* quatenus concipitur, non *concepto subjecto*, nec *concepta individuatione*, et quatenus est id quo individuum est simile aliis.

§ 3. *De distinctione.*

Distinctio est negatio identitatis; est duplex, *realis* nempe et *logica* sive *rationis*.

49. *Distinctio realis* est absentia identitatis in re, independenter a consideratione mentis; quare habetur cum una res non est a parte rei alia.

Distinctio realis est duplex: a) Altera habetur inter res *divisas* a se mutuo. Sic distinguitur Petrus a Paulo. b) Altera inter res *intrinsecus unitas*: hac distinguuntur totum et pars, materia et forma, substantia et accidentis absolutum. Admittit gradus pro indole entitatis ab alia distinctae. Minima dicitur *modalis*; ea distinguitur *modus*, puta ubi et quando, a substantia.

50. *Distinctio rationis* habetur cum una eademque res diversis conceptibus concipitur. Quare non habentur plura distincta nisi in mente; objecto quidem tribuitur pluralitas, verum per denominationem extrinsecam. Est duplex:

1. *Rationis ratiocinantis*, seu *logica*; habetur cum res una concipiatur conceptibus pluribus qui easdem notas habent, seu quorum alii aliis substitui possunt. Conceptus dicuntur *formaliter iudicem*. Tales sunt conceptus Tullii et Ciceronis.

2. *Rationis ratiocinatae*, seu *rationis cum fundamento in re*, seu *metaphysica*, seu *virtualis*; habetur cum res una concipiatur conceptibus qui explicite diversas notas habent. Hi conceptus dicuntur *formaliter diversi*. — *Distinctio vocatur virtualis* quia res est virtualiter multiplex, seu multis rebus aequivalet.

OBSERVA. a) Singuli conceptus rem totam repraesentant, sed

non totaliter; ideoque sunt *praecisivi*, non vero *exclusivi*, h. e. unus conceptus non exprimit id quod alter exprimit, et proinde ab eo *praescindit*; sed non excludit a suo objecto consortium illius quod alter exprimit.

b) Notae conceptae inesse possunt rei diversis modis : a) secundum *rationem propriam* qua concipiuntur; tales notae vocantur *formalitates rei*; sic in homine notae animalitatis et rationalitatis habent ea ratione qua cogitantur; b) modo *excellentiiori quam cogitantur*; tales notae dicuntur inesse rei *eminenter*; vocantur *formalitates*, licet minus proprie; sic omnes perfectiones habentur in Deo modo perfectiori quam repräsentantur conceptibus nostris; c) modo *deficiente*; dicuntur rei inesse *analogice*.

c) Praecipuae formalitates rei sunt *gradus metaphysici* entis, seu praedicata *essentialia* quae enti competunt. Dicuntur *gradus*, tum quia ens per ea descendit ad determinatum individuum, tum quia per ea gradatim ascendimus in rei cognitionem. Alii dicuntur *generici* v. g. *substantia*, *vivens*, *animal*; alii *specifici*, ut *homo*, *leo*; alii *differentiales*, ut *rationale* et *irrationale*; alii *individualantes*, ut *Petrus*, *Bucephalus*.

5. *Distinctio praefata* est duplex : *perfecta* et *imperfecta* : a) *Perfecta* habetur inter formalitates ejusdem rei quarum *neutra in conceptu suo, etiam implicite et confuse, includit id quod explicite per alteram formalitatem dicitur*. Tales sunt animalitas et rationalitas.

b) *Imperfecta* datur inter formalitates ejusdem rei quarum *utraque alteram in suo conceptu, saltem implicite et confuse, includit*. Sic *justitia*, quatenus praedicatur de Deo, inseparabilis est a *misericordia*, et eam implicite in suo conceptu includit; vicissim *misericordia divina* implicite includit *justitiam*. Nam *justitia* quatenus praedicatur de Deo dici debet infinite perfecta; sic vero implicite includit cetera attributa divina, quorum diversa est ratio formalis.

51. **SIGNA DISTINCTIONIS REALIS** sunt a) separabilitas mutua; b) repugnantia inter conceptus *objectivos*; c) separabilitas non mutua, qualis habetur, v. gr. inter *animam* et *actum cogitandi*, *corpus* et *ubicationem*, vel *colorem*, vel *calorem*; d) productio

unius ab altero. — Attamen dari potest distinctio realis, licet nullum ex his signis deprehendatur. Sic potentia operandi distinguitur a natura; desunt tamen signa praefata.

DE FUNDAMENTO DISTINCTIONIS RATIONIS.

Quaeritur quomodo fiat ut uni eidemque rei diversae formalitates, diversique gradus metaphysici competant, ita ut eorum ratione res concipiatur conceptibus formaliter diversis, quorum singuli inadæquate rem totam repraesentant.

52. Sententiae. 1. Juxta *Scotistas* formalitates rei distinguuntur *actu, objective, ex natura rei ante omnem intellectus operationem*; attamen non distinguuntur *ut res a re*. — Haec distinctio vocatur *formalis*, propterea quod habetur inter *formalites diversas*; non autem est *realis*, haec enim habetur inter res. Talis autem *objectiva distinctio* fundamentum praebet conceptibus diversis (1).

2. Juxta nonnullos *Thomistas* una eademque essentia absolute, independenter ab omni intellectus operatione, capax est suscipiendo sine contradictione praedicata constitutiva intrinsecus contradictoria. Exin objectum ex natura sua, independenter a mentis conceptibus, est virtualiter distinctum, seu aquivalet pluribus objectis distinctis.

3. Juxta *Suarezium* et alios bene multos fundamentum distinctionis est tum *perfectio rei*, tum *imperfectio intellectus*.

Perfectio rei : Res enim, conceptibus repraesentata, potest quoad perfectionem aquivalere diversis perfectionibus, quae in pluribus entibus separatim reperiri possunt: sic v. g. *perfectio essentiae divinae* eminenter aquivalet omnibus perfec-

(1) Justa *Scotistas* a) *formalites* entis sunt z) illa quae invicem sunt inseparabilia, et nullam habent oppositionem relativam producentis et producti; b) quae habent diversas definitiones adaequatas. — Matrius requirit insuper ut nullam habeant existentiam propriam, sed ut existant per unam existentiam totius. — b) *Res* intelliguntur illa z) quae sunt actu separata; b) quae sunt potentia separabilia, ut *anima* et *corpus*; y) inter quae intercedit relatio producentis et producti.

tionibus creatis, perfectio hominis aequivalet perfectionibus quae reperiuntur in brutis, plantis, mineralibus, etc.; deinde res potest habere virtutem producendi plures effectus diversos; proindeque valet sustinere varjas relationes similitudinis et disparitatis cum aliis entibus.

Imperfectio intellectus: Pro infirmitate sua nequit intellectus perfectiones plurimarum rerum uno conceptu exaurire; inde exsurgit necessitas ut rem sibi repraesentet per plures conceptus inadaequatos.

Quare praedicata contradictionia, puta esse principium sensitivum et non esse hujusmodi principium, eatenus convenient eisdem rei, quatenus alio et alio conceptu cogitatur, seu secundum esse logicum et intentionale, non vero secundum esse reale et physicum. Si enim res uno modo consideratur ei tribendum est praedicatum quod eisdem rei non tribui potest prout alio modo consideratur; verum id praedicatum non denegari valet, si res materialiter et simpliciter consideratur.

53. Crisis. *Falsa est sententia Scotistarum.* Etenim gradus metaphysici entis non distinguuntur realiter. Atqui quae distinguuntur distinctione formalis, distinguuntur realiter; sunt enim plures res, nam ponuntur esse perfectiones plures.

Patet major quod a) ens non distinguitur realiter a differentiis; b) substantia a differentiis compositae aut simplicis: oportet enim ut ipsa substantia, secundum id quo constat, ex partibus coalescat aut iis careat; c) substantia corporea a differentiis vitae aut vita parentis: oportet enim ut vel immanenter agere possit aut non possit.

2. Falsa est sententia Thomistarum. Etenim essentia absoluta, quae susciperet praedicata constitutiva intrinsecus contradictionia, constitueretur formalitatibus contradictoriis. Atqui absurdum est essentiam constituti formalitatibus contradictoriis. Una enim formalitas destrueret aliam formalitatem, proindeque talis essentia simul esset et non esset.

3. Ergo admittenda est sententia Suarezii.

ARTICULUS II.

DE VERITATE TRANSCENDENTALI ENTIS.

Quae examinari solent in Logica de vero logico, in hoc loco rejicienda esse duximus. Quare agendum est: 1º de conceptu veri et falsi; 2º de vero et falso ontologico; 3º de vero et falso logico.

§ 1. *De conceptu veri et falsi.*

54. Ut via ascensus investigentur definitio et essentia veri et falsi, quod vero opponitur, consideranda prius sunt ea quae ab omnibus nomine veri cohonestantur.

Porro triplex est rerum species quas homines veras appellant: a) *Res in genere*: sic Deus dicitur *vere* justus; res aliqua dicitur *verum aurum*; aliquis vocatur *verus amicus*. Haec veritas vocatur *ontologica*. — b) *Speciatim sermo dicitur verus seu verax*; ista autem veritas vocatur *moralis*. — c) *Conceptus et judicia dicuntur vera*; eorumque veritas vocatur *logica*. — Terminus « *verum*, » prout refertur ad res, ad sermonem, ad cognitionem, non est aequivocus seu non refertur ad haec tria secundum diversam significationem. Illud constat quia mens non distrahitur in varios conceptus, audito vocabulo *veri*.

Quaestio. Quaeritur quid sit triplici huic generi commune, propter quod singula dicuntur *vera*; illud autem erit realis definitio veri, sive essentialis sive descriptiva.

Thesis 9. Verum in genere describi potest: *adaequatio rei et intellectus*.

55. PRAENOTANDA. In hac definitione: a) *Vocabulum res sumitur sensu latissimo, signatque rem, sive realem, sive mere intelligibilem, puta principium analyticum*. — b) *Vocabulum intellectus sumitur pro actu facultatis intellectivae, nimirum conceptu et judicio*. — c) *Adaequatio idem est ac conformitas: conformitas vero inter conceptum et rem duplex esse potest: a) Perfecta, ea nimirum ut nihil rei insit quod per conceptum*

non exprimatur : talis adaequatio habetur inter res et ideas divinas de his rebus; 2) *imperfecta*, talis nimurum ut nihil conceptu repraesentetur quod in re non reperiatur, licet res quedam contineat, quae conceptu non repraesentantur.

Ex his elusescit sensus asserti : Ratio veri, qua res, sermones, et actus intellectus insigniuntur, in eo ponitur quod habeatur actu vel saltem haber possit inter rem et actum intellectus, conformitas talis ut conceptus nihil repraesentet quod res non contineat.

PROB. Definitio tradita gaudet dotibus bonae definitionis. Proprietas enim definitionis recte institutae sunt : a) ut definitio fiat ex notioribus; b) ut sit propria definito, h. e. ut conveniat omni et sofi definito; c) ut sit brevis; d) ut non sit negativa, quantum rei natura permittit. Atqui haec obtinent circa definitionem traditam. Ergo.

Probatur definitionem traditam convenire *omni* definito; ceterae partes minoris ex se patent. Itaque contenditur res, sermones, conceptus dici instrui veritate eo quod exstat conformitas rei et intellectus.

1. *Probatur de rebus.* Aliquis dicitur esse amicus *verus*, eo quod in ipso reperitur id quod repraesentatur per conceptum amicitiae, seu, quod idem est, eo quod habetur conformitas inter rem et conceptum.

2. *Probatur de acibus mentis.* Cognitio duplamente spectari potest : a) Ut res improprie dicta, actus enim mentis est aliquid; sub hoc respectu habet suam veritatem ontologicam; circa quemvis enim actum mentis possunt fieri judicia, ita ut inter hos duos actus habeatur conformitas vel non. Sub hoc respectu cognitio heic non consideratur. b) *Ut est expressio seu repraesentatio rei.* Heic sub hoc respectu consideratur. — Jam vero manifestum est cognitionem, ut est expressio rei, dici *veram* quando est conformis ipsi rei quae dicitur exprimi.

3. *Probatur de sermonibus.* Sermo est signum judicii; judicium quod profertur per sermonem potest esse conforme rei circa quam versatur, vel difforme ab ea, adeoque judicio, quod exprimitur, competit vel non competit sua *veritas logica*. Sed haec veritas heic non attenditur. Praeter judicium quod expri-

mitur, habetur aut haberi potest alterum judicium quo mens interne pronuntiat id quod reapse de re existimat; huic ipsi judicio sua competit veritas logica vel falsitas quae iterum nunc non attenditur. — Sed inter duo judicia quorum alterum exprimitur per sermonem, alterum vero interius latet, habetur conformitas vel difformitas. Illa vero impraesentiarum attenditur. Si judicium quod profertur est conforme judicio quod in mente latet, sermo quo exprimitur dicitur *verax*; judicium autem interius latens, cui sermo conformis esse debet, vices gerit rei.

56. Scholion. a) *Verum in genere est adaequatio rei et intellectus.* — *Falsitas in genere est difformitas rei et intellectus.* — b) *Verum ontologicum est adaequatio rei* (genitivo subjectivo) *et intellectus* (genitivo objectivo), seu *conformitas rei cum intellectu*. *Falsitas ontologica est difformitas rei ab intellectu.* — c) *Verum logicum est adaequatio rei* (genitivo objectivo) *et intellectus* (genitivo subjectivo) seu *conformitas intellectus cum re*. *Falsum logicum est difformitas intellectus a re.*

S 2. De veritate et de falsitate ontologica.

57. De veritate ontologica. 1. *Ens et verum convertuntur.* Veritas enim dicit ordinem entis ad intellectum; seu stat in eo quod ens est aut actu notum aut saltem cognoscibile. Atqui omne ens est actu notum Deo et aliquatenus cognoscibile intellectui creato. Ergo omnē ens vi essentiae suae est verum.

2. Attamen *ens* et *verum* differunt formaliter. Conceptus enim entis non includit habitudinem ad intellectum.

3. *Ens est verum per denominationem non mere extrinsecam.* Nam relatio entis ad intellectum habet rationem sui in ipso ente et ei est essentialis.

4. *Essentia est absolute vera; factum est hypothetice verum.* Cum Deus sit ultimum fundamentum omnium essentiarum, essentia est necessario et absolute conformis conceptui divino exprimenti ejus naturam. Factum est intellectui divino conforme, supposita ejus existentia.

5. Cum res sint conformes intellectui increato, et cum conformes esse possint intellectui nostro, quaeritur a secundum

quamnam conformitatem *potissimum* dicantur verae; b) utrum sint *mensura* intellectus an *mensuratum*.

Praemittendum est duplice distingui normam seu mensuram: a) Normam *improprie dictam*, seu exemplar speculativum, quae exprimit tantum id quod res est. b) Normam *proprie dictam* seu exemplar practicum, quae insuper relate ad eam habet rationem causae exemplaris.

Thesis 10. Res dicuntur verae primario relate ad intellectum divinum, secundario relate ad intellectum creatum. — Veritas rerum pendet a solo intellectu divino tanquam a norma suprema et proprie dicta.

58. I^a PARS. PROB. Res dicuntur verae primario relate ad intellectum illum cui necessario, essentialiter, perfecte et actu sunt conformes. Dicuntur secundario verae relate ad eum intellectum, cui non necessario, essentialiter perfecte et actu sunt conformes. Atqui relate ad intellectum divinum res sunt necessario, essentialiter, perfecte et actu conformes; relate ad intellectum nostrum non sunt tali modo conformes. Ergo.

59. II^a PARS. PROB. Illud solum est norma suprema et proprie dicta quod rem aliquam ita reprezentat, ut agentem in opere dirigat, adeo ut res existentiam suam aliquatenus huic normae debeat. Atqui solus intellectus divinus ita reprezentat res, ut agentem direxerit in opere, adeo ut res existentiam suam ultimatim aliquo modo debeat huic normae. Ergo.

Decl. Min. Essentia divina est ultimum fundamentum possibilium; intellectus divinus ab essentia determinatur ad cognoscenda *omnia* possibilia; quare ideae divinae sunt archetypi, exemplaria, normae, secundum quae Deus res creavit, et a quibus ultimo cuiusvis rei creatae constitutio pendet. — Contra conceptus nostri hauriuntur e rebus ipsis; exinde eorum veritas pendet a rebus; rerum autem veritas integra manet sive adsit sive desit earum conformitas cum conceptibus intellectuum creatorum.

60. Coroll. 1. Res denominantur verae triplici veritate: scilicet veritate intellectus Dei et veritate hominis extrinsece, et veritate inherente rei, quae est entitas rei adaequata intellectui vel adaequans sibi intellectum.

Coroll. 2. Veritas est in intellectu Dei proprio et primario, sed in intellectu nostro est proprio et secundario; in rebus autem est secundario et improprius.

Scholion. 1. Quod dicitur de rebus naturalibus respectu intellectus Dei artificis, id aliquatenus de artefactis dici potest respectu intellectus humani artificis. Nam intellectus humanus determinat normam secundum quam fiunt. Hae tamen normae hauriunt elementa omnia e rebus naturalibus. Igitur veritas artefactorum ab ideis divinis pendet, ut a norma suprema.

Scholion. 2. Omnes res, ut esse possint, conformes esse debent ideis divinis; intellectus humanus, ut sit verus respectu rerum naturalium, his conformis esse debet; igitur debet etiam esse conformis intellectui divino, ut verum attingere possit. Ergo Deus est *prima veritas*.

Scholion. 3. Deus est etiam *summa veritas*. Esse verum est esse conforme conceptui exprimenti naturam; esse summe verum est esse summe conforme hujuscemodi conceptui. Sed essentia divina est summe conformis conceptui intellectus divini exprimenti hanc essentiam. Etenim essentia, intellectio et intellectus realiter in Deo identificantur.

61. De falsitate ontologica. 1. *Nullum ens est falsum per se.* — Ens enim per se esse falsum, est esse difforme ab intellectu a quo primario et essentialiter pendet. Sed omne ens primario et essentialiter pendet ab intellectu divino, a quo nihil potest esse difforme. Ergo nullum ens est falsum per se.

2. Esse falsum per accidens, est esse difforme ab intellectu a quo ens non essentialiter pendet, nempe ab intellectu creato. Jamvero ens *per accidens et secundum quid* falsum esse potest: a) quatenus ens significatur conceptu et oratione difformibus ab ente: sic verus tragoeus est falsus Hector; b) quatenus ob similitudinem suam cum alia re, natum est inducere intellectum ad adscribendam ipsi naturam istius alterius rei. Sic stannum dici potest falsum argentum.

§ 3. *De veritate et de falsitate logica.*

62. Quid sit veritas logica modo sufficienter dictum est. *Falsitas logica*, seu difformitas intellectus a re, duplex est : *negativa* et *positiva*. a) *Negativa* habetur : a) cum intellectus nihil cogitat; b) cum intellectus aliquid cogitat, sed non exhaust conceptu suo totam rei intelligibilitatem. *Negativa* vocatur, quia continetur carentia cognitionis. — b) *Positiva* falsitas habetur cum intellectus quoad ipsam rationem formalem quam in objecto cogitat, non existit conformis objecto. Vocatur *positiva* quia viget inter duos terminos reales : De hac agitur.

Quaeritur a) utrum apprehensioni et iudicio intellectus humani competere possit veritas et falsitas. b) Utri actui competit potior veritas.

Thesis 11. Intellectui objecta simpliciter apprehendenti necessario inest veritas. Intellectui autem de objectis judicanti per se quidem inest veritas; per accidens vero contingere potest ut ei insit falsitas. Veritas potior inest iudicio vero.

63. I^a PARS. Sensus. Idea semper est conformis objecto repraesentato, ita ut nunquam falsitas positiva insit.

PROB. Veritas logica stat in conformitate cum objecto repraesentato. Atqui haec conformitas nunquam deest ideis. Ergo.

Prob. Min. Idea est *repraesentatio, imago objecti*; sed inter repraesentationem et repraesentatum necessario habetur conformitas, seu non dari potest repraesentatio, nisi detur objectum quod ea repraesentetur; si illud enim deest, ipsa ratio repraesentationis deficit, et proinde nulla est idea. Ergo.

64. II^a PARS. Judicio modo inest veritas, modo falsitas.

PROB. Vi definitionis, per iudicium mens percipit vel asserset praedicatum convenire vel non convenire subjecto ut in se est. Atqui modo actus talis est conformis objecto seu verus; modo est ab eo difformis, seu falsus. Ergo.

Patet minor quia modo praedicatum subjecto, uti in se est, convenit sicut a mente pronunciatur, in quo casu iudicium est verum; modo aliter evenit, in quo casu iudicium est falsum.

65. III^a PARS. A. Intellectus non est fallibilis per se h. e.

intellectus citra influxum causae sibi extrinseciae, non pronunciat praedicatum convenire subjecto cui non convenit.

PROB. I^m ARG. Eo quod intellectus per se in iudicando errare posset, sequeretur scepticismus esse verum. Atqui scepticismus contradictionibus confineri in Logica est ostensum. Ergo.

Prob. Maj. Eo quod intellectus per se, ex natura sua, in iudicando errare posset, semper dubitandum foret utrum falso an vero adhaereat : Natura enim semper manet. Atqui, hoc habito, scepticismus foret sectandus. Ergo.

I^m ARG. Intellectus est facultas cognoscendi seu videndi, imo cognoscendi cum certitudine seu videndi rem sic esse et aliter esse non posse, quod probatur ut supra. Atqui talis facultas per se est infallibilis in iudicando. Ergo.

B. Intellectus est fallibilis per accidens in iudicando.

I^m ARG. Intellectus in iudicando est fallibilis vel per se, vel per accidens, vi secundae partis. Atqui non est fallibilis per se, ex modo dictis. Ergo.

I^m ARG. Habetur in homine dispositio remota et proxima ad erronee iudicandum. Ergo intellectus est saltem per accidens fallibilis.

Prob. Ant. Dispositio *remota* est imperfectio seu limitatio intellectus. — Dispositio *proxima* est duplex : a) in intellectu, defectus attentionis, confusio idearum; b) in voluntate, impatiens suspensionis assensus, sive complacentia erga rem de qua iudicium fertur, sive odium rei oppositae.

66. IV^a PARS. Veritas potior inest iudicio vero.

PROB. Ubi perfectior est cogitio, ibi perfectior est veritas. Atqui in iudicio perfectior est cognitio quam in apprehensione.

Patet major quia cognitio rei est assimilatio mentis cum re.

Prob. Min. duobus modis. a) Illa cognitio est altera perfectior qua, prae altera, intellectus in re quiescit. Atqui intellectus magis in re quiescit iudicio, quam simplici apprehensione.

b) Iudicio aliquid de objecto affirmatur vel negatur, ideis vero nil affirmatur nec negatur. Atqui prior cognitio est posteriori perfectior. Ergo.

67. Scholion 1. Elicito iudicio falso, v. g. « Dens est finitus; circulus est quadratus, » quaeres utrum de ejus subjecto haberi

possit idea, seu utrum mens sibi ideam efformet Dei finiti, circuli quadrati?

RESP. Unum ex his duobus contingit: a) Vel dignitur idea duplex, idea Dei vel circuli, idea finiti vel quadrati; b) vel dignitur tantum idea una, haec autem ita reprezentat subjectum ut demantur eae subjecti notae, quae incompossibilis sunt cum nota praedicati. Liqueat autem tales ideas destitui valore objectivo seu non esse conformes huic objecto cui per judicium referuntur, eas tamen esse veras seu eas reprezentare aliquod objectum saltem possibile. — Utraeque ideae dicuntur continere judicium virtuale falsum.

Scholion 2^m. Ideae dicuntur tripliciter falsae improprie: a) *Abusive*, quatenus nimirum judicium vocatur idea. b) *Occasionaliter*, quatenus ideae praebent occasionem falso judicio. c) *Virtualiter* quatenus destituuntur valore objectivo, seu non sunt conformes huic objecto de quo judicatur. Hoc autem evenire potest cum ideae sunt fructus judicij antecedentis virtualiter perseverantis, quod dicuntur continere.

Scholion 3^m. *Quaeres quomodo oriatur judicium falsum?*

RESP. Judicium est falsum eo quod de objecto negatur id, quod ei convenit, vel eo quod objecto adscribitur id quod ab eo est alienum. — Utrumque autem oritur aut quia intellectus apprehendit objectum per ideam quae alii quidem objecto est conformis, at disformis est ab eo objecto de quo judicium fertur; aut quia, sub motione voluntatis, subjecto apprehenso adduntur notae aliae. De objecto sic apprehenso affirmatur praedicatum ab eo alienum, aut negatur praedicatum quod tamen a parte rei illi convenit. Si intellectus attenderet, defecatum conformitatis cernere, cum sit infallibilis per se; at ex causis supra citatis negligit attente rem considerare.

68. Obj. 1. Multae hominum ideae, puta eorum hominum quorum mens praejudiciis est oppleta, qui pravis motibus abripiuntur, ab objecto sunt disformes. Atqui hoc est argumentum ideis non necessario inesse veritatem. Ergo.

RESP. *Dist. Maj.* Multae ideae sunt disformes ab objecto falsitate negativa, scilicet non adaequate objectum suum materiale reprezentant, *Conc.*; falsitate positiva, *Subdist.* ideae abusive seu *judicia*, *Conc.*; ideae proprie, *Neg.* *Cdt. Min.*

Inst. Atqui multae ideae proprie sunt falsae positive.

Prob. Min. Subs. Illa idea est falsa positive, quae reprezentat objectum aliter atque est. Atqui multae ideae proprie dictae repreäsentant objectum aliter atque est. Ergo.

Prob. Min. Idea aliqua, enascens ex sensatione, reprezentat solem bipedalem. Atqui sol talis non est. Ergo.

RESP. Neg. Min. Subs. Ad prob. resp. dupl. :

a) *Dist. Maj.* Illa idea est falsa positive quae reprezentat objectum *formale*, notam repreäsentatam, aliter ac est, *Conc.*; objectum *materiale*, *Subd.* aliter ac esse potest, seu quae repreäsentat objectum *materiale*, quod non est possibile, *Conc.*; aliter ac est *realiter*, seu quae non repreäsentat objectum *materiale* ad quod per judicium refertur, *Neg.* Ex hoc enim ad summum sequeretur ideae deesse valorem objectivum. — *Cdt. Min.*

b) *Dist. Maj.* Quae reprezentat objectum aliter ac est *relative* h. e. aliter atque pro influxu, quem in sensoria exercet, sensui objicitur, *Conc.*; aliter atque est *absolute*, *Neg.* *Cdt. Min.*

Ad prob. *Conc. Maj. Dist. Min.* Sol nec est nec appareat esse bipedalis, h. e. talem influxum non exercet in sensu, ut appareat bipedalis, *Neg.*; non est *realiter* bipedalis, appareat tamen uti talis, *Conc.*; *Dist. Cons.*

Obj. 2. Illa idea non est vera, cui nullum objectum respondet. Atqui habentur ideae tales; ergo.

Prob. Min. Habentur ideae factitiae, arbitrariae. Atqui his nullum respondet objectum; ergo.

RESP. a) *Dist. Maj.* Illa idea non est vera, cui nullum objectum possibile respondet, *Conc.*; nullum objectum *reale*, *Neg.*

b) *Dist. Maj.* Cui nullum objectum respondet, h. e. *cujus notis singulis non respondet* in ordine reali objectum aliquod *materiale* hac nota instructum, *Conc.*; *cujus notis complexive sumptis non respondet* objectum unum, *Neg.*; *Cdt. Min.* Ad prob. *Conc. Maj. Dist. Min.* eodem modo.

Explie. Cum nihil sit in intellectu quod prius non fuerit in sensu, singula ex elementis, per ideam factitiam reprezentata, ex rebus naturalibus desumuntur; at diverso modo per phantasiam et intellectum possunt inter se ordinari, ita ut representationes phantasticæ et ideae apprehendant objectum compositum quod in ordine rerum non reperitur.

ARTICULUS III.

DE BONITATE TRANSCENDENTALI ENTIS.

Quaeritur de bono et de ejus opposito, nempe de malo.

§ 1. *De bono.*

69. Definitio. Illud generatim dicitur bonum quod in se aliquatenus est perfectum et conveniens est alicui. Igitur in conceptu boni duplex ratio distinguitur : a) *perfectio rei* quae vocatur bonitas materialis, absoluta, fundamentalis. b) *Conveniens* hujus perfectionis erga aliquid, quae convenientia in eo ponitur quod haec res potest aliquid perficere per modum cause sive formalis sive efficientis. — Hinc bonitas definitur : « *perfectio entis conveniens alicui.* »

Proprietas. *Proprietas primaria boni est appetibilitas.* Etenim : a) ex una parte appetibilitas non est essentia boni. Convenientia enim boni respectu appetentis est appetibilitate prior. b) Ex altera parte ab hac convenientia immediate fluit quod res bona sit appetibilis.

Ergo licet etiam definire bonum *id quod omnia appetunt.*

70. Divisio. 1. Bonum dicitur *absolutum vel relativum*, prout ens bonum dicitur conveniens sibi vel alii enti. — Bonum relativum a multis solum vocatur bonum, adeo ut forma boni dicatur esse convenientia alteri.

2. Bonum relativum est bonum *per se vel per aliud.* a) Bonum *per se* potest perficere aliud *per se ipsum*, ideoque ratione sui appetibile est. — b) Bonum *ratione alterius* est medium perfectionis obtaindæ, ideoque appetibile ratione alterius, seu in quantum est medium. Haec ratio medii, sive haec efficacia producendi boni, reddit ipsum medium appetibile et bonum.

Aliqua res potest esse simul bona *per se*, et ratione alterius.

3. Bonum *per se dividitur in delectabile et honestum.*

Non una est significatio boni delectabilis et boni honesti :

a) Bonum *delectabile* illud est quod est conveniens in ordine ad *delectationem* quam affert, seu quod possidetur cum suavitate. — Bonum *honestum* illud est quod *perficit*, praescindendo ab hoc utrum suavitatem afferat, necne.

b) Cum natura aliqua, puta natura humana, est simul sensitiva et rationalis, saepius bonum honestum dicitur illud quod perficit partem principalem h. e. animam *rationalem*; bonum quod perficit partem *sensitivam*, vocatur *sensitivum*, et *delectabile*, ob delectationem specialem quae concomitari solet.

c) Alia est significatio *solemnior boni honesti* : vocatur illud bonum quod perficit naturam humanam uti est *libere agens*. Nomine talis boni honesti veniunt tum actus liber voluntatis conformis normae actionum humanarum, tum bonum ad quod haec actio terminatur, tum habitus afficiens potentiam. Patet bonum, quod actio honesta prosequitur, posse pertinere ad ordinem rationalem aut sensitivum.

4. Bonum *adaequatum et inadaequatum.* — a) *Adaequatum* est illud quod dat enti omnem perfectionem, quae ab eo requiritur, sive est bonum cuius possessio ita perfecte satiat appetitum naturale et innatum entis, ut nihil ulterius jam istud ens perficere possit, vel saltem ut nihil ultra concupiscatur. — b) Bonum quod imperfecte satiat est *inadaequatum*.

5. Bonum *adaequatum* potest inspici *formaliter et materialiter* : a) *Formaliter inspectum* est ratio boni perfecte satiati. Ex bonis particularibus intellectus per abstractionem sibi efformat ideam boni puri, sive boni cui nullum malum miscetur, quod perfecte satiat appetitum, et subjectum felicissimum facit. Illud bonum necessario appetitur ab homine. Cetera vero appetuntur tanquam media plus minusve perfecte adipisci. istud bonum *ideale*. — b) *Materialiter inspectum* est illa res, in qua verificatur ratio boni *adaequati*, cuius possessio perfecte appetitum satiat. Istud bonum dicitur *objectum beatificum* (faciens beatum), sive *objectum beatitudinis*, *beatitudo objectiva*.

Quaestio. Quaeritur num ens et bonum convertantur.

Thesis 12. Omne ens est absolute et relative bonum.

71. I^a PARS. *Omne ens est absolute bonum.*

PROB. Omne ens habet *speciem*, qua in determinato ordine constituitur, *ordinem* quo partes inter se cohaerent et totum ordinatur in finem, *modum* quo essentiae praefigitur certus modus. Atqui in complexu horum trium consistit entis perfectio, adeoque bonitas absoluta; quod enim his instruitur est totaliter factum, seu perfectum. Ergo.

72. II^a PARS. *Omne ens est relative bonum.*

PROB. Illud est relative bonum quod aliud perficere potest, vel per modum causae efficientis, vel per modum causae formalis. Atqui omne ens potest alterum perficere, vel per modum causae efficientis, vel per modum causae formalis.

Prob. Min. Eus est vel substantia vel accidens; substantia est pure spiritualis aut non pure spiritualis, completa aut incompleta, haec est materia aut forma. Atqui a) accidens perficit substantiam completam cui tribuit esse secundum, vicissim perficitur a substantia a qua in essendo sustentatur; b) materia et forma se mutuo compleant perficiuntque; c) substantiae completae inferiores subserviunt multipliciter superioribus ad quarum perfectionem ordinantur; d) substantiae spirituales spectant ad pulchritudinem universi, praeterea ex inferioribus media hauriunt quibus Dei attributa perfectius cognoscant et finem ultimum comparent. Ergo.

Ex se patet Deum esse absolute et relative bonum.

§ 2. De malo.

73. Divisio mali. 1. Malum, seu id quod opponitur bono, dividitur in *absolutum* et *relativum*: a) *absolutum* est in se malum; b) *relativum* est alteri malum.

2. Malum est ordinis *physici* vel ordinis *moralis*: a) Malum in ordine *physico* est entitas physica mala, sive sibi, sive alteri. — b) Malum ordinis *moralis* attenditur penes actiones in honestas et vocatur *peccatum*. — Non diffitemur quidem malum ordinis moralis, cum ejus subjectum sit entitas aliqua, et ipsum spectare ad ordinem physicum; distinguuntur tamen a ceteris malis physicis ob specialem suam malitiam.

Praeter malum physicum et malum morale, datur malum

metaphysicum, quod simplici *carentia* ulterioris perfectionis continetur, et quo proinde afficitur omne ens finitum qua tale. Manifestum est illud malum esse *improprie* tale.

Quaestiones. Quaeritur a) quaenam sit *ratio formalis mali absoluti* tum ordinis physici tum ordinis moralis; b) quaenam *causalitas* competit malo.

74. De ratione formalis mali absoluti. Dantur tres sententiae:

I^a SENT. est Manichaeorum, affirmantium rationem formalem mali *positivo* contineri, nempe res ordinis physici, et actus peccaminosos esse mala per positivam entitatem.

II^a SENT. ponit rationem formalem mali absoluti contineri privatione, seu res et peccata esse mala *ratione privationis*, quia scilicet *carent perfectione aliqua sibi debita*.

III^a SENT. distinguit, asseritque rationem formalem mali ordinis physici esse *privationem perfectionis*; mali moralis, non esse tantum privationem rectitudinis, sed *ipsammet entitatem positivam actus peccaminososi*.

Thesis 13. Ratio formalis mali absoluti, tum ordinis physici tum ordinis moralis, sola privatione continetur.

75. PROB. I^m ARG. Ratio formalis mali absoluti stat vel in positivo, vel in negativo, vel in privativo; sive aliter res est absolute mala, vel per positivam entitatem, vel quia simpliciter caret perfectione, vel quia privatur perfectione. Atqui primum et secundum sunt falsa. Ergo manet tertium.

Prob. 1^a pars Min. Omne ens est bonum. Ergo nullum ens est malum per positivam entitatem.

Prob. 2^a pars Min. Secus omnis res creata esset physice mala; nam finita cum sit, afficitur limite, seu defectu ulterioris entitatis et perfectionis. Atqui res finita, qua talis, est quidem metaphysice mala, non vero physice. Ergo.

I^m ARG. Spectat ad *solum malum morale*. Absurda est ea sententia quae Deum efficit auctorem ipsius peccati formaliter et reduplicative sumpti (h. e. peccati in quantum est peccatum). Atqui sententia, quae rationem formalem peccati reponit in aliqua positiva entitate, efficit Denm auctorem ipsius peccati formaliter et reduplicative sumpti. Ergo.

Prob. Min. Deus enim, eo quod cum omni agenti naturali physice concurrit, est auctor in ordine suo cuiusvis positivae entitatis. Ergo esset auctor istius entitatis positivae peccaminosae. Esset ergo auctor mali moralis formaliter sumpti.

76. Coroll. 1. Ergo malum formaliter est ens rationis.

Coroll. 2. Malum non est cognoscibile nisi per bonum.

77. De causis mali. A. De causa efficienti.

1. *Malum non habet causam per se.* Appetitus enim non intendit nisi bonum, suum objectum formale; deinde agens omne per se tendit in entitatem positivam, quae est bona.

2. *Malum habet causam per accidens,* idque dupliciter: a) Quatenus connectitur eum eo quod per se efficitur ab agente; connectitur autem vel ob imperfectionem instrumenti, vel ob imperfectionem materiae ex qua educitur forma, vel ob formam productam quae nempe formaliter expellit contrarium adeoque ejus privationem causat. b) Quatenus est medium acquirendi bonum magis: sic malum physicum inducitur ut obtineatur bonum majus.

B. De causa materiali. Malum, cum privatione constet, non est causa materialis; verum est causa formalis proindeque habet causam materiale. Jamvero *causa materialis mali est bonum.* Malum enim inhaeret rei positivae; omne autem ens, quatenus est ens, est bonum; itaque malum inhaeret bono. — Porro causa materialis, ex se bona, fit mala cum afficitur privatione. — Subjectum mali est quadruplex: *actus, habitus, passio et substantia.*

78. Axiomata. 1. *Bonum est diffusivum seu communicativum sui.* Etenim: a) bonum, quatenus est conveniens alteri, perfectius reddit id cui unitur; b) bona reddit media quorum ope comparatur; c) inclinatur ad se communicandum alteri.

2. *Deus est omnis boni bonum.* Deus enim est causa exemplaris omnis boni; est causa prima efficiens et causa finalis omnis boni.

3. *Bonum est ex integra causa, malum ex quoris defectu.* Celebre est in theologia morali. Adhibetur etiam in rebus naturalibus et tunc bonum vocatur illud quod est perfectum, malum illud quod est minus perfectum.

4. *Bonum totius est etiam bonum partium.*

ONTOLOGIAE PARS SECUNDA.

DE DECEM CATEGORIIS.

CAPUT III.

DE SUBSTANTIA DE HYPOSTASI ET DE ACCIDENTE.

79. Prologus. Postquam de ente transcendentaliter sumpto et de proprietatibus ejus actum est, ad entis realis divisiones descendendum est. Duo autem genera, *τοποίκια*, praedicamenta, in quae ens primo dividitur per additionem aliarum notarum seu modorum, sunt *substantia et accidens*. Accidens autem in novem praedicamenta dispescitur. — Itaque de substantia et accidente generatim sumpto est dicendum antequam ad haec descendatur; agendo de substantia, dicendum est quomodo se habeat respectu hypostaseos.

ARTICULUS I.

DE SUBSTANTIA.

Quaeritur de notione, de divisione, de proprietatibus substantiae; seu quaeritur quid sit, quotuplex et qualis.

§ 1. Notio substantiae.

Ut natura substantiae declaretur, tria praestanda sunt: a) conceptus substantiae est declarandus; b) stabilendus est valor objectivus con-

Prob. Min. Deus enim, eo quod cum omni agenti naturali physice concurrit, est auctor in ordine suo cuiusvis positivae entitatis. Ergo esset auctor istius entitatis positivae peccaminosae. Esset ergo auctor mali moralis formaliter sumpti.

76. Coroll. 1. Ergo malum formaliter est ens rationis.

Coroll. 2. Malum non est cognoscibile nisi per bonum.

77. De causis mali. A. De causa efficienti.

1. *Malum non habet causam per se.* Appetitus enim non intendit nisi bonum, suum objectum formale; deinde agens omne per se tendit in entitatem positivam, quae est bona.

2. *Malum habet causam per accidens,* idque dupliciter: a) Quatenus connectitur eum eo quod per se efficitur ab agente; connectitur autem vel ob imperfectionem instrumenti, vel ob imperfectionem materiae ex qua educitur forma, vel ob formam productam quae nempe formaliter expellit contrarium adeoque ejus privationem causat. b) Quatenus est medium acquirendi bonum magis: sic malum physicum inducitur ut obtineatur bonum majus.

B. De causa materiali. Malum, cum privatione constet, non est causa materialis; verum est causa formalis proindeque habet causam materiale. Jamvero *causa materialis mali est bonum.* Malum enim inhaeret rei positivae; omne autem ens, quatenus est ens, est bonum; itaque malum inhaeret bono. — Porro causa materialis, ex se bona, fit mala cum afficitur privatione. — Subjectum mali est quadruplex: *actus, habitus, passio et substantia.*

78. Axiomata. 1. *Bonum est diffusivum seu communicativum sui.* Etenim: a) bonum, quatenus est conveniens alteri, perfectius reddit id cui unitur; b) bona reddit media quorum ope comparatur; c) inclinatur ad se communicandum alteri.

2. *Deus est omnis boni bonum.* Deus enim est causa exemplaris omnis boni; est causa prima efficiens et causa finalis omnis boni.

3. *Bonum est ex integra causa, malum ex quoris defectu.* Celebre est in theologia morali. Adhibetur etiam in rebus naturalibus et tunc bonum vocatur illud quod est perfectum, malum illud quod est minus perfectum.

4. *Bonum totius est etiam bonum partium.*

ONTOLOGIAE PARS SECUNDA.

DE DECEM CATEGORIIS.

CAPUT III.

DE SUBSTANTIA DE HYPOSTASI ET DE ACCIDENTE.

79. Prologus. Postquam de ente transcendentaliter sumpto et de proprietatibus ejus actum est, ad entis realis divisiones descendendum est. Duo autem genera, *τοποίκια*, praedicamenta, in quae ens primo dividitur per additionem aliarum notarum seu modorum, sunt *substantia et accidens*. Accidens autem in novem praedicamenta dispescitur. — Itaque de substantia et accidente generatim sumpto est dicendum antequam ad haec descendatur; agendo de substantia, dicendum est quomodo se habeat respectu hypostaseos.

ARTICULUS I.

DE SUBSTANTIA.

Quaeritur de notione, de divisione, de proprietatibus substantiae; seu quaeritur quid sit, quotuplex et qualis.

§ 1. Notio substantiae.

Ut natura substantiae declaretur, tria praestanda sunt: a) conceptus substantiae est declarandus; b) stabilendus est valor objectivus con-

ceptus substantiae; c) perversae notiones de substantia passim traditae ad crisim sunt revocandae. Cum autem notio substantiae notione accidentis illustretur, utraque simul aperietur.

I. CONCEPTUS SUBSTANTIAE ET ACCIDENTIS.

80. Descriptio substantiae et accidentis. — Res creata, sive spiritualis sive corporea, varias denominations accipit, diversimode modificatur, seu determinatur ad varios modos secundarios essendi: sic anima denominatur cogitans, volens, docta, instructa habitibus bonis vel malis; sic pariter corpus dicitur rotundum vel quadratum, calidum vel frigidum, album vel nigrum, motum vel quiescens, in hoc vel in illo loco, in hoc vel in illo tempore. Id quod *jugiter sub successivis modificationibus aut denominationibus quibuscumque idem perseverat*, quod est substratum, subjectum, substans his modificationibus, ideoque non inhaeret alteri tamquam ejus denominatio et modificatio, sed per semetipsum consistit, vocatur *substantia*. Illa vero omnia quae extra individuam rationem substantiae sunt, et *quibus substantia realiter modificatur aut quacumque ratione determinatur* ad secundarium modum essendi, quibus proinde substantia dicitur talis vel talis, hoc vel illo modo, seu quod idem est, hae omnes *modificationes substantiae*, hae determinationes, vocantur *accidentia realia*.

Definitio substantiae et accidentis.

Substantiae :

Ens in se: h. e. res cuius quidditati debetur non esse in alio; illud quod ad suum esse non praesupponit esse aliquod prius, in quo tamquam in alio nitatur.

Ens per se: h. e. illud quod in proprio suo esse et per semetipsum consistit.

Accidentis :

Ens in alio: h. e. id cuius quidditati debetur habere esse in esse alterius; illud quod ad suum esse praesupponit esse aliquod prius in quo ejus esse tamquam in alio nitatur.

Ens per aliud: h. e. illud quod non est ens nisi per substantiam cui inhaeret.

OBSERVA. 1. Aliquid potest esse in alio diversis modis:

- a) Ut *contentum* in re continente. Tali modo aqua est in vase.
- b) Ut *pars* in *toto*. Sic anima est in homine. — c) Ut *modificatio* in substantia completa modificata, haec modificatio dicitur inhaerere, esse inhaesive in alio, habere esse in esse alterius et dependenter ab eo. Sic autem *accidens* est in substantia. — d) Ut *substantia secunda* in *subjecto*. Sic *humanitas* est in *Petro*. — e) Ut *absolutum per identitatem commune relativis distinctis*. Sic *essentia divina* est in *Patre, Filio et Spiritu*.

Consectaria. 1. Cum *accidens* ex *essentia sua* sit *modificatio substantiae, proprium accidentis est inhaerere, inesse substantiae, sustentari in essendo a substantia quam modificat*. — Contra *proprium substantiae est esse subjectum accidentium, substare accidentibus*.

2. Ex praefatis varia est colligere:

- a) *Accidens* dicitur *id quo substantia est, non vero id quod est*. Ratio est quod illud propriè dicitur esse et vocatur *ens*, *quod est per se seu quod per se ipsum in rerum natura vigere potest*. — Per *accidentia vero substantia est talis vel talis*.

b) Dicitur *ens entis* non vero *ens*, h. e. *accidens* est *modificatio subjecti existentis per se*.

c) *Ejus esse est inesse*. Est enim *modificatio*; sed *modificare est inesse alteri, seu esse modificationis est inesse alteri*.

d) *Non fit, sed per ipsum fit substantia talis*. *Subjectum enim fit tale vel tale, puta album aut nigrum, calida aut frigida*.

e) Dicitur *ens per analogiam attributionis ad substantium*, h. e. *forma entis reperitur in accidente ob habitudinem ad substantiam*.

II. VINDICATUR VALOR OBJECTIVUS CONCEPTUS SUBSTANTIAE. ®

81. Sententiae. I^a affirmat conceptui substantiae *inesse valorem objectivum*, h. e. res, quae apprehenduntur conceptu subjectivo substantiae et de *quibus conceptus objectivus substantiae praedicatur*, esse per se huic conceptui subjectivo conformes, adeoque veras substantias; sive etiam certum esse quod existit substantia, supposita alicujus rei existentia.

II^a SENT. est Lockii, Sensistarum et Positivistarum. Asserunt conceptum substantiae *omni valore objectivo destitui* et esse merum mentis figmentum. Non attingitur, inquiunt, nisi collectio qualitatum; arbitramur autem has non posse sine subjecto subsistere, eique aliquid substerimus quod substantiam vocamus. At dubia est realitas et possibilitas substantiae, proindeque est figmentum mentis.

***Thesis 14.** Conceptui substantiae non deest valor objectivus.

82. PROB. I^m ARG. Secus enim admittenda est series infinita causarum per se subordinatarum. Atqui talem seriem repugnare probabitur, ubi agetur de causis. Ergo conceptui substantiae non deest valor objectivus.

Prob. Maj. Si enim aliquid existit, illud vel existit in se et est substantia, vel existit in alio; circa hoc aliud redit quaestio; ipsum vel existit in se et est substantia, vel existit in alio circa quod iterum redit quaestio et sic porro; in hac serie vel deveniendum est ad primum quod existit per se et est substantia, vel inducitur series infinita in qua praecedens est ratio consequentis; talis vero series est series causarum per se subordinatarum.

I^m ARG. Ex his quae suppeditat experientia interna, intellectus merito concludit dari subjectum affectionum sibi mutuo succendentium, seu substantiam; scilicet dari principium quod per se subsistit, efficit in se et recipit diversas intellections et volitiones, ab uno statu transit ad alium, perpetuo idem permanet. Atqui, his habitis, conceptui substantiae non deest omnis valor objectivus. Ergo.

83. Obj. 1. Ut conceptui substantiae insit valor objectivus, ejus elementa intellectui per sensus sunt suppeditanda: nihil enim in intellectu quod prius non fuerit in sensu. Atqui substantiae elementa per experientiam non suppeditantur.

Resp. Dist. Maj. Elementa sunt suppeditanda intellectui per experientiam, sive *internam* sive *externam* *Conc.*; per experientiam *externam*, *Neg.*; *Cdt. Min.* non suppeditantur per experientiam *internam*, *Neg.*; per *externam*, *Transm.*

Explic. Testantibus sensu intimo et memoria, experimur

principium, quod sensibiliter et intellectualiter cognoscit et appetit, idem permanere sub successivis modificationibus. Per demonstrationem indirectam demonstratur conceptum substantiae, antea per experientiam internam acquisitum, esse conformem rebus externis, seu res externas esse substantias.

Inst. Atqui etiam per experientiam internam elementa substantiae non suppeditantur intellectui. Ergo.

Prob. Min. subs. Ut suppedarentur, sensus intimus referre deberet *τού* esse per se. Atqui sensus intimus non refert hanc rationem. Ergo.

Resp. Neg. Min. subs. Ad prob. *Dist. Maj.* Sensus intimus referre deberet rationem *τού* esse per se *abstracte* et *formaliter*, *Neg.*; *materialiter* et *concrete*, h. e. referre deberet concretum, puta subjectum cogitans de praeteritis, quod resolvi per intellectum possit in duo elementa, quorum alterum sit substantia, *Conc.*; *Cdt. Min.*

III. FALSAE NOTIONES SUBSTANTIAE.

84. 1. Nonnulli ex antiquis philosophis, quos refert Aristoteles, inter recentiores Hobbesius, omnesque materialistae, substantiam definunt per *extensionem*.

Crisis. Falsitas definitionis dupliciter patet: Non convenit *omni definito*. Etenim non convenit Deo, angelis, animae humanae. — Non convenit *soli definito*. Convenit enim accidentibus absolutis corporum.

2. CARTESIUS substantiam definit rem quae ita existit *ut nulla alia re indigeat ad existendum*.

Crisis. Aequivocatione laborat ista definitio: si enim intelligitur substantiam esse rem quae nulla re indigeat ut *subjecto sustentativo*, verissima est; si vero intelligitur substantiam nulla re indigere quae sit *causa efficiens* ejus, est falsa, cum non conveniat *omni substantiae* sed *soli substantiae divinae*. Itaque est insuper perniciosa, quia viam ad pantheismum sternit. — Profecto aliud est esse *per se* seu esse *in se*, aliud esse *a se*; substantia rei mundanae est ens *per se*, non ideo tamen est *a se*, siquidem est *ab alio*; nam existentiam suam nanciscitur a causa efficiente. Accidens est ens *in alio* et *ab alio*.

3. COUSIN : Substantia est ens quod *ultra se nihil in ordine ad existendum supponit*.

Crisis. Aequivocatione laborat; sensus enim esse potest substantiam esse id quod nullum supponit *subjectum cui inhaereat*, vel substantiam esse id quod *nullam causam supponit*.

4. LEIBNITZIUS, WOLFIUS, et ANTONIUS GENUENSIS definiunt substantiam « *ens praeditum vi agendi*. »

Crisis. Haec definitio, etsi falsa non dicit, est imperfecta. Nam a) relinquit id quod est primarium in substantia et complectitur tantummodo id quod est secundarium; operari enim sequitur esse, seu actio sequitur naturam jam constitutam et existentem. b) Non satis discernitur substantia ab accidentibus, ipsis enim aliquo modo vis agendi inest.

§ 2. Divisio et proprietates substantiae.

85. Divisio substantiae. Sequentes divisiones afferri solent :

I^a : Dividitur substantia in *primam* et in *secundam*.

1. Substantia secunda, *νοήσις δευτερία*, definitur ab Aristotele, « *quae non est in subjecto sed affirmatur de subjecto*. » — De substantia secunda adverte haec tria : a) Quid intelligendum sit per « esse in subjecto », declarat Philosophus : « dico autem in subjecto esse quod in aliquo est non tanquam pars ejus existens, nec potest esse extra illud in quo est. » Igitur esse in alio est esse modificationem alterius. — b) *Species* et *genera*, seu objecta quae conceptu speciei et generis concipiuntur, sunt substantiae secundae; affirmantur enim de subjecto, (sic homo affirmatur de Petro); non insunt in subjecto tamquam ejus modificationes, seu accidentia, et possunt esse extra illud subjectum. — c) Hae substantiae vocantur α) *secundae*, quia prius realiter existunt individua, et non nisi postea considerantur naturae universales; β) *metaphysicae*, quia transcendunt limites experientiae sensibilis; γ) *entia secundae intentionis*.

2. Substantia prima, *νοήσις πρώτη*, est *ens per se seu completum, realiter immultiplicabile*. Distinguitur ab accidente, eo quod sit *ens completum*; a substantia secunda, eo quod sit *realiter immultiplicabile*. Vocatur substantia *singularis, physica, ens primae intentionis*.

2^a Div. Substantia est quantitative *simplex* aut *composita*. Datur duplex compositio, ex substantiis nempe incompletis et ex partibus quantitatibus. Non consideratur heic nisi posterior. — Porro substantia simplex quantitative non constat ex partibus physicis quantitatibus, nec in has resolvi potest. Substantia quantitative composita partibus physicis constat. Prior dicitur *immaterialis*, posterior *materialis*.

3^a Div. Substantia est *completa* aut *incompleta in ratione substantiae*. Prior in se existit nec ordinatur naturaliter ad existendum cum alia, quacum componat substantiam unam, completam, specificam. Posterior vero ad hoc ordinatur.

4^a Div. Substantia est *completa* aut *incompleta in ratione naturae*. — *Natura proprie* est principium intrinsecum ultimum actionum et passionum alicujus subjecti. a) *Natura incompleta* ex una parte ad certum operationum ordinem ex se ordinatur, ex altera vero non est principium sufficiens, ideoque indiget compleri alio principio. — b) *Natura completa* est principium intrinsecum *integrum*, seu sufficiens sibi, operationum ad quas exercendas est ex se ordinata.

86. Scholion. Quaeritur quodnam detur discrimin inter conceptum objectivum substantiae, naturae, essentiae.

Resp. Non distinguuntur realiter, sed sola consideratione mentis, quatenus de eadem re triplex habetur conceptus praecisivus. Concipere enim aliquam rem ut substantiam primam completam, est eam concipere ut est subjectum accidentium; eam concipere ut *naturam completam*, est eam concipere ut est principium ultimum intrinsecum operandi et patiendi; denique eam concipere ut *essentiam* est eam concipere ut pertinet ad determinatam speciem.

87. Proprietates substantiae. Sex proprietates substantiae primae ab Aristotele enumerantur : 1. *Non inhaeret subjecto*. — 2. *Non recipit majus nec minus*; ejus enim ratio in indivisibili ponitur; ens enim vel est in alio, estque accidens; vel non est in alio, estque substantia. — 3. *Non habet contrarium*. Contraria enim sunt ea quae ab eodem subjecto se mutuo excludunt; unde quod habet contrarium expellitur a subjecto per alia contraria; sed substantia expelli nequit, est enim ipsum subjectum.

— 4. *Est subjectum contrariorum*: sequitur ex dictis. — 5. *Est hoc aliiquid, h. e. individua*; est enim realis, reale autem est singulare. — 6. *Partes ejus, si est composita, sunt substantiae*. Sunt enim vel substantiae vel accidentia. Atqui non sunt accidentia; ex accidente enim (modificatione) non fit substantia.

ARTICULUS II.

DEFINITIO ESSENTIALIS HYPOSTASEOS.

88. Ut investigetur definitio essentialis hypostaseos, cognosci oportet tum res quae dicuntur hypostases, tum varia quae his rebus insunt et constituant earum essentiam, vel ex essentia flunt, sive necessario sive contingenter. His enim cognitis, vel consideratur quid sit commune omnibus, quatenus hypostasis, tamquam ratio ceterorum hypostasi formaliter sumptae convenientium, in quo casu colligitur definitio *via ascensus*; vel *via descensus* ab ente descenditur, donec ad complexum notarum deveniatur qui omni et soli definito conveniat, sitque radix ceterorum de hypostasi praedicabilium. Jamvero :

1. Diversissimae res dicuntur hypostases : a) In divinis, Pater, Filius et Spiritus Sanctus, sunt tres hypostases realiter quidem distinctae in ratione hypostaseos, realiter vero unum in ratione naturae, seu subsistentes in una eademque essentia per identitatem communii tribus distinctis. — b) In Christo una est hypostasis, Verbum divinum, subsistens in duabus naturis, divina videlicet et humana, quae post inhumanationem Verbi realiter distinctae manent. — c) Singuli angeli, singulique homines dicuntur hypostases et personae. — d) Denique singula animalia, imo singula corpora sunt hypostases.

2. Hypostasis, inspecta secundum omnia quae ei insunt ad modum essentiae, proprietatis, accidentis, est *principium quod agit et patitur; quod non inest alteri, neque naturaliter postulat inesse alteri; quod non praedicatur de alio, de quo omnia rem affluentia praedicantur; quod est sui juris, independens*.

Thesis 15. Hypostasis recte definitur : Substantia prima, completa in ratione substantiae et in ratione naturae, tota in se.

89. PROB. *Via descensus.* Hypostasis est accidentis vel est substantia; si est substantia, haec erit prima vel secunda; si est substantia prima, haec erit incompleta in ratione substantiae et naturae, aut erit completa; si hypostasis est essentialiter substantia completa, aut quaelibet talis substantia erit hypostasis, aut aliqua substantia completa non erit hypostasis, in quo casu addenda erit nota *totietatis*, quae erit ratio formalis hypostaseos. — Atqui hypostasis : a) non est accidentis; b) neque substantia secunda; c) neque substantia prima incompleta; d) neque omnis substantia prima completa in ratione substantiae et in ratione naturae. Ergo hypostasis est substantia prima, completa in ratione substantiae et in ratione naturae, tota in se.

Prob. Min. Hypostasis non est : a) *accidens*, cum id alteri insit; b) *substantia secunda*, cum de prima praedicetur; c) *substantia prima incompleta*, cum naturaliter postulet uniri alteri quacum efficiat substantiam completam; d) *quaelibet substantia prima completa*. Quod probandum manet :

Ratio est duplex : a) Humanitas Christi est substantia completa, ex corpore et ex anima constans, principium adaequatum operationum humanarum. Attamen, cum Verbum in ea subsistat, ita ut ratione ejus Verbum sit homo, haec humanitas non est id quod agit et patitur, de quo omnia praedicantur, sed est id quo persona Verbi agit et patitur, et proin haec substantia completa non est hypostasis. — b) Natura divina est substantia prima completa; at per identitatem communis est tribus personis in ea subsistentibus, adeoque est in altero, est alterius, est id quo personae divinae agunt.

Igitur ut habeatur definitio essentialis hypostaseos, conveniens omni et soli hypostasi, addenda est notis supra citatis alia nota, qua nempe significetur substantiam primam completam non esse per identitatem communem pluribus, neque supernaturaliter fuisse assumptam per aliam personam quae in ea subsistat et per eam agat et patiatur. Hoc autem exprimitur per notam *totietatis*.

90. Coroll. In notione tradita substantia prima et completa se habet ad modum generis, seu materiae; totietas vero ad modum differentiae specificae seu formae logicae, seu rationis formalis. Ista forma vocatur etiam *suppositalitas, subsistentia*.

Scholion 1. Natura completa creata, est hypostasis eo quod non assumitur a persona divina quae in ea subsistat. Utrum sibi relinquatur beneficio alicujus positivi superadditi, a theologis solet investigari in tractatu de Incarnatione.

Scholion 2. Ex propositione praejecta consequitur quod :
 a) hypostasis significatur ut totum; natura ut pars formalis, seu *id quo* hypostasis habet ut sit hujus vel illius speciei; —
 b) hypostasis significatur ut subjectum habens, natura ut res habita; — c) hypostasis est *principium-quod* (*id quod*) est. agit, patitur; natura est *principium-quo* (*id quo*) hypostasis est, agit, patitur. Inde effatum : *actiones sunt suppositorum*.

Scholion 3. Persona definitur a Boetio : *Substantia individua naturae rationalis*. Substantia individua sumi potest triplici sensu : *latori*, pro substantia *singulari*, in oppositione ad substantiam secundam; *strictiori* pro substantia singulari *integræ*, in oppositione ad naturam incompletam; *strictissimo pro supposito*, in oppositione ad *id quod* in ratione naturae est quidem singulare et integrum, sed identice commune pluribus distinctis, vel alteri communicatum per modum partis.

Scholion 4. Ex *eo quod* notiones hypostaseos et naturae ducebantur converti, omnes ferme haereses circa SS. Trinitatem et circa Verbum incarnatum sunt exortae :

In divinis una est natura : Ergo, aiunt Sabelliani, non dantur tres personae realiter distinctae, sed eadem persona vocatur Pater prouti est creator, Filius prouti naturam humanam assumpsit. Spiritus Sanctus prouti est auctor gratiae.

In divinis tres sunt personae : Ergo, aiunt Tritheistæ, tres sunt naturae distinctæ aequæ perfectæ. — Ergo, aiunt Ariani, natura Verbi est distincta a natura Patris eique inferior.

In Christo una est persona : Ergo, aiunt Eutychiani, una est natura, et proinde vel humana natura conversa est in divinam, vel divina in humanam, vel ex utraque facta est natura mixta.

In Christo duas sunt naturae distinctæ, divina et humana : Ergo, aiunt Nestoriani, duas sunt personæ, et proinde B. Virgo non est *Θεός*, mater Dei.

CAPUT IV.

DE ACCIDENTIBUS.

ARTICULUS I.

DE ACCIDENTIBUS IN GENERE.

91. Divisio I. Accidens dispescitur in novem praedicamenta; h. e. substantia concipi potest modificari novem modis diversis, qui cum substantia constituant decem praedicamenta quae comprehendendi solent his versiculis :

— Arbor, sex servos calore refrigerat ustos.

Cras ruri stabo, nec tunicatus ero.

Arbor indicat substantiam, *sex* quantitatem, *servos* relationem, *calore* qualitatem, *refrigerat* actionem, *ustos* passionem, *cras* quando, *ruri* ubi, *stabo* situm, *nec tunicatus ero* habitum.

Explie. Substantia est *1º* tanta vel tantilla : *id quo* tanta aut tantilla est, vocatur ejus *quantitas*. — *2º* Talis vel talis, v. g., alba, calida : *id quo* talis est dicitur *qualitas*. — *3º* Agens vel non : *id quo* ens agit, est ejus *actio*. — *4º* Patiens vel non : *id quo* ens patitur est ejus *passio*. — *5º* Similis alteri aut non, ab altero dependens aut non : *id quo* est similis aut dependens, dicitur *relatio*. — *6º* Nunc vel tunc... quando. — *7º* Hic vel illic : *id quo* est alicubi, vocatur *ubi*. — *8º* Stans vel sedens etc. : *id quo* est stans etc. dicitur *situs*. — *9º* Ornata vestibus vel non : *id quo*... vocatur *habitus*.

II. Sub alio respectu institui potest divisio :

1. Accidentia sunt *extrinseca* vel *intrinseca*.
 2. Accidentia *intrinseca* sunt vel *respectiva* vel *absoluta*.
 3. Accidentia *absoluta* bifariam dividit postea dicetur.
- Duae priores divisiones explicantur: Substantia denominatur:

Scholion 1. Natura completa creata, est hypostasis eo quod non assumitur a persona divina quae in ea subsistat. Utrum sibi relinquatur beneficio alicujus positivi superadditi, a theologis solet investigari in tractatu de Incarnatione.

Scholion 2. Ex propositione praejecta consequitur quod :
 a) hypostasis significatur ut totum; natura ut pars formalis, seu *id quo* hypostasis habet ut sit hujus vel illius speciei; —
 b) hypostasis significatur ut subjectum habens, natura ut res habita; — c) hypostasis est *principium-quod* (*id quod*) est. agit, patitur; natura est *principium-quo* (*id quo*) hypostasis est, agit, patitur. Inde effatum : *actiones sunt suppositorum*.

Scholion 3. Persona definitur a Boetio : *Substantia individua naturae rationalis*. Substantia individua sumi potest triplici sensu : *latori*, pro substantia *singulari*, in oppositione ad substantiam secundam; *strictiori* pro substantia singulari *integræ*, in oppositione ad naturam incompletam; *strictissimo pro supposito*, in oppositione ad *id quod* in ratione naturae est quidem singulare et integrum, sed identice commune pluribus distinctis, vel alteri communicatum per modum partis.

Scholion 4. Ex *eo quod* notiones hypostaseos et naturae ducebantur converti, omnes ferme haereses circa SS. Trinitatem et circa Verbum incarnatum sunt exortae :

In divinis una est natura : Ergo, aiunt Sabelliani, non dantur tres personae realiter distinctae, sed eadem persona vocatur Pater prouti est creator, Filius prouti naturam humanam assumpsit. Spiritus Sanctus prouti est auctor gratiae.

In divinis tres sunt personae : Ergo, aiunt Tritheistae, tres sunt naturae distinctae aequi perfectae. — Ergo, aiunt Ariani, natura Verbi est distincta a natura Patris eique inferior.

In Christo una est persona : Ergo, aiunt Eutychiani, una est natura, et proinde vel humana natura conversa est in divinam, vel divina in humanam, vel ex utraque facta est natura mixta.

In Christo duas sunt naturae distinctae, divina et humana : Ergo, aiunt Nestoriani, duas sunt personae, et proinde B. Virgo non est *Θεός*, mater Dei.

CAPUT IV.

DE ACCIDENTIBUS.

ARTICULUS I.

DE ACCIDENTIBUS IN GENERE.

91. Divisio I. Accidens dispescitur in novem praedicamenta; h. e. substantia concipi potest modificari novem modis diversis, qui cum substantia constituant decem praedicamenta quae comprehendendi solent his versiculis :

— Arbor, sex servos calore refrigerat ustos.

Cras ruri stabo, nec tunicatus ero.

Arbor indicat substantiam, *sex* quantitatem, *servos* relationem, *calore* qualitatem, *refrigerat* actionem, *ustos* passionem, *cras* quando, *ruri* ubi, *stabo* situm, *nec tunicatus ero* habitum.

Explie. Substantia est *1º* tanta vel tantilla : *id quo* tanta aut tantilla est, vocatur ejus *quantitas*. — *2º* Talis vel talis, v. g., alba, calida : *id quo* talis est dicitur *qualitas*. — *3º* Agens vel non : *id quo* ens agit, est ejus *actio*. — *4º* Patiens vel non : *id quo* ens patitur est ejus *passio*. — *5º* Similis alteri aut non, ab altero dependens aut non : *id quo* est similis aut dependens, dicitur *relatio*. — *6º* Nunc vel tunc... quando. — *7º* Hic vel illic : *id quo* est alicubi, vocatur *ubi*. — *8º* Stans vel sedens etc. : *id quo* est stans etc. dicitur *situs*. — *9º* Ornata vestibus vel non : *id quo*... vocatur *habitus*.

II. Sub alio respectu institui potest divisio :

1. Accidentia sunt *extrinseca* vel *intrinseca*.
 2. Accidentia *intrinseca* sunt vel *respectiva* vel *absoluta*.
 3. Accidentia *absoluta* bifariam dividit postea dicetur.
- Duae priores divisiones explicantur: Substantia denominatur:

1. Per aliquid *extrinsecum* substantiae : illud extrinsecum, substantiam denominans talem vel talem, vocatur *accidens extrinsecum* substantiae. Sic corpus vocatur vestitum ob vestes adhaerentes corpori; hae sunt *accidens extrinsecum*.

2. Per aliquid *intrinsecum* substantiae, *connotato termino extrinseco*. Sic paries albus denominatur similis alterius partis albi ob suam albedinem, connotata albedine termini relationis. Ob similem rationem aliquis dicitur pater, filius, causa, effectus, agens, patiens. — Illud *intrinsecum* quod, connotato termino *extrinseco*, denominat substantiam, vocatur *accidens respectivum* substantiae, seu *relatio realis*.

3. Per aliquid *intrinsecum*, non *connotato termino extrinseco*. Sic anima denominatur cogitans, volens, etc., per aliquid sibi *intrinsecum*; sic etiam corpus denominatur calidum, coloratum. Tale *accidens* vocatur *absolutum*.

Art. 2º agetur de accidentibus absolutis; art. 3. de respectivis.

ARTICULUS II.

DE ACCIDENTIBUS ABSOLUTIS.

S I. Notiones.

92. Descriptio. Accidens *absolutum* est res distincta a substantia, ea imperfectior, ei naturaliter inherens, *intrinsecus* ei unita, ab ea in existendo dependens, a qua substantia habet ut sit talis vel talis, hoc aut illo modo; v. g. qua anima est intelligens, volens; qua corpus est calidum, album, hic vel illuc, nunc vel tunc.

Definitio. Accidens *absolutum* est forma quaedam *realis* ac physica ex potentia subjecti educta, hanc potentialitatem *intrinsecus* actuans h. e. eam *intrinsecus* determinans ad secundarium aliquem modum essendi.

Ad accidentia *absoluta* e sententia veterum pertinent ferme omnia accidentia quae constituant secundum ac tertium praec-

dicamentum, nempe quantitas et variae qualitates, dempta solum qualitate quartae speciei, figura.

Divisio. Accidentia *absoluta* bifariam dividuntur :

1. In *pure modalia* et non *pure modalia*;

2. In *accidentia per se* et in *accidentia per accidens* :

a) Accidentia *absoluta pure modalia* seu *modi*, sunt ea de quorum essentia est *actu* afficere illud cuius dicuntur *modi*, quaeque idcirco separatis ab illo consistere absolute nequeunt.

b) Accidentia *absoluta non pure modalia* ea sunt de quorum essentia non est *inhaesio* actualis sed *aptitudinalis* tantum. Ista *inhaesio* *aptitudinalis* in eo reponitur quod *accidentia non tantum* sunt in *potentia* ad *inhaerendum* alteri, sed quod *inhaerere postulant* ex *natura sua*, adeo ut per solam Dei *potentiam* in *ordine rerum* *vigere* possint sine *actuali inhaesione* in *substantia*. — Itaque haec *accidentia* *divinitus separari* a *substantia* possunt, et sic *supernaturaliter acquirere* *modum essendi* per se.

c) Accidentia *per se* sunt ea quae concreantur, comproducentur substantiae, sine quibus substantia esse non potest, quae non tantum quoad *aptitudinem* sed etiam quod *actualitatem resultant* e substantia. Alia autem resultant ex substantia prout haec est *hujus vel illius speciei*: dicuntur *accidentia propria entis*: tales sunt vires quibus substantia agit. Alia vero resultant ex substantia prout haec est *individua*: *hujusmodi accidens* est v. g. *nigredo in Aethiopie*.

d) Accidentia *per accidens* sunt ea quae quoad *actualitatem suam superveniunt* quidem substantiae, sed ab ea abesse possunt; recipiuntur in substantia, mediantibus aliis accidentibus quae ex substantia resultant. Talia sunt *calor, ubicatio*.

Quæstiones. Inquiremus a) de accidentium *absolutorum* distinctione reali a substantia; b) de nonnullorum separabilitate a substantia; c) in specie de qualitate, quam veteres inter accidentia *absoluta annumerabant*. — Quae dicenda sunt de quantitate, de loco et de duratione, ad cosmologiam remittimus.

§ 2. De distinctione reali accidentium absolutorum a substantia.

Substantia varias denominationes accipit ob aliquid intrinsecum ipsi, quod vocatur *accidens absolutum*. Tali ratione corpus denominatur calidum, album, etc.; anima denominatur cogitans et volens, etc. Calor et color, cogitatio et volitus sunt accidentia intrinseca et absoluta. — Quærerit a*num tribuant substantiae novum modum essendi* b) *num iste modus sit secundum realitatem distinctus a substantia*.

93. Sententiae. I^a quae est *Cartesii* eorumque qui operam navant in eliminanda sententia peripatetica circa corporum constitutionem, *negat accidentia intrinseca esse realiter distincta a substantia*. — *Quoad corpora*, inter se non convenient: Juxta alios, accidentia corporea consistunt in respectibus quibusdam, sive unius substantiae ad aliam, sive partium substantiae inter se. Sic calor et color, aiunt, sunt puri motus vibratorii elementorum; per motus autem variatur tantum distantia unius elementi corporis respectu alterius.

I^a SENT, quae est *Scholasticorum*, sequentia affirmat: a) habentur accidentia, quae intrinsecus modificant substantiam seu aliud modum essendi ei tribuunt; b) haec accidentia edificant ex potentia substantiae completae, h. e. in et ex substantia; ideoque substantia completa, vocatur materia secunda; c) haec accidentia *realiter distinguuntur a substantia* quam afficiunt, sive tribunnt substantiae perfectionem novam. d) Tandem intrinsecus uniuntur substantiae. — Überior horum explicatio tradetur in cosmologia, ubi de distinctione et unione materiae primae et formae substantialis dicetur.

Thesis 16. Substantia creata intrinsecus modificantur accidentibus absolutis realiter ab ipsa distinctis.

94. I^a PARS. PROB. I^m ARG. Qualitates propriae corporum non sunt dumtaxat motus vibratorii, sed verae et intrinsecae corporum modificationes, quod probabitur in Cosmol. Ergo dantur accidentia non mere respectiva.

I^m ARG. Modificantur anima intrinsecus in seipsa, cogitacio-

nibus et volitionibus, virtute et vitio, scientia, etc.; modificantur pariter infusione gratiae sanctificantis, etc. Alio enim modo sese habet anima cogitans vel volens vel sancta. Ergo substantia intrinsecus modificantur accidentaliter.

95. II^a PARS. Accidentia absoluta realiter distinguuntur a substantia.

PROB. I^m ARG. Petitur ex *intrinseca mutatione* entium secundum sua accidentia. Admittendum est id, quo non admissum, explicari nequeunt indesinentes mutationes intrinsecae quae substantiae supervenient. Atqui, non admissa accidentium distinctione a substantia, explicari nequeunt indesinentes mutationes intrinsecae quae substantiae supervenient. Ergo.

Prob. Min. Secus enim est dicendum a) vel omnes mutationes intrinsecas, substantiis supervenientes, esse substantiales, quod evidenter est falsum; b) vel per mutationes intrinsecas nihil realitatis advenire, nihil recedere a substantiis intrinsecus modificatis. Atqui hoc alterum etiam dici nequit. Ergo.

Prob. Si enim nihil realitatis accedit, in entibus constantibus ex partibus integrantibus non habetur nisi aliis ordo partium, quo, secundum adversarios, non inducitur nisi mutatio extrinseca singulis partibus. — In entibus vero simplicibus nulla omnino fit mutatio. — Et re quidem vera sit corpus frigidum actioni ignis subjectum: totum fit intrinsecus calidum; ideo transit subjectum ab uno statu ad aliud, amittit unum modum essendi acquiritque aliud. Profecto calor non identificatur cum frigore; utrumque igitur est re distinctum a substantia.

H^m ARG. Petitur ex *oppositione vigente inter proprietates substantiae et proprietatis accidentis*. Inter quorum proprietates reales est oppositio, eorum unum realiter distinguitur ab alio: Secus enim contradictoria verificantur de uno eodemque. Atqui inter reales proprietates substantiae et reales proprietates accidentis est oppositio. Ergo.

Prob. Min. a) Substantiae competit ratio receptivi, accidenti ratio recepti; — b) substantia est independens in essendo ab accidente, accidens in essendo dependet a substantia; — c) substantia in se stat sive in se sustentatur, accidens inhaeret sive sustentatur a substantia; — d) substantia permanet, acci-

dens advenit et recedit; — e) secundum substantiam non contingit motus proprie dictus, secundum accidentia substantia vere et proprie moyetur; — f) substantia non participatur secundum magis et minus, quaedam accidentia secundum magis et minus participantur a substantia. Atqui inter has proprietates viget oppositio. Ergo.

§ 3. De permanentia accidentium absolutorum seorsim a substantia.

Duplex instituitur quaestio : a) an dentur accidentia non pure modalia; b) quae nam sint?

96. I. AN SINT ACCIDENTIA NON PURE MODALIA? Quaestio tractari potest : 1^o theologice; 2^o philosophice.

1. Si *theologice* res inspicitur, duo sunt indubia :

a) Per transsubstantiationem eucharisticam tota substantia panis convertitur in corpus Christi, totaque substantia vini in sanguinem Christi. Conversione autem transsubstantiativa perfecta, pergit produci in organis eae modificationes, quas substantiae panis et vini, ante conversionem, producebant, proindeque eadem qualitates sensibiles apprehenduntur.

b) Iste sensuum modifications non immediate a Deo producuntur; neque etiam a corpore Christi quod definitive praesens est sub speciebus eucharisticis (quae sententiae a Cartesianis docentur); neque etiam producuntur per atomos aetheris quae prius substantiae panis et vini admixtae erant, et, transsubstantiatione perfecta, eundem inter se ordinem servant, easque exercent actiones quae a substantia panis et vini exercebantur (quae sententia a cl. Palmieri docetur); sed per aliquid quod ex pane et vino, desinente tota substantia, esse remanet. Ex pane autem et vino, conversa tota substantia, nihil remanere valet, nisi accidentia. Igitur ex fontibus relativis liquet : α) accidentia realiter a substantia distingui; β) complexum accidentium corporeorum divinitus conservari sine subjecto; et proinde dari accidentia non pure modalia.

2. Si *philosophice* inspicitur quaestio denturne accidentia absoluta non pure modalia, haec sunt tenenda :

a) Indubium est accidentibus nullam competere *aptitudinem naturalem* ad existendum sine subjecto : secus enim accidentia essent formae substanciales per se subsistentes, sicut anima humana, quod involvit contradictionem.

b) Imo nulla ratio naturalis afferri valet qua probetur possibile esse ut accidentia sine subjecto remaneant.

c) Hinc philosophiae christianaे tantum est declarandum mysterium transsubstantiationis non esse *contra rationem*, seu *intrinsecam impossibilitatem existentiae separatae accidentium nulla evidenti ratione demonstrari*. Quod sic ostenditur :

97. In tantum impossibilitas separationis accidentium a substantia esset evidenter impossibilis, in quantum vel accidentia non haberent realitatem sibi propriam, vel Deus non posset supplere efficienter (h. e. producendo in accidentibus modum supernaturalem subsistendi per se) concursum quem substantia creata naturaliter accidentibus praestat ea sustentando. Atqui a) ex probatis manifestum est accidentia habere realitatem sibi propriam, siquidem sunt realiter distincta a substantia; b) manifestum non est Deum non posse supplere concursum a substantia exercitum. Ergo.

Ad majorem advertere juvat accidentia nullatenus fieri substantiam per infusionem modi *supernaturalis* subsistendi; substantia enim est ens *naturaliter* subsistens per se. Quare hic modus non anfert ab accidentibus essentiam suam seu *naturalem incapacitatem* subsistendi seorsim a substantia, sed tantum ea roborat ita ut subsistant sine actuali inhaesione in substantia quin essentiam suam amittant.

98. II. QUAENAM SINT ACCIDENTIA NON PURE MODALIA.

1. Juxta omnes autores ubicatio, quandocatio, actus volendi et cogitandi, sunt accidentia modalia. Itaque repugnat haberi ubicationem et quandocationem sine re ubicata et quandocata, cogitationem et volitionem sine subjecto cogitante et volente.

2. Quoad multa alia accidentia disputatur utrum sint pure modalia, an secus. Juxta Suarezium et Durandum, qualitates, puta calor, color, etc., divinitus sustentari possunt quin inhaerent in quantitate. Alii multi asserunt solam quantitatem, cum accidentibus in ipsa inhaerentibus, sine subjecto existere posse.

5. Quae sententia sic exponitur : a) Quantitas realiter distinguitur a substantia, est accidentis primarium, comproductum, concreatum substantiae, a substantia corporea necessario dimans, et sine qua haec substantia absolute esse nequit. b) Effectus formalis quantitatis est juxta alios tribuere compositionem ex partibus integrantibus, juxta alios tribuere extensionem localem aptitudinem, seu exigentiam extensionis. c) In quantitate subjectantur cetera accidentia quae et ipsa sunt quanta ratione actualis inhaesione in quantitate. d) Haec accidentia absolute requirunt actualiter inhaerere quantitatibus; verum quantitas non absolute exigit inhaerere substantiae; hinc cum accidentibus quae in ipsa inhaerent per omnipotentiam divinam separari potest a substantia et conservari. e) Attamen, cum quantitas naturali aptitudine careat ad existendum seorsim, oportet ut supernaturaliter et vi potentiae obedientialis, qua quantitas uti omne ens insignitur, in ea producatur id quo roboretur et fortificetur in ordine ad existendum seorsim a substantia. Illud vero, quod sic in quantitate producitur, vocatur *modus supernaturalis existendi per se*.

§ 4. De qualitate.

99. **Definitio.** Sicut essentia est id per quod respondetur querenti *quid* res sit, sic qualitas est id per quod respondetur querenti *qualis* res sit. « Qualitatem dico, inquit Philosophus, secundum quam aliqui dicuntur quales. »

a) *Latissime* qualitas significat *quidquid praedicatur adiective* de subjecto, seu *in quale*. Tali sensu qualitas includit differentiam specificam, proprium, accidentis. — b) *Stricte* significat *quodlibet genus accidentis*. Sic includit proprium et accidentis. — c) *Strictissime* significat *speciale genus accidentis a quo* substantia qualificatur : Juxta scholasticos nempe subjectum finitum, completum in ratione substantiae et essentiae, est capax *ulterioris perfectionis accidentalis*, qua completur sive in se, sive in ordine ad operationes. Haec perfectio, quae per modum formae accidentalis actuat et perficit subjectum, vocatur qualitas. Definitur ab Alberto Magno : *accidens comple*

et perficiens substantiam tam in existendo quam in operando; a D. Thoma : *accidens dispositivum substantiae in seipsa*.

100. **Divisio.** Quatuor species qualitatum recenset Aristoteles. Sunt : a) habitus et dispositio; b) potentia et impotentia physica; c) qualitates passibiles et passiones; d) figura.

Habitus. A. **DEFINITIO.** Habitus est id quo subjectum bene vel male sive in seipso sive ad operandum disponit permanenter. Tales sunt scientia, virtus. Habitus dicuntur *de difficii mobiles*.

Dispositio differt ab habitu quia est *de facili mobilis*; tales sunt calor et frigus. Pro diversitate subjectorum, sanitas et infirmitas sunt vel habitus vel dispositiones.

B. **Divisio.** 1^a. **Habitus ornativi et operativi** : a) *Ornativi* subjectum *in se* bene vel male disponunt, h. e. modo congruo vel incongruo naturae quae est finis eorum quae ipsi insunt. — b) *Operativi* subjectum disponunt uti est *operans*.

2^a. **Habitus naturales et supernaturales seu infusi** : a) *Habitus supernaturales* transcendunt exigentiam creature et per solum Deum e potentia subjecti educuntur. Relate ad hominem aliis habitus est *ornativus*, nempe gratia sanctificans cuius effectus formalis est efficere hominem sanetum, justum, filium adoptivum et amicum Dei; aliis sunt *operativi*, quorum ope anima elicit actus supernaturales, puta fidei, spei et caritatis. — b) *Habitus naturales* capacitem et vires naturae non transcendunt et per eas e potentia subjecti educuntur. Per habitus *naturales* acquiritur *facilitas operandi*.

3^a. **Habitus necessarii et contingentes.** a) *Habitus necessarii* insunt per se a natura; sic pro intellectu habetur *habitus principiorum*, qui definitur *dispositio intellectus ad promptissime et facilime assequenda principia*. — b) *Habitus contingentes* non insunt per se a natura; tales sunt pulchritudo, sanitas, *facilitas major quam quae a natura inesset, orta ex consuetudine et spectans ad certam speciem actionum*, uti v. g. agilitas ad cursum, robur in pugilatu, harmonice pulsare citharam.

4^a. **Habitus dividuntur ratione subjecti seu potentiae quae habitibus afficitur.** — Inter varios habitus distinguuntur *praesertim habitus partis intellectivae*. Dividuntur in *habitus intellectuales* qui afficiunt intellectum et *habitus morales seu virtutes*

quae afflent voluntatem et de quibus tractat Ethica. — *Habitus intellectivi* alii sunt *speculativi*, alii *practici* prout destinatur ad solam contemplationem vel ad opus.

OBSERVA. a) Requiritur ut causa *immanenter agat*, ad hoc ut *habitus* acquirat; unde causae transeunter agentes facilitatem agendi non acquirant; sic diurno exercitio terra non acquirit majorem facilitatem se *mōvendi* circa solem. — Attamen omnes causae immanenter agentes non ideo habituum sunt capaces. — b) Non requiritur ut causa sit *intelligens* aut *libera* ad hoc ut *habitus* acquirat; sic vis locomotiva hominis acquirit *habitus* tarditatis vel mobilitatis citissimae.

Habitus realiter a natura distingui probatur eodem modo ac superius probata est distinctio realis actuum spiritualium. Qui enim acquirit *habitum*, acquirit novum modum essendi; hic modus non est nihil. Igitur est re distinctus a potentia.

II. *Potentia* et *impotentia* dicuntur relate ad actionem quae potest aut non potest facile fieri vel vitari; qua in re non habetur ratio dispositionis ad aliquid conveniens naturae *subjecti*. — *Facultates* *essentiales* non recensentur ab Aristotele inter *potentias* *accidentales*.

III. *Qualitates* *passibiles* et *passiones* sunt qualitates quibus corpora instruuntur et ratione quarum per sensus attinguntur. Si sunt stabiles, vocantur *passibiles*; secus vocantur *passiones*. — *Passibiles* sunt v. g. dulcedo, amaritudo, acerbitas, albedo, nigredo. *Passiones* sunt v. g. rubor in verecundia, pallor in timore. — *Insania* et *furor*, si sunt stabiles, sunt qualitates *passibiles*; secus sunt *passiones*.

IV. *Figura* est id quo *substantia* modificatur in ordine ad extensionem.

101. *Proprietates* *qualitatum*. Praecipuae sunt : a) contrarietas quae in eo est quod una potest expelli per alteram; b) intensio et remissio; c) similitudo et dissimilitudo.

ARTICULUS III.

DE ACCIDENTIBUS RESPECTIVIS.

§ 1. *De relationibus in genere.*

102. Definitio. Entia absoluta possunt esse inter se similia vel dissimilia; unum potest oriri ex altero, vel ipsi ortum praebere. Esse vero simile, ex altero oriri, alterius esse principium et sic porro, est *referri* ad hoc alterum, habere habitudinem, respectum, ordinem, seu relationem ad hoc alterum. Igitur relativum est id quod habet habitudinem ad alterum. — *Relatio* est *habitudo*, seu *respectus*, seu *ordo unius ad alterum*. Ea inter quae exstat haec *habitudo*, vocantur *termini* (numero plurali) *relationis*.

Elementa relationis : 1. *Subjectum* seu relatum; est *id quod* refertur, v. g. Petrus. — 2. *Terminus* (numero singulari) seu *correlativum*, est *id ad quod* refertur *subjectum*, v. g. Claudio. — 3. *Fundamentum* est *id* *vel* propter *quod* *subjectum* ad *terminum* refertur. Sic cum virtute vel scientia Petrus similis est Claudio, hae dicuntur *fundamentum relationis*.

Fundamentum relationis potest spectari *adaequate* et *inadequate* : a) *Adaequate* spectatum non inest soli *subjecto* sed etiam *termino*. Ut enim Petrus habitudinem similitudinis habeat ad Paulum, requiritur ut in utroque termino aliquid hanc similitudinem fundet. — b) *Inadequate* spectatum in solo *subjecto* habetur, estque *id quo* *subjectum* ad *terminum* refertur.

Divisio relationis. Multipliciter dividitur *relatio* :

103. PRIMA DIVISIO. *Relatio* est *vel realis* *vel rationis*.

A. *Relatio realis* afficit *subjectum realiter*, *independenter a cogitante*, seu stat in eo *quod unum ex se ipso* habitudinem habet ad alterum. Requirit ut omnia elementa a natura ponantur; igitur a) ut *subjectum* et *terminus* sint *realia* seu *existencia*. b) Ut *subjectum* et *terminus* *realiter inter se distinguantur*. Nam si sunt *realiter idem*, nihil haberi potest *quod realiter referatur ad aliud*. c) *Ut reale sit fundamentum*.

Dari relationes reales est manifestum quia independenter a mente cogitante una res est similis alteri, una est causa alterius.

B. *Relatio rationis* tribuitur subjecto *ex sola consideratione mentis*. Ut talis sit, sufficit ut vel unum elementum ab intellectu ponatur. Igitur habetur : a) Quando extrema, vel alterum ex his, non sunt realia, sed ponuntur ab intellectu. Talis relatio habetur inter genera et species, inter haec et individua. — b) Cum inter extrema non habetur distinctio realis, sed sola distinctio rationis. Sic habetur relatio inter essentiam et proprietates, inter varias proprietates, v. g. inter spiritualitatem animae et ejus immortalitatem. — c) Cum in subjecto, quod concipitur ad terminum habere respectum, fundamentum non est reale, sed ponitur ab intellectu; sic habetur relatio inter vexillum et regionem determinatam, inter verba et conceptus.

OBSERVA. Quaedam sunt fundamentaliter apta ut habeant relationem; at relatio formaliter non exsurgit nisi ex institutione rationis et voluntatis. Vocatur *relatio rationis practicae*. Ad hoc genus revocatur *relatio jurisdictionis* et *subjectionis*.

104. SECUNDA DIVISIO. Relatio realis est vel *transcendentalis* seu necessaria, vel *praedicamentalis* seu contingens : a) Prior necessario comitatur essentiam aliquam; talis est relatio creaturae ad Deum. Creatura enim vi essentiae refertur ad Deum uti ad causam primam, ad conservatorem esse sui, ad gubernatorem providum vitae suae et ad finem ultimum. — b) Posterior potest adesse vel abesse, salva essentia. Talis est similitudo unius ad alterum.

105. TERTIA DIVISIO. Relatio realis dividitur ratione fundamenti in relationem realem *similitudinis* seu identitatis et in relationem *dependentiae*. Subjectum realis dependentiae habet intrinsecum ordinem ad terminum, seu essentialiter ordinatur ad aliud; sic pater qua pater ordinatur ad filium.

A. **RELATIO REALIS SIMILITUDINIS** est triplex : Unum enim esse potest alteri simile : a) *ratione essentiae*, et inter haec habetur relatio unitatis naturae; — b) *ratione qualitatis*; inter haec habetur relatio similitudinis proprie dictae; — c) *ratione quantitatis*; inter haec habetur relatio aequalitatis.

B. **RELATIO REALIS DEPENDENTIAE** habetur :

1. Inter *principium* et *principiatum*, h. e. inter id a quo aliquid procedit, et id quod procedit.

2. Inter *mensuratum* et *mensuram*. Mensura vocatur terminus realis ad cuius imitationem res facta est, adeoque ad quem res habet habitudinem dependentiae. Talis relatio habetur inter scientiam quae est *mensuratum* et rem scitam quae est *mensura*, inter intellectum et intelligibile.

106. QUARTA DIVISIO.

Relatio realis est duplex : 1. Est *mutua* si uterque terminus ad alterum realiter refertur, seu si habetur duplex relatio realis, ita ut utrumque extremum sit subjectum unius relationis et terminus alterius.

2. Relatio est *mixta*, cum ex una parte est realis, ex altera rationis. Talis est relatio dependentiae inter creaturam et Deum, inter intellectum cognoscentem et rem scitam; est enim rationis ex parte Dei et ex parte rei scitae, est realis ex parte creaturae et intellectus scientis.

In specie agendum est de relationibus similitudinis et de relationibus dependentiae; de posterioribus, ob copiam rerum dicetur cap. seq.

§ 2. De relatione similitudinis.

Quaeritur : a) quid et quotuplex sit identitas; b) de principio identitatis; c) de perfecta duorum identitate logica.

107. Notio identitatis. Identitas est *duorum secundum aliquam rationem unitas*. — Duplex est : *realis* et *logica*.

1. Plura *realiter distincta* possunt convenire in *eodem conceptu*, cum nempe secundum essentiam, vel quantitatem, vel qualitatem inter se similia sunt. *Realis* quidem relatio et *realis distinctio* inter ea vigent, identitas autem *logica*.

2. Plura possunt convenire in *eadem entitate*, non vero in *eodem conceptu*, eo quod una eademque res per varios conceptus praecisivos representatur. Inter haec viget identitas *realis*, distinctio vero relatioque *rationis*.

Principium identitatis seu convenientiae : « *Quae sunt eadem unitio sunt eadem inter se.* »

1. Si agitur de identitate *reali*, sensus est : « *Quae sunt*

eadem identitate reali cum eodem tertio, sunt eadem identitate reali inter se. » — Vel : « Quae realiter *identificantur* uni tertio, realiter *identificantur* inter se. »

2. Si agitur de identitate *logica*, sensus est : « Quae sunt eadem uni tertio identitate logica, seu quae sunt *similia* uni tertio, sunt etiam *similia* inter se. »

OBSERVA. Ut principium identitatis applicetur, tria servanda sunt : a) ut primum et secundum, puta Petrus et Paulus, comparentur cum eodem tertio, puta cum Andrea; b) ut Paulus, comparetur cum Andrea sub eodem respectu sub quo Petrus fuit cum eo comparatus, puta sub respectu staturae; — c) ut concludatur Petrum convenire cum Paulo sub eo respectu sub quo uterque comparatus est cum Andrea. — In divinis Pater et Filius et Spiritus Sanctus cum eadem essentia *identificantur*; ex hoc concludi quidem potest tres personas divinas realiter inter se *identificari* sub respectu essentiae absolutae, non vero sub respectu relativi quo sunt personae.

108. De entium perfecta similitudine. De ea quaestione celebris est habita controversia inter Leibnitzium (1646-1716) et Clarekium (1675-1729), quorum prior sententiam negantem tenebat, posterior affirmantem.

Entia perfecte similia ea vocamus, quorum perfectio essentialis et accidentalis solo numero differat, ita ut per eundem conceptum adaequate repraesentari possit. Praescindimus tamen utrum ubicatio possit esse eadem, seu utrum repugnet necne duo entia simul eundem locum occupare.

Assertum. Non repugnat dari duo entia perfecte similia.

PROB. Ut hoc repugnet, requiritor ut, supposita existentia alicujus entis, deficiat possibilitas extrinseca vel intrinseca respectu alterius entis quod foret perfecte simile. Atqui respectu alterius entis nec intrinseca nec extrinseca possibilitas deest. Ergo non repugnat dari duo entia perfecte similia.

Prob. 1^a pars Min. Si inter notas constitutivas primi entis non datur repugnantia, haec non potest haberi inter notas secundi entis; non enim oriri potest ex existentia prioris.

Prob. 2^a pars Min. Si intrinseca possibilitas abest respectu duorum entium, Deo nec potentia absoluta, nec ordinata deest ad utrumque ens condendum.

CAPUT V.

DE ENTIUM CAUSALITATE.

ARTICULUS I.

DE CAUSIS IN GENERE.

109. Cum causa sit de genere principii, hujusce notio est aperienda. — *Principium* sensu lato, est id ad quod aliud consequitur; illud quod consequitur, vocatur *principiatum*.

Unum potest ad alterum consequi duobus modis :

I. *Sine ullo nexu intrinseco* inter utrumque; sic unum altero prius est a) tempore, b) loco, c) dignitate. Termini dicuntur *impropriæ principium* et *principiatum*.

II. *Ob nexus intrinsecum* quo inter se devinciuntur. Dicuntur sensu stricto *principium* et *principiatum*.

Nexus autem intrinseco *principiatum* ad *principium* consequi valet tum in ordine logico, tum in ordine ontologico :

A. *In ordine logico*. Quod est cognitum potest esse ratio cur alterum cognosci queat, seu potest esse natum ducere mentem in cognitionem alterius. Sic mundus dicit in cognitionem existentiae Dei. — Quod ita se habet, dicitur altero prius in ordine logico. In hoc ordine mundus est prior Deo.

B. *In ordine ontologico*. Una res potest esse ratio cur alterum sit, sive esse id e quo alia res quadammodo procedit. Dicitur prior altera *in ordine ontologico*. Dicitur etiam prior *natura*, *suppositione*. — *Principium* autem potest esse prius in ordine ontologico duobus modis :

1. Quatenus concipitur a sola mente ut ratio cur alterum sit; dicitur *ratio metaphysica*; alterum vero *rationatum*.

2. Quatenus *independenter a concipiente* est ratio cur alterum existat, sive quatenus *principiatum* realiter procedit a principio; dicitur *ratio physica*. — *Ratio physica* e qua effectus

eadem identitate reali cum eodem tertio, sunt eadem identitate reali inter se. » — Vel : « Quae realiter *identificantur* uni tertio, realiter *identificantur* inter se. »

2. Si agitur de identitate *logica*, sensus est : « Quae sunt eadem uni tertio identitate logica, seu quae sunt *similia* uni tertio, sunt etiam *similia* inter se. »

OBSERVA. Ut principium identitatis applicetur, tria servanda sunt : a) ut primum et secundum, puta Petrus et Paulus, comparentur cum eodem tertio, puta cum Andrea; b) ut Paulus, comparetur cum Andrea sub eodem respectu sub quo Petrus fuit cum eo comparatus, puta sub respectu staturae; — c) ut concludatur Petrum convenire cum Paulo sub eo respectu sub quo uterque comparatus est cum Andrea. — In divinis Pater et Filius et Spiritus Sanctus cum eadem essentia *identificantur*; ex hoc concludi quidem potest tres personas divinas realiter inter se *identificari* sub respectu essentiae absolutae, non vero sub respectu relativi quo sunt personae.

108. De entium perfecta similitudine. De ea quaestione celebris est habita controversia inter Leibnitzium (1646-1716) et Clarekium (1675-1729), quorum prior sententiam negantem tenebat, posterior affirmantem.

Entia perfecte similia ea vocamus, quorum perfectio essentialis et accidentalis solo numero differat, ita ut per eundem conceptum adaequate repraesentari possit. Praescindimus tamen utrum ubicatio possit esse eadem, seu utrum repugnet necne duo entia simul eundem locum occupare.

Assertum. Non repugnat dari duo entia perfecte similia.

PROB. Ut hoc repugnet, requiritor ut, supposita existentia alicujus entis, deficiat possibilitas extrinseca vel intrinseca respectu alterius entis quod foret perfecte simile. Atqui respectu alterius entis nec intrinseca nec extrinseca possibilitas deest. Ergo non repugnat dari duo entia perfecte similia.

Prob. 1^a pars Min. Si inter notas constitutivas primi entis non datur repugnantia, haec non potest haberi inter notas secundi entis; non enim oriri potest ex existentia prioris.

Prob. 2^a pars Min. Si intrinseca possibilitas abest respectu duorum entium, Deo nec potentia absoluta, nec ordinata deest ad utrumque ens condendum.

CAPUT V.

DE ENTIUM CAUSALITATE.

ARTICULUS I.

DE CAUSIS IN GENERE.

109. Cum causa sit de genere principii, hujusce notio est aperienda. — *Principium* sensu lato, est id ad quod aliud consequitur; illud quod consequitur, vocatur *principiatum*.

Unum potest ad alterum consequi duobus modis :

I. *Sine ullo nexu intrinseco* inter utrumque; sic unum altero prius est a) tempore, b) loco, c) dignitate. Termini dicuntur *impropriæ principium* et *principiatum*.

II. *Ob nexus intrinsecum* quo inter se devinciuntur. Dicuntur sensu stricto *principium* et *principiatum*.

Nexus autem intrinseco *principiatum* ad *principium* consequi valet tum in ordine logico, tum in ordine ontologico :

A. *In ordine logico*. Quod est cognitum potest esse ratio cur alterum cognosci queat, seu potest esse natum ducere mentem in cognitionem alterius. Sic mundus dicit in cognitionem existentiae Dei. — Quod ita se habet, dicitur altero prius in ordine logico. In hoc ordine mundus est prior Deo.

B. *In ordine ontologico*. Una res potest esse ratio cur alterum sit, sive esse id e quo alia res quadammodo procedit. Dicitur prior altera *in ordine ontologico*. Dicitur etiam prior *natura*, *suppositione*. — *Principium* autem potest esse prius in ordine ontologico duobus modis :

1. Quatenus concipitur a sola mente ut ratio cur alterum sit; dicitur *ratio metaphysica*; alterum vero *rationatum*.

2. Quatenus *independenter a concipiente* est ratio cur alterum existat, sive quatenus *principiatum* realiter procedit a principio; dicitur *ratio physica*. — *Ratio physica* e qua effectus

procedit, ei communicat aliquod esse. Jamvero principium potest duobus modis communicare esse principiato :

a) Communicando principiato *totum ipsummet suum esse*; sic in divinis Pater per generationem communicat naturam divinam Verbo; Pater et Filius per spirationem activam Spiritui Sancto. — Principium est subjectum relationis originis, cuius principiatum est terminus.

b) Communicando principiato *esse distinctum ab esse principii*; talis ratio vocatur *causa*; principiatum vocatur *effectus*.

Esse principiati ab esse principii distinguitur :

a) aut *adaequate*; talis causa est *extrinseca effectui*; est autem duplex, nimirum *efficiens et finalis*;

b) aut *inadaequata*, quatenus causa se communicat alteri *intrinsecus*, ita ut ex unione exsurget compositum, quod est *effectus*; patet hanc causam esse *intrinsecam effectui*; est et ipsa duplex : *materialis et formalis*.

Porro ex his colligitur definitio principii et causae :

Principium definitur a) vel cum Aristotele, id unde aliquid est, aut fit, aut cognoscitur; — b) vel cum S. Thoma, id a quo aliquid procedit quocumque modo.

Causa in genere est id vi cuius aliud producitur, sive principium influxu suo determinans existentiam rei.

De causa materiali et formali in cosmologia dicetur. Quare in seq. nonnisi de efficienti et de finali tractabimus.

ARTICULUS II.

DE CAUSA EFFICIENTE.

§ 1. *Definitio, divisio, elementa causalitatis efficientis.*

110. Definitio. Causa efficientis est *id a quo aliquid fit*, vel *principium actione cuius aliquid producitur*.

Diversa est causa a conditione et occasione. *Conditio* est id quod quidem requiritur ut causa effectum suum producat, verum nullatenus actione sua in effectum influit. — *Occasio* est

opportunitas agendi, vel etiam ea circumstantia quae actioni ponendae est opportuna.

Manifestum est conditioni et occasioni insuper competere posse rationem causae. — Sic saepe occasio allicit voluntatem ad agendum; in hoc casu est insuper *causa moralis* effectus producti. — Verum, si formaliter considerantur, non sunt proprie causae, siquidem non vere influunt.

111. *Divisio. Causa efficientis multifariam dividitur :*

1^a Div. *Causa prima seu Deus, et causa secunda seu creata.*

2^a Div. *Causa physica et causa moralis.* a) *Physica* efficientia physica effectum attingit. b) *Moralis* movet (precibus, petitione, consilio, merito, minis) aliam causam, ut haec physice effectum producat; dicitur causa moralis hujusce effectus ab altera causa physice producti. Sic preces possunt esse causa moralis gratiae a Deo nobis infusae.

3^a Div. *Causa necessaria et causa libera.* Prior, positis omnibus his quae ad agendum praerequiruntur, non potest non agere. Posterior in iisdem adjunctis potest non agere.

4^a Div. *Causa per se et causa per accidens* (Vid. n. 77).

5^a Div. *Causa agens immanenter et causa agens transeunter*, de quibus mox dicetur.

6^a Div. *Causa totalis seu adaequata, et causa partialis seu inadaequata.* Prior effectum producit sola; posterior non sola.

— Causa partialis est duplex : a) Causa partialis *partialitate effectus*, ea nempe quae nonnisi partem effectus attingit; b) causa partialis *totalitate effectus*, quae, dependenter ab alterius concursu, totum effectum attingit: sic Deus et creatura eundem effectum simul producunt.

7^a Div. *Causa principalis et causa instrumentalis.* Ut hae causae habeantur, oportet ut ad productionem effectus unius duplex causa concurrat. Quod ubi contingit, principalis dicitur ea quae alteram causam sibi *subordinat, dirigit, movet*; haec altera est instrumentalis.

112. *Elementa causalitatis efficientis.*

Ex definitione causae efficientis patet eam tribus elementis essentialiter constare : 1^m id quod agit, *principium seu vis*; 2^m id quod fit, *terminus seu res nova*; 3^m nexus inter utrumque, id quo res nova e principio procedit, *actio causae*.

1. *Principium* considerari potest in triplici statu : a) *In potentia*, seu ut alii dicunt *in actu primo remoto*; est principium nude inspectum prout est ex se potens agere. — b) *In actu primo*, seu ut alii dicunt *in actu primo proximo*; est principium expeditum ad agendum, seu stipatum omnibus his quae praerequiruntur ad agendum. — c) *In actu secundo*, cum principium est reapse agens.

2. Id quod fit, seu *terminus effectus*, est multiplex :

a) Potest esse subjectum primo in ordine reali positum, seu *substantia completa*. Actio qua illud subjectum fit, vocatur *creatio*. — b) Potest esse *forma substantialis* quae educitur ex potentia materiae. — c) Potest esse *forma accidentalis* quae e substantia completa resultat vel in ipsa producitur. Actio qua forma substantialis vel accidentalis fit, vocatur *eductio, operatio, simpliciter actio*.

Ulterius forma accidentalis seu terminus actionis, vel potest produci in ipsa causa seu subjecto agente; terminus et actio vocatur *immanens*. — Vel potest produci in alio subjecto; terminus vocatur antonomastice *effectus*; actio qua producitur, vocatur *transiens*. — Subjectum in quo recipitur forma, terminus actionis, et quod proinde per actionem modificatur, dicitur *pati*; passio est ipsa *transmutatio subjecti*.

3. *Actio* est id quo effectus a causa procedit, seu quo causa est formaliter agens, seu *causalitas causae*. Duo complectitur : a) Actuale exercitium causae; — b) immediata dependentia, in fieri, principiati a principio.

113. QUAERES. Utrum actio sit in agente an in passo?

RESP. Utrumque potest affirmari : Etenim per actionem intellegi potest : a) in recto terminus seu id quod fit, in obliquo modus quo terminus producitur; sic autem intellecta, actio dicitur *in passo recipi*. b) In recto modus productionis, in obliquo terminus actionis; sic autem intellecta, actio dicitur *in agente*.

Quaestiones. Circa causalitatem efficientem quaeritur : a) an *in ordine rerum* habeatur causalitas? b) Quae sit natura causalitatis?

Prima quaestio tria complectitur : a) Utrum conceptui causae insit *valor objectivus*. Ut solvatur quaestio, prius dicendum erit de principio

rationis sufficientis et de principio causalitatis. — b) Quibusnam entibus competat causalitas. — c) Cum plures causae subordinari possint ad eundem effectum producendum, quaeritur utrum in serie causarum per se subordinatarum detur *processus in infinitum*?

Secunda quaestio duo involvit : a) quomodo actiones et potentiae specificentur; b) quomodo distinguantur a natura.

§ 2. De principio rationis sufficientis. — De principio causalitatis. — De valore objectivo conceptus causae.

Per judicium praedicamus conceptum objectivum causae de rebus. Hic quaeritur utrum huic conceptui insit *valor objectivus*, h. e. utrum certi esse possimus *in ordine reali existere aliquam causam*.

114. I^a SENT. Negant Humius, Kantius, Hermesius, Positivistae. Cernimus, aiunt, unum oriri post aliud, consequi ad aliud : sic cernimus germina, flores, fructus sibi succedere. Inde existimamus, nec tamen cernimus, unum esse causam alterius.

I^a SENT. affirmat et probat ex *principio causalitatis*.

115. Principium causalitatis. — Triplex est modus illud enuntiandi : a) *Omnis effectus habet suam causam*. Principium sic enuntiatum esse analyticum, est immediate evidens; sed ulterioribus quaestionibus solvendis parum conduit; negabitur enim ab adversariis res incipientes esse effectus, seu determinari ad existendum per actionem alicujus principii. b) *Quod esse incipit, ei est causa efficiens a se diversa*. c) *Quod contingenter existit, habet causam efficientem sui*; seu quod per essentiam suam non determinatur ad existendum, requirit etc. — Tertius iste modus praecipue est in usu ubi ex contingentia rerum mundanarum demonstratur existentia Dei, seu entis a se et causae primae.

116. Principium rationis sufficientis : *Quidquid est, habet rationem sufficientem sui*. — Ratio autem sufficiens est *id unde res sit potius quam non sit*, et e converso; *cur res sit hoc modo potius quam illo*. — Ratio sufficiens est adaequata vel inadaequata : a) Ratio adaequata est ea, ultra quam non requiritur alia ut rationatum sit. b) Ratio inadaequata est ea ultra quam requiritur alia.

Thesis 17. Analytica sunt principia rationis sufficientis et causalitatis. Ideo conceptui causae non deest valor objectivus.

117. I^a PARS. *Principium « quidquid est, habet rationem sufficientem sui » est analyticum.*

Sensus. Mens perpendendo subjectum « quidquid est » cernit praedicatum « habere rationem sufficientem » esse unam ex notis subjecti, ipsique necessario convenire.

DECL. Quidquid est, differt ab eo quod non est; quod est tale, differt ab eo quod non est tale; quod est tantum possibile, differt ab eo quod existit. — Requiritur ut discrimen detur ob aliquid, sive intrinsecum ipsi sive extrinsecum. Sed hoc requiri, est requiri rationem sufficientem. Ergo quidquid est, requirit rationem sufficientem.

118. II^a PARS. *Analyticum est principium causalitatis.*

1. *Analyticum est principium : Quod incipit existere habet causam efficientem.*

PROB. Quod incipit existere, habet rationem sufficientem inceptionis: patet ex praejectis. Atqui sola ratio sufficiens inceptionis rei, est quod res habet causam efficientem. Ergo.

Prob. Min. Ratio sufficiens inceptionis rei debet esse a) vel in ipso incipiente; b) vel in alio. Istud aliud determinabit existentiam rei incipientis a) vel licet efficientia physica istud non attingat; b) vel efficientia istud producendo. Atqui primum et secundum admitti nequeunt. Ergo.

Prob. 1^a pars Min. Dicere rationem inceptionis esse in incipiente, est asserere hanc rationem repeti ex essentia in statu possibilitatis. Sed haec essentia nequit esse ista ratio. Essentia enim in hoc statu est indifferens ad existendum vel ad non existendum. Secus enim possibilia, sive omnia sive pleraque, necessario existerent. — Atqui quod hac indifferencia pollet, non potest esse ratio cur res inceperit. Ergo.

Prob. 2^a pars Min. Si aliud ens actione aliqua non determinat existentiam rei incipientis, nullam relationem ad ipsum habet, ideoque nequit esse ratio cur hoc alterum existat.

2. *Analyticum est principium : Quod contingenter existit, habet causam efficientem sui.*

PROB. Habetur ratio sufficiens cur ens contingens, et ad existendum non sufficiens sibi, realiter existat. Atqui sola ratio reponi potest in causa efficienti. Ergo.

Prob. Min. Ratio reponi debet vel in ipso ente contingenter existente vel in alio; si in alio, vel illud ponitur esse causa efficiens vel non. Atqui ratio cur ens contingens existat, repeti non potest ex hoc ipso ente, neque ex alio efficienter illud non attingente. Ergo.

Prob. 1^a pars Min. Ens contingens est ex se indifferens ad existendum, ex se enim non determinatur ad existendum. Atqui quod est hujuscemodi, non valet esse sibi ratio cur existat potius quam non. Ergo. — **Prob. 2^a pars Min.** ut supra.

119. III^a PARS. *Conceptui causae inest valor objectivus.*

Sensus. Vere scire possumus in ordine rerum haberri causam.

PROB. Ut cognoscamus existere aliquam causam, satis est cognoscere haberri res quae esse incipiunt. Atqui hoc in comperto est. Ergo.

Patet major quia principium causalitatis est analyticum.

Patet minor, tum quia, testante sensu intimo, experimur varias cogitationes volitionesque se in nobis excipientes: sentimus modo frigus, modo calorem, modo sitim, modo famem, etc.; tum quod sensus externi apprehendunt varias modificationes in corporibus externis se excipientes.

§ 3. De causalitate entium creatorum.

Ex praecedentibus liquet intellectum, ex iis quae conscientia sibi suppeditat, efformare posse conceptum causae; merito etiam colligitur dari causam aliquam, eo ipso quod dantur entia quae esse incipiunt suntque contingentia. — Ulterius quaeritur *quaenam sit* causa efficiens eorum quae esse nanciscuntur.

120. Sententiae. I^a est Occasionalistarum, quorum dux est Nicolaus Malebranchius. Juxta illum, *entia creata non vere producunt effectus quos videntur producere, neque vere agunt; sed ad praesentiam seu ad occasionem harum rerum, Deus solus effectus producit.* Inde entia creata sunt *causae occasioneles.*

II^a asserit *entibus tum corporeis, tum incorporeis inditam esse vim activam et ea esse causas efficientes* quae physice effectus producunt. Ut patet haec vis non est *creativa* sed *eductiva*, producit enim ex *subjecto*, illud transmutando modificandoque; haec vis etiam est *limitata*; deinde est *dependens* in agendo a *causa prima*, ita nempe ut idem terminus totaliter attingatur a *causa prima* et a *causa secunda*; denique *indiget determinatione extrinseca*, quae determinatio diversa est pro causis necessario agentibus et pro actibus deliberaatis causaram liberarum.

Thesis 18. Occasionalistarum systema nulli validae rationi innititur. Quinimmo ejus falsitas positive comprobatur.

121. I^a PARS. PROB. Sola ratio cui valide inniteretur occasionalismus, esset quia repugnaret entia creata pollere causalitate efficienti. Atqui nulla est repugnantia in eo quod entia creata sint praedita vi agendi, quod reapse agant et determinent existentiam rerum novarum. Ergo.

Prob. Min. Repugnantia enim oriaretur sive ex parte naturalium creatarum, sive ex parte Dei, sive ex parte virtutis, quae entibus finitis indita dicitur. Atqui nulla ex parte detegitur.

Prob. 1^a pars Min. Non ex parte substantiae creatae. Vis enim activa non repugnat enti creato a) ut est ens : patet quia vis activa competit enti increato; b) ut est creatum : nam uti enti increato competit vis activa infinita et increata, sic possibilis est vis finita et creata, quae indi possit enti finito. Sic uif enim reliquae perfectiones divinae imitabiles sunt ad extra secundum varios modos finitos, sic etiam virtus infinita Dei imitabilis est diversimode. Quod ulterius probator :

Prob. 2^a pars Min. Non ex parte virtutis entibus finitis inditae. Etenim ista virtus nullo pacto dici deberet infinita, uti ex praefactis liquet; speciatim non deberet dici *creativa*, producit enim ex *subjecto*, non vero ex *nihilo subjecti*. Ergo.

Prob. 3^a pars Min. Non ex parte Dei, a) Non enim repugnat existentia vis activae eo quod Deus, utpote causa prima, jam operatur in omnibus. Nihil enim impedit quin principium agens integretur duabus causis partialibus quarum utraque dependenter ab alia attingat totalitatem effectus. — b) Neque

repugnat eo quod Deus adsciscit creature in consortium activitatis : hoc enim non magis Deum dedecet quam creature adsciscere in consortium ceterarum perfectionum.

II^a PARS. *Falsitas probatur positive.*

A. ENTIA, QUAE DICUNTUR VIVENTIA, AGUNT.

PROB. 1. De actionibus immanentibus. Anima est activa in volendo : generatim activa est in *omni* volitione, speciatim vero in volitione *libera*. a) In *omni* volitione. Volitio enim est *tendentia* versus rationem boni apprehensam ab intellectu. Atqui *tendentia* est aliqua activa motio. Ergo omnis volitio est activa. b) In *actibus liberis*. Ut voluntas sit libera in *actibus*, oportet ut ipsa se active extraheat ex statu indifferentiac. Patet ex notione libertatis quae evoluta reperitur in Psychologia.

2. *De actionibus transeuntibus.* Sensus intimus testatur nos corpora impellere et movere, nisum exercere, trahi a corporibus. Ergo sensus intimus testatur nos esse activos.

B. CORPORA AGUNT. — **PROB.** Per sensus nostros constat : a) nos sentire resistantiam in contactu corporum; — b) corpora in motu (ex. gr. equos) videri determinare ad motum alia corpora (ex gr. currum); — c) eosdem effectus in iisdem adjunctis et sub iisdem conditionibus semper occurrere; — d) naturis corporeis diversis (quorum eae quae viventes dicuntur, organis instruuntur) respondere effectus diversos et proportionatos. Ergo ipsa corpora producent hos effectus.

Patet consequentia quia : a) in tantum activa productio horum effectuum ipsis corporibus denegari potest, in quantum repugnat vim activam competere corporibus. b) Si in talibus adjunctis Deus solus agit, non vero corpora, Deus artificiose hominem impellit in errorem invincibilem.

§ 4. *De causis per se subordinatis.*

122. Causa una potest subordinari alteri dupliciter : a) per accidens; b) per se.

Causa subordinata alteri *per accidens*, est ea quae pendet ab altera *in essendo*, non vero *in operando*; sic filius subordinatur

patri. — Causa subordinata *per se*, est ea quae pendet *in operando* a superiore; talis est causa instrumentalis respectu causae principalis.

Causa quae non pendet a superiore et a qua pendet in operando causa inferior, dicitur *subordinans*.

Patet aliquem effectum produci posse per causas efficientes quarum una in operando ab altera pendet: quaeritur utrum in tali serie causarum detur *processus in infinitum*.

Thesis 19. In serie causarum efficientium per se subordinatarum non datur *processus in infinitum*.

Sensus. Quando effectus producitur per plures causas quarum inferior a superiore in operando pendet, debet haberi causa aliqua prima quae non sit subordinata sed a qua subordinatae incipient et proinde quae subordinet sibi ceteras, iis virtutem communicando.

123. PROB. In illa serie non datur *processus in infinitum*, in qua deveniendum est ad aliquam causam primam. Atqui in quavis serie causarum efficientium per se subordinatarum, deveniendum est ad aliquam causam primam. Ergo in nulla tali serie datur *processus in infinitum*.

Prob. Min. In quavis serie causarum efficientium per se subordinatarum, singulae causae sunt *causae ex hypothesi*, adeoque tota series harum causarum est causa *ex hypothesi*, h. e. ex suppositione quod tota series virtutem agendi accipiat ab aliqua causa quae sit extra seriem causarum subordinatarum et quae proinde sibi ceteras causas subordinet. Atqui in tali serie devenit ad causam ante quam non sit alia et quae proinde sit prima. Ergo.

124. Axiomata 1. *Causa causae est causa causati.* — Explicatur distinctione: *causa causae necessario agentis* (h. e. principium quod producit aliud principium quod necessario agit), est *causa causati* (h. e. est *mediate causa effectus* ab hoc posteriore principio producti), *Conc.*, *causa causae libere agentis* (v. g. Deus qui est causa liberae voluntatis), est *causa causati* (h. e. est *causa cui imputari potest effectus productus ab hac causa libera*), *Subd.* si *causa prior intendit effectum secuturum ab hac causa libera et ob id causam liberam produxit, Conc.*; si

non intendit effectum ex causa libera secuturum, Subd. si tamen *praevidit* hunc effectum secuturum, et insuper *si tenebatur impedire* effectum, est *causa cui imputator effectus, Conc.*; si non *praevidit*, vel *praevisum non tenebatur impedire, Neg.*

2. *Actus proportionatur causae principali.* Sensus est: perfectio propria effectus determinatur a causa principali, quae causam instrumentalem movet et applicat.

3. *Causae secundae non agunt nisi motae a prima.* — Sic distinguitur: *causa secunda necessario agens* non agit, nisi in virtute accepta a causa prima, nisi mota a prima ad actum secundum, *Conc.*; *causa secunda libere agens* non agit etc. *Subd.* movetur et applicatur a prima, h. e. agit *per virtutem sibi a Deo concessam, operatur, Deo praestante concursum suum in differentem et concomitantem, Cone.*; movetur et applicatur a Deo, h. e. *praemovetur et praedeterminatur* a deo ut determinatio actus non pendeat ab ipso arbitrio, *Neg.*

§ 5. Quomodo specificentur actiones et potentiae.

125. Datur objectum *materiale* et objectum *formale*: a) Objectum *materiale* est res circa quam versatur potentia, in se considerata, cum omnibus his quibus constituitur. — b) Objectum *formale* est ratio, nota objecti materialis, secundum quam potentia circa istud objectum versatur et istud attingit.

In uno objecto materiali plurima haberi possunt objecta formalia; sic in corpore habetur color, sonus, durities, calor, ratio entis, boni etc. Ratione aliorum objectorum formalium ab aliis actibus, sive transeuntibus sive immanentibus, idem objectum *materiale* attingitur. — Objecta formalia specifice differunt: alia enim est species coloris, soni, duritiei, etc. Cum alia objecta formalia attingantur per alias actiones, dicendi sunt specie differe actus quibus diversa objecta formalia attinguntur. Sic specifice diversus est actus audiendi et videndi, intelligendi et volendi, urendi et colorandi. Actibus specificis diversis respondent potentiae specie diversae, harum enim finis est operatio circa objectum. — Proinde citra controversiam admittitur *actus specificus et formaliter distingui objectis*

formalibus, potentias vero immediate actibus, mediate objectis, proindeque essentiam potentiarum esse diversam pro diversis actibus et objectis formalibus.

§ 6. *De distinctione actionis et potentiae a natura.*

126. Sententiae. I^a tenet actionem et principium proximum operandi distingui realiter a natura. — Sic exponitur :

a) Singulis entibus creatis competit quaedam vires tanquam proprietates essentiae : ex essentia necessario et ab intrinseco diminant, concreantur et comproducentur cum ea. Dicuntur accidentia per se; opponuntur accidentibus per accidens, quae per motum, sive per transitum ab uno statu ad alium, e potentia substantiae educuntur. Inter accidentia per accidens annumeratur actio causae.

b) Res agens in actu primo considerata est una, at composita seu constans ex duobus intrinsecus unitis et constituentibus ens actu unum, nimur ex substantia seu natura et ex potentia. Illud ens unum attingit proxime effectum ratione istius potentiae, quae exin recte vocatur *ratio agendi, principium proximum agendi, id quo natura est activa.* Cum illa potentia sit educuta ex natura, natura dicenda est *radix, principium radicale et remotum agendi.*

c) Res agens in actu secundo considerata est quoque una et constans ex substantia, potentia et actione. Ut potentia educitur ex natura, ita actio ex composito naturae et potentiae. Actio est id quo illud compositum actu attingit effectum.

Hanc sententiam, saltem si sermo sit de distinctione virium a natura, tenent D. Th., Capr., Cajet., Complutenses, Conimbricenses, Fonseca. Inter modernos Sylv. Maur., Goudin, Em. Zigliara, cl. Tilm. Pesch.

II^a SENT. est Dynamistarum et Atomistarum : *Solam distinctionem rationis ratiocinatae admittit, quatenus nimur alias est conceptus praecisivus potentiae et actionis, alias conceptus praecisivus substantiae; attamen cl. Palmieri admittit non repugnare ut viribus simplicibus competat principium proximum operandi a se distinctum.*

III^a SENT. est Suarezii et Scotti. Afferunt haberi potentias realiter (formaliter juxta Scotum) a natura distinctas. At non sola potentia est immediate activa, sed etiam natura.

Thesis 20. Non desunt rationes asserendi a substantia realiter distingui actionem agentis principiumque proximum operandi.

127. I^a PARS. *Actio a substantia realiter distinguitur.*

PROB. I^m ARG. Si inter se comparatur potentia actualiter agens et potentia actualiter non agens, negari non potest potentiam agentem esse perfectiorem quam potentiam non agentem, seu aliquid perfectionis inesse potentiae agenti quod ipsi non agenti deest. Atqui hoc est signum manifestum actionem realiter a substantia distingui. Ergo.

I^m ARG. Intellections, volitiones, sensationes, cum sint immanentes, considerari possunt active et passive. Non habetur distinctio realis inter actionem et passionem. Unde si intellections, volitiones, sensationes sunt realiter distinctae a natura in quantum sunt *passivae*, sunt etiam realiter distinctae in quantum sunt *activae*. Atqui, in quantum sunt passiones, distinguuntur a natura. Ergo.

Prob. Min. Intellections, volitiones et sensationes, nobis superveniunt, substantia animae eadem manente. Atqui hoc est signum eas, ceu passiones, realiter ab anima distingui. Ergo intellections etc. ceu passiones realiter ab anima distinguuntur. Jamvero cum sit eadem ratio pro actionibus ceterarum causarum, dicendum est omnem actionem a causa distingui.

128. II^a PARS. *Vires realiter distinguuntur a substantia.*

1. Si quaestio philosophice inspicitur, varia proponuntur argumenta e quibus saltem major probabilitas hujuscce sententiae colligitur. Sequens adduxisse sufficiat :

Potentiae quibus operatur anima, realiter distinguuntur inter se, et consequenter a substantia animae. Ergo a fortiori potentiae quibus operantur corpora.

Prob. Ant. Potentiae animae elicunt operationes primo diversas, h. e. diversas quoad objectum formale seu rationem sub qua objectum materiale attingunt. Atqui tales potentiae realiter distinguuntur inter se et consequenter a substantia.

Prob. Min. Tribus modis : a) Potentia una non elicit nisi operationem unam, quae ad summum potest esse virtualiter multiplex sive aequivalere multis operationibus; nulla vero entitas elicit operationes diversas. b) Secus haberi videretur potentia una virtualiter multiplex penes quam esset libere virtutem exercere, modo prout uni vi, modo uti aliis vi aequivalet; sed hoc videtur inconveniens. c) Natura solet adhibere diversa principia immediata pro diversis functionibus. Sic specialia organa deputantur diversis functionibus vegetativis et sensitivis.

2. Si theologice inspicitur, certa esse appareat realis distinctio potentiae activae a natura, dupli argumento :

a) Primum supra fuit expositum n. 96. Accidentia enim panis et vini quae, consecratione peracta, remanent sine substantia, sunt causae efficientes modificationum organicarum. Ergo ante consecrationem erant hujuscemodi principium, et proinde omne corpus agit per vires a se distinetas.

b) Habitus per se infusi virtutum, puta fidei, spei, caritatis, sunt principium quo immediate producuntur actus supernaturales. Ergo probabiliter anima actus naturales per principia proxima operandi elicit.

ARTICULUS III.

DE CAUSALITATE FINALI.

S 1. *Definitio et divisio finis.*

129. *Notio finis.* Ad eam tria spectant :

a) Finis sensu maxime lato dicitur bonum, ad cuius possessionem dirigitur res *quaevi*, vel ejus actio. — Sensu minus lato dicitur de bono, ad cuius acquisitionem dirigitur actio entis cognoscitivi. — Sensu strictiori restringitur ad bonum ab ente intellectuali appetitum. — Sensu strictissimo, ad bonum quod propter se ab ente intellectuali intenditur.

b) Res quae entia cognoscitiva perficere valet, prout in se inspicitur, et uti cognitioni nondum substata, dicitur *finis in*

actu primo remoto. — Idem bonum, quatenus cognitioni substata, dicitur *finis in actu primo proximo.* — Denique idem bonum, quatenus vel actu appetitur ab ente cognoscitivo, vel actu possidetur, dicitur *finis in actu secundo.* — Respectu entium non cognoscitivorum, non est distinguendum inter finem in actu primo remoto et in actu primo proximo; finis in potentia est id quod natum est ens perficere; in actu secundo est id quod actu illud perficit.

c) Bono quod est actu finis entis intelligentis, competit ratio causae respectu actus qui elicitor a voluntate et respectu actuum ab ea imperatorum. Finis causalitas stat in eo quod ejus bonitas voluntatem movet et allicit ad ipsum actu volendum, volitione quae dicitur intentio finis, et ad imperandas actiones quibus comparetur vel possideatur. — Intentio dividitur in formalem, virtualem, habitualem et interpretativam.

130. *Divisio finis.* 1. *Finis intrinsecus et extrinsecus* : a) Finis intrinsecus est bonum agenti intrinsecum ad quod ordinatur ejus actio; b) finis extrinsecus est bonum agenti extrinsecum, sive bonum alius entis, ad quod dirigitur illius actio.

2. *Finis operis et finis operantis.* Res aut actio potest esse nata procurare plura bona. Inter haec, bonum quod ab operante intelligenti intenditur, vocatur *finis operantis*; ceteri fines, quos res aut actio per se aut per accidens procurat, dicuntur *fines operis.* Fines operis et operantis possunt esse eidem vel diversi; possunt esse intrinseci vel extrinseci agenti.

3. *Finis-qui, finis-cui, finis-quo.* a) *Finis-qui* (juxta alias *finis-cujus*) est bonum quod intenditur ab operante. — b) *Finis-cui* est illud, in cuius favorem *finis-qui* intenditur; patet finem cui posse esse intendentem ipsum vel aliquid aliud. — c) *Finis-quo* est illud quo obtinetur *finis-qui* et *finis-cui*, sive est possessio *finis intenti*; vocatur etiam *finis-qui subjectivus*.

4. *Finis proximus, intermedius, ultimus.* a) *Finis proximus* est bonum, sive intrinsecum sive extrinsecum, quod immediate procuratur per actionem agentis; b) *Finis intermedius* est finis ad quem ordinatur *finis proximus* et qui ipse ordinatur ad fines superiores, sive qui inservit tamquam medium ad hos fines remotiores procurandos. — c) *Finis ultimus* ille est ad

Prob. Min. Tribus modis : a) Potentia una non elicit nisi operationem unam, quae ad summum potest esse virtualiter multiplex sive aequivalere multis operationibus; nulla vero entitas elicit operationes diversas. b) Secus haberi videretur potentia una virtualiter multiplex penes quam esset libere virtutem exercere, modo prout uni vi, modo uti aliis vi aequivalet; sed hoc videtur inconveniens. c) Natura solet adhibere diversa principia immediata pro diversis functionibus. Sic specialia organa deputantur diversis functionibus vegetativis et sensitivis.

2. Si theologice inspicitur, certa esse appareat realis distinctio potentiae activae a natura, dupli argumento :

a) Primum supra fuit expositum n. 96. Accidentia enim panis et vini quae, consecratione peracta, remanent sine substantia, sunt causae efficientes modificationum organicarum. Ergo ante consecrationem erant hujuscemodi principium, et proinde omne corpus agit per vires a se distinetas.

b) Habitus per se infusi virtutum, puta fidei, spei, caritatis, sunt principium quo immediate producuntur actus supernaturales. Ergo probabiliter anima actus naturales per principia proxima operandi elicit.

ARTICULUS III.

DE CAUSALITATE FINALI.

S 1. *Definitio et divisio finis.*

129. *Notio finis.* Ad eam tria spectant :

a) Finis sensu maxime lato dicitur bonum, ad cuius possessionem dirigitur res *quaevi*, vel ejus actio. — Sensu minus lato dicitur de bono, ad cuius acquisitionem dirigitur actio entis cognoscitivi. — Sensu strictiori restringitur ad bonum ab ente intellectuali appetitum. — Sensu strictissimo, ad bonum quod propter se ab ente intellectuali intenditur.

b) Res quae entia cognoscitiva perficere valet, prout in se inspicitur, et uti cognitioni nondum substata, dicitur *finis in*

actu primo remoto. — Idem bonum, quatenus cognitioni substata, dicitur *finis in actu primo proximo.* — Denique idem bonum, quatenus vel actu appetitur ab ente cognoscitivo, vel actu possidetur, dicitur *finis in actu secundo.* — Respectu entium non cognoscitivorum, non est distinguendum inter finem in actu primo remoto et in actu primo proximo; finis in potentia est id quod natum est ens perficere; in actu secundo est id quod actu illud perficit.

c) Bono quod est actu finis entis intelligentis, competit ratio causae respectu actus qui elicitor a voluntate et respectu actuum ab ea imperatorum. Finis causalitas stat in eo quod ejus bonitas voluntatem movet et allicit ad ipsum actu volendum, volitione quae dicitur intentio finis, et ad imperandas actiones quibus comparetur vel possideatur. — Intentio dividitur in formalem, virtualem, habitualem et interpretativam.

130. *Divisio finis.* 1. *Finis intrinsecus et extrinsecus* : a) Finis intrinsecus est bonum agenti intrinsecum ad quod ordinatur ejus actio; b) finis extrinsecus est bonum agenti extrinsecum, sive bonum alius entis, ad quod dirigitur illius actio.

2. *Finis operis et finis operantis.* Res aut actio potest esse nata procurare plura bona. Inter haec, bonum quod ab operante intelligenti intenditur, vocatur *finis operantis*; ceteri fines, quos res aut actio per se aut per accidens procurat, dicuntur *fines operis.* Fines operis et operantis possunt esse eidem vel diversi; possunt esse intrinseci vel extrinseci agenti.

3. *Finis-qui, finis-cui, finis-quo.* a) *Finis-qui* (juxta alias *finis-cujus*) est bonum quod intenditur ab operante. — b) *Finis-cui* est illud, in cuius favorem *finis-qui* intenditur; patet finem cui posse esse intendentem ipsum vel aliquid aliud. — c) *Finis-quo* est illud quo obtinetur *finis-qui* et *finis-cui*, sive est possessio *finis intenti*; vocatur etiam *finis-qui subjectivus*.

4. *Finis proximus, intermedius, ultimus.* a) *Finis proximus* est bonum, sive intrinsecum sive extrinsecum, quod immediate procuratur per actionem agentis; b) *Finis intermedius* est finis ad quem ordinatur *finis proximus* et qui ipse ordinatur ad fines superiores, sive qui inservit tamquam medium ad hos fines remotiores procurandos. — c) *Finis ultimus* ille est ad

quem proximus et intermedii ordinantur, qui vero ipse ultiorum ordinationem non accipit. — Datur haec series finium tum respectu finis operis et respectu operantis, tum respectu finis intrinseci et extrinseci, finis-qui et finis-cui.

5. Finis ultimus est *simpliciter* talis aut *secundum quid*:

a) Finis est *simpliciter* seu *positive* ultimus, si non tantum non ordinatur positive ad alium, sed si insuper *excluditur* positive quaevis anterior ordinatio. Sic in timore serviliter servili, includitur amor incolumentatis propriae, quae intenditur ut finis *simpliciter* ultimus.

b) Finis est *ultimus secundum quid seu negative*, si positive non ordinatur ad ulteriorem finem, sed si non *excluditur* positive ordinatio anterior. Sic in timore *simpliciter* servili includitur amor incolumentatis, quae est finis *ultimus secundum quid*.

6. Finis *partialis et totalis*. — Partialis ille est qui propter se amatur, sed non movet agentem nisi simul cum alio conjungatur. — Totalis ille est cuius intentio est ratio sufficiens agenti.

S 2. *De iis quae propter finem agunt.*

Assertum. Omne agens agit propter finem.

131. *Praenota.* Dupliciter agens tendit ad finem.

a) *Apprehensive*: sic tendit in finem agens quod finem apprehendit et se movet in eum; finis autem potest apprehendi sive intellectualiter sive sensibiliter.

b) *Exsecutive*: sic tendit in finem agens quod nullo modo apprehendit nec apprehendere potest finem, eum tamen attingit. Porro agens attingit finem exsecutive tribus modis:

a) *Vi motus mechanici* extrinsecus impressi et secundum leges physicas corporibus obviis communicati. Cum substantia corporea indifferens sit ad quemlibet motum mechanicum, ex tali agendi modo consequens esset eam esse indifferentem respectu cuiuslibet actionis, combinationis et finis. Hic modus obtinendi finem vocatur *mechanicus vel extrinsecus*.

b) *Vi inclinationis naturalis*, seu substantiis corporeis insitae et ex earum essentia emergentis. Ex tali modo operandi conse-

quens esset corpora per se non esse indifferentia ad omnem combinationem. Ut haec inclinatio, quae est potentia, transeat ad actum, requiritur determinatio extrinsecus accepta. Vocatur *finalitas intrinseca*.

7) *Operando vitaliter non tamen cognoscitive*. Sic in finem tendunt operationes plantarum.

Quinam modus tendendi ad finem naturis corporeis conveniat, perpendit Cosmologia. Quare im-praesentiarum ab hac quaestione praescindentes, contendimus *omnem actionem cuiuslibet agentis aliquatenus tendere in finem*, sive finis sit intrinsecus agenti sive sit extrinsecus.

132. PROB. A. *Agens liberum agit propter finem, seu intendit bonum apprehensum.*

Nam omnis actio libera, formaliter aut causaliter, est vel intentio alicuius rei determinatae, vel electio et adhibitio mediorum, vel quies in re possessa. Atqui quod intenditur, ad quod vergunt media, in quo quiescitur, est finis respectu libere agentis. Ergo omnis actio libera ordinatur ad finem.

Prob. Min. Requiritur ratio ut agens liberum in rem tendat aut in ea quiescat. Atqui alia haberi nequit ratio nisi quod agens liberum rem apprehendit ut bonam. Ergo.

B. *Agens necessario agit exsecutive ob aliquem finem.*

Prob. Causae necessario agentes adhibentur vel a Deo vel a voluntate creativa. Atqui utraeque agunt ob finem. Ergo.

Prob. Min. a) Aliae ex iis causis agunt vi naturae suae, vi inclinationis vel motus a Deo primitus illis inditi; patet autem Deum praescivisse effectum secuturum et voluisse hunc effectum ob gloriam suam, qui est finis ab eo intentus. b) Aliae ex causis necessariis agunt determinatae a voluntatibus creatis liberis; jamvero modo ostensum est voluntatem liberam intendere finem, in quem causa necessaria exsecutive agitur.

133. Scholion. Respectu causae secundae admittendus est casus; verum admitti non potest respectu causae primae. Casus enim est effectus secutus praeter intentionem agentis; jamvero causa secunda libera quavis actione intendit quidem bonum, at, praeter bonum quod intenditur, casu comparari potest aliud; illud autem evenire nequit respectu causae primae infinite sapientis.

ONTOLOGIAE PARS TERTIA.

DE ENTIUM PERFECTIONIBUS.

CAPUT VI.

134. Prologus. Postquam actum est tum de ente transcendentali atque proprietatibus ejus, tum de decem praedicamentis in quaе dividitur ens, reliquum est ut de ceteris summis perfectionibus, quae enti convenire possunt, pauca addantur. Aliae autem perfectiones convenientiunt enti absolute et iu se inspecto, aliae autem enti relative inspecto seu uti ens unum se habet ad alia entia. — Perfectiones vero absolutae enti convenient vel ratione essentiae, vel ratione existentiae. Nonnulla ex his dicta sunt agendo de characteribus essentiae et de proprietatibus entis. — Dicendum superest : a) de finitate et infinitate; b) de necessitate et de contingentiа; c) de ordine; d) de pulchritudine.

ARTICULUS I.

DE FINITO ET DE INFINITO.

§ 1. Notiones. — Quaestiones,

135. Finitum. A. DEFINITIO. *Finitum*, vi vocis, est id quod habet extremum, finem, limitem. — *Limes* est id ultra quod possibilis est ulterior perfectio. Unde finitum est id quod habet perfectionem ultra quam haberi potest alia perfectio.

B. SUBJECTUM. Triplex datur finitum: a) *multitudo*; b) *extensio* seu *magnitudo*, c) *generativus* *quaevius* *perfectio*.

136. Infinitum. A. DEFINITIO. Infinitum, vi vocis, est id quod extremum, finem, limitem non habet.

B. DIVISIO 1^a. Datur infinitum *relativum* seu *secundum quid* et *infinitum absolutum* seu *simpliciter*.

1. Prius est infinitum *in aliqua linea* seu *ordine perfectionis*. Triplex potissimum concipi potest linea: *multitudinis* scilicet, *extensionis*, et *perfectionis simplicis*.

Aliquid potest esse infinitum in linea *multitudinis*, aut *extensionis* (ad quam reducitur *duratio*): a) *eo quod initio et fine caret*: dicitur *multitudo*, *extensio*, *duratio simpliciter infinita*; b) *eo quod vel initium non habet*, licet habeat finem: dicitur *infinitum a parte ante*; vel *initium habet, sed finem non habet*: dicitur *infinitum a parte post*: est *infinita secundum quid*.

2. Posterius est infinitum *in omni linea* *perfectionis simplicis*, seu ejus *perfectio* *eminenter* *aequivalet* *omnibus perfectionibus* *quae sunt vel esse possunt sine fine*, adeo ut *nullo limite afficiatur*. Vocatur etiam *perfectissimum simpliciter*.

Divisio 2^a. Infinitum secundum *quid dividitur* in infinitum *actu* seu *categorematicum*, et in infinitum *potentia* seu *syncategorematicum*, seu etiam *indefinitum*: a) Prius illud est quod actu possidet perfectionem limite non affectam, sive partes sine fine actu determinatas. Ut patet, tale infinitum crescere jam non potest. — b) Posterius illud est quod est *finitum secundum perfectionem vel secundum partes quas actu habet*, sed quod semper aliis gradibus perfectionis vel aliis partibus *sine fine augeri potest*. — Exemplo sint tum *duratio animae immortalis semper actu finita*, *potentia infinita*, *tum partes continui*.

Quaestiones. Quaeritur 1. Quomodo concipiatur *finitum* et *infinitum*.

2. Utrum possibile sit *infinitum categorematicum relativum* seu *secundum quid*, nimirum a) *multitudo infinita categorematica*; b) *extensio infinita categorematica* — De *perfectione simplici infinita*, puta sapientia, agetur in *Theologia naturali*.

§ 2. De conceptu *finiti* et de conceptu *infiniti*.

Res finita potest sumi: a) *materialiter*, h. e. considerari potest res quae est finita, non attendendo formalitatem finiti; si sic inspicitur, ejus conceptus non requirit conceptum infiniti; constat enim finitum sua entitate, quae concipitur independenter a quavis alia; b) *formaliter et reduplicative*, seu uti est finitum: sic inspicitur.

Non agitur de *perfecta* notione finiti ut sic, quae habetur comparatione cum infinito, sed de *quavis* cognitione.

137. Sententiae. I^a SENT. est Cartesianorum et Ontologorum, qui contendunt a) infinitum non concipi dum concipitur ens finitum et adjicitur negatio, sed conceptum infiniti esse *totum positivum*; b) finiti vero conceptum obtineri dum concipitur infinitum et adjicitur negatio. Ex hoc inferunt Cartesiani innatam esse ideam infiniti; Ontologistae eam acquiri intuui Dei.

II^a SENT. est Scholasticorum, juxta quos a) notio finiti ut sic non praerequirit notionem infiniti; seu necessario *finitum non concipi* *conciendo infinitum* et negando infinitatem; b) *infinitum concipi* *negando finitatem* seu conciendo perfectionem aliquam (vel multitudinem) et explicite adjiciendo negationem ullius limitis qui afficeret ens conceptum; c) itaque conceptus infiniti est *partim negativus*, imo ratione negationis est distinctivus infiniti.

Praeterea habetur sententia Lockii asserentis conceptum infiniti dari per continuam additionem finiti ad finitum.

Thesis 21. Finitum concipi potest quin concipiatur infinitum. Contra infinitum formaliter sumptum concipiatur negando finitatem.

138. I^a PARS. PROB. Finitum est ens limite affectum. Atqui ens limite affectum concipi potest, quin concipiatur infinitum cui adjiciatur negatio. Ergo finitum concipi potest quin..., etc.

Prob. Min. Ut concipiatur ens limite affectum, sufficit ut in duobus entibus deprehensi fuerint duo gradus inaequales alieujus perfectionis: comparatione enim instituta, judicat intellectus alterum ens gaudere perfectione minore seu affici limite; ex his assurgit ad conceptum universalem entis limite affecti sive finiti ut sic. Ergo ens limite affectum concipi potest, quin concipiatur infinitum.

139. II^a PARS. *Infinitum formaliter sumptum concipiatur negando finitatem*, h. e. conciendo perfectionem aliquam et explicite adjiciendo negationem limitis.

Prob. Conceptus infiniti formaliter sumpti (v. g. perfectionis alieujus infinitae, ut sapientiae) talis esse debet ut ejus ratio objectiva nulli enti finito conveniat. Atqui ut ratio concepta de

nullo ente finito praedicari possit, requiritur ut explicite negatur finitas, h. e. ut notae positive conceptae adjiciatur negatio limitis. Ergo conceptus infiniti formaliter sumpti non habetur nisi explicite negando finitatem, seu perfectioni conceptae adjiciendo negationem limitis.

Prob. Min. Si in conceptu perfectionis non explicite negatur finitas seu limes, vel in conceptu explicite ponitur limes et finitas; vel explicite nec ponitur, nec excluditur. Atqui in neutro casu habetur ratio quae non possit praedicari de ente finito. Ergo.

Patet minor quia, si conceptus ponit limites, ejus ratio objectiva praedicatur de solis entibus finitis; si conceptus neque includit neque excludit limites, ejus ratio objectiva praedicari potest tum de ente finito, tum de infinito. Sic ratio sapientiae, justitiae, bonitatis, intellectus, substantiae, entis, praedicabilis est de ente finito et de infinito.

140. Coroll. 1. Conceptus rei finitae reduplicative sumptae est partim positivus, partim negativus; concipiatur enim entitas positiva, et negatur ulterior perfectio.

Coroll. 2. Infinitum a parte rei est maxime positivum; est enim entitas seu perfectio nullo limite affecta; conceptus vero infiniti est partim positivus, partim negativus; concipiatur enim perfectio et negatur aliquid deesse.

Coroll. 3. Deus, qui est primum principium in ordine ontologico, non est primum principium in ordine logico.

141. Scholion. *Notio infiniti non habetur per continuam additionem finiti ad finitum.*

Prob. Infinitum est illud quod limitibus essentialiter caret. Atqui ex additione finiti ad finitum non potest haberi id quod limitibus essentialiter caret. Patet quia sic tantum ulterius ponitur limes, inducitur major entitas finita, minor limitatio.

§ 3. De multitudine et magnitudine infinita.

142. Notiones. 1. *Multitudo* seu pluralitas habetur ubi habentur plura individua inter se divisa.

2. *Numerus* est multitudo numerata seu mensurata per

unum; habetur ubi plura individu *sub una collectione* comprehenduntur. — Dicitur formaliter et fundamentaliter : a) *Numerus* dicitur *formalis*, si multitudo reapse est mensurata per unum; b) dicitur *fundamentalis* prout est mensurabilis.

3. *Multitudo* generice sumpta est alia *permanens*, cuius nimirum individua simul existunt; alia *successiva*, cuius individua successive existunt. De utraque quaestio est.

Quae multitudo neque mensurata est neque mensurabilis est, non est *numerus*.

Quaestiones. Quaeritur utrum dari possit a) *numerus categorematicus infinitus*, sive *permanens*, sive *successivus*; b) *multitudo categorematica infinita*, quae tamen non sit *numerus*, seu quae non sit *mensurabilis*, seu cuius individua *sub una collectione* comprehendi nequeunt. — Insuper quaeritur c) de magnitudinis infinitae possibilitate.

DE NUMERO INFINITO.

Thesis 22. Repugnat *numerus categorematicus infinitus* existentium et possibilium, simultaneorum et successivorum.

143. PROB. I^m ARG. *Ex conceptu numeri uti augmenti est capax.* Illud non est categorematicus infinitus quo majus in eodem ordine haberi potest. Atqui quovis numero major in eodem ordine haberi potest, seu cuivis multitudini numeratae addi possunt individua. Ergo.

Prob. Min. Quivis *numerus* constat determinatis unitatibus. Atqui huic quod constat determinatis unitatibus addi possunt individua. Ergo.

II^m ARG. *Ex conceptu numeri ut decreimenti est capax.*

Si *numerus* actu infinitus haberi potest, saltem cogitatione quedam individua ab eo separari possunt; reliquum vero erit *numerus* vel infinitus actu vel finitus. Atqui quidquid dixeris, argumentabimur. Ergo.

Prob. 1^a pars Min. Si reliqua *multitudo* est infinita, datur in eodem ordine infinitum infinito majus, quod est inconveniens.

Prob. 2^a pars Min. Si reliqua *multitudo* est finita, per additionem finiti evadet infinita, quod iterum est inconveniens.

III^m ARG. *Ex variis absurdis* quae ex sententia opposita pululant, et apud cl. Pesch luculenter exponuntur (1).

1. Sit *multitudo infinita hominum* : « Detur porro singulis aureus unus et cogantur deinde omnes ut suum quisque aureum in unum conferant cumulum. Quo facto, poteruntne singuli ex illo cumulo decem aureos sibi arripere? Non poterunt, quia tot sunt aurei quot sunt homines. Et tamen poterunt, quia *numerus infinitus* exhausti non potest. »

2. « Sint duas lineae infinitae quae ex uno centro profectae in diversas abeant partes, angulo sexaginta graduum inter se sejunctae. Quae quo longius a centro protrahuntur, eo majore intervallo se jungentur. Itaque in partibus exterioribus inter se distabunt metris numero infinitis. Jam post unumquodque metrum ducatur linea transversalis. Prima unum metrum erit longa, secunda duo, tertia tria, et ita deinceps. Erit profecto una illarum transversalium finitarum ultima, post quam infinitae incipient. Prima autem infinitarum ultimam finitam uno tantum metro excedit, et nihilominus infinita est. »

DE MULTITUDINE INFINITA.

Thesis 23. Repugnat *multitudo categorematicus infinita existentium*, sive *simultanea* dicantur existere sive successive.

144. I^a PARS. *Repugnat multitudo actu infinita simultanea existentium.* — De *multitudine possibilium* mox dicetur.

PROB. I^m ARG. Repugnat *numerus categorematicus infinitus*. Atqui existentium *multitudo actu infinita* constitueret *numerum actu infinitum*. Ergo.

Prob. Min. Talis enim *multitudo* constaret rebus quae essent vel fuissent actu, actualitate non tantum extrinseca sed et intrinseca. Sed *multitudo* talium est *mensurabilis*, adeoque *numerus*. Ergo.

II^m ARG. Illa *multitudo* non est infinita quae *augmenti et decrementi* est *capax* in eodem ordine. Atqui quaevis *multitudo* existentium est *capax augmenti et decrementi* in eodem ordine. Ergo nulla existentium *multitudo* est infinita.

(1) *Inst. phil. nat.* L. 2. disp. 4. sect. 1. p. 457.

III^m ARG. Consequerentur eadem absurdia de quibus actum est. Sic. v. g. si actu haberi posset multitudo infinita, exhausta esset omnipotentia divina in hoc ordine, cum multitudo infinita augeri non possit in eodem ordine. Atqui hoc implicat. Ergo.

145. II^a PARS. *Repugnat multitudo actu infinita successive existentium.*

PROB. **I^m ARG.** Dari non potest multitudo infinita actu simultanea existentium. Atqui haec dari posset, si possibilis esset multitudo actu infinita successive existentium. Ergo.

Prob. Min. Deus efficere potuisse ut singula ex entibus quae successive extiterunt, permanissent in essendo, adeoque constituisserunt multitudinem simultaneę existentium. Ergo si una multitudo potest esse infinita, altera etiam potest.

II^m ARG. Circa successive existentia arguitur ut circa simultaneę existentia. Eo quod singula actu aliquando extiterunt, constituant multitudinem actualem. Haec autem finita esse non potest. Posito autem eam esse infinitam, cogitatione saltem quaedam individua ab ea separari possunt. Reliqua multitudo est aut finita aut infinita. Atqui quidquid dicatur, flunt inconvenientia. Ergo.

146. DICES : In tantum foret certum dari non posse multitudinem infinitam successive existentium, in quantum dari non possent duo infinita in eodem ordine, quorum unum foret altero majus. Atqui de ratione multitudinis infinitae non est ut in eodem ordine non possit haberi multitudo major; sive dari potest infinitum infinito majus. De ratione enim multitudinis simpliciter infinitae est non habere neque primum neque ultimum, de ratione multitudinis infinitae secundum quid est carere sive primo sive ultimo.

RESP. Conc. Maj. Neg. Min. Etenim a) infinitum convenienter definitur « id quo majus haberi nequit in eodem ordine. » Nam opponitur finito; finitum vero est id quod limitem habet; jam vero si haberetur multitudo major quam ea quae supponitur infinita, excessus majoris multitudinis esset limes respectu multitudinis minoris. Quomodo igitur haec esse potest infinita?

b) Eo quod datur multitudo major, ea quae est minor habet primum; Deus enim utramque multitudinem cernere potest,

easque inter se comparare; videt unam excedere alteram; sed ubi incipit excessus alterius, ibi incipit, sive initium habet, multitudo minor. Ergo definitio ab adversariis proposita incidit in definitionem quam impugnant.

147. Scholion. *De multitudine possibilium et de cognitione divina eorum quae sunt syncategorematicae infinita.*

Essentia divina, cum infinita sit, ad extra imitabilis est modis infinite diversis et proinde species diversae seu essentiae sunt infinite multae; cum insuper Dei potentia sit infinita, singularum specierum individua possibilia sunt infinite multa. — Repugnat tamen omnia possibilia collective ad existentiam traduci, siquidem secus haberetur multitudo existentium actu infinita, et exhaudiretur omnipotentia divina. Quare in ordine reali non existit nisi multitudo syncategorematicae infinita.

Datur adhuc aliud infinitum potentia. — Anima enim, quae exordium existentiae sumpsit, finem non est sumptura; hinc dies quos est victura, pariterque actus quos per aeternitatem est elicitura, sunt syncategorematicae infiniti.

Jamvero Deus ab aeterno contemplatur non tantum ea quae sunt et quae erunt, sed etiam videt singulas species possibles, singula individua possibilia, singulos dies quos anima vivet et quorum numerus nunquam actu erit completus. — Cum igitur sint objective praesentia intellectui divino, videntur sic constituere multitudines. — Circa illa sequentia dicere juvat:

1. Species possibles, uti intellectui divino substant, non constituent *numerum seu multitudinem numeratam*. Idem dicendum est de individuis possibilibus, de duratione animae, deque actibus ipsius. — Ratio est tum quia apta non sunt ut in unam collectionem congregentur; tum quia regugnat assignari collectionem ultra quam Deus alia individua creare non possit, vel ultra quam aliae species non sint possibles.

2. Constituant *multitudinem infinitam*, nam Deus ea cognoscit ut *multa* et ut *infinita*.

3. Utrum haec multitudo possibilium, etc., prout divino intellectui substet, dicenda sit *infinita categorematicae an syncategorematicae*, disputant auctores:

Alii affirmant eam esse *categorematicae infinitam*. Rationes

afferunt duas : a) omnia simul videntur; b) si omnia illa quae simul cognoscuntur, simul *essent in re*, essent *multitudo categorematica infinita*; sed eadem est infinitas in ordine ideali, quae est in ordine reali.

Alii vero negant, quia, ut ait Suarezius (1) : « Illa multitudo quamvis simul cognita, talem habitudinem habet ad suam existentiam, ut ex *intrinseca natura* petat non posse *exhaustiri cum finitum*; unde in sua *intrinseca ratione* includit hanc velut impotentialitatem, ut semper scilicet aliquid illius restat efficiendum. Et in hac potentialitate consistit ratio infiniti syncategorematici. »

CONCLUSIO. Nihil obstare videtur quin admittatur multitudinem possibilium, prout ad eam terminatur cognitio divina, esse *categorematica infinitam*; haec vero infinitas habetur non quidem actualitate *intrinseca*, h. e. infinitas multitudinis non exsurgit ex partibus actuatis, sed habetur actualitate *extrinseca* multitudini, seu exsurgit ex actualitate scientiae divinae.

DE MAGNITUDINE ACTU INFINITA.

Thesis 24. Repugnat magnitudo categorematica infinita.

148. PROB. I^m ARG. Illud non est categorematica infinitum, quod augmenti et decrementi est capax in eodem ordine. Atqui quaevis magnitudo seu moles in eodem ordine est capax augmenti et decrementi. Ergo.

Prob. Min. Eo modo qui supra propositus est.

II^m ARG. Ex absurdis. Si linea infinita daretur, a puncto determinato quaedam puncta finite distarent, quaedam infinite; et proin fieret in aliquo punto transitus a distantia finita ad infinitam. Atqui hoc dici nequit. Secus enim duo finita infinitum aequarent et illud exhaustirent. Ergo.

(1) In. 3. p. D. Th. d. 26. s. 4. n. 11-15.

ARTICULUS II.

DE NECESSARIO ET DE CONTINGENTE.

149. Contingens. Varie potest describi : a) id cuius essentia per se indifferens est ad existendum vel non; b) id quod potest existere et non existere; c) id quod non in se sed in alio habet rationem sufficientem adaequatam cur sit. — *Necessarium supra est explicatum.* n. 16.

Quaestio. Quaeritur quisnam ordo detur inter contingens et necessarium. Afferunt Ontologistae et Cartesiani necessarium prius concipi; id negant scholastici.

Thesis 25. In ordine logico contingens necessario prius est; in ordine vero ontologico necessarium contingenti prius est.

150. I^a PARS. PROB. Illud est altero prius in ordine logico quod prius cognoscitur et deducit in cognitionem alterius. Atqui contingens prius cognoscitur quam necessarium et in istius cognitionem deducit. Ergo.

Prob. Min. Creatu prius cognoscuntur et manuducunt in cognitionem Dei, uti ostenditur in Theodicea. Atqui res creatae sunt contingentes, imo ratione contingentiae mentem in cognitionem Dei ducunt; solus vero Deus est necessarius. Ergo.

151. II^a PARS. PROB. Contingens non habet in se rationem sufficientem suae existentiae; ergo hanc rationem habet in altero circa quod reddit quaestio. Cum abiri non possit in infinitum in serie causarum per se subordinatarum, deveniendum est ad ens necessarium, quod sit ratio sufficiens entis contingentis (Cfr. Theol. nat.).

ARTICULUS III.

DE ORDINE.

152. Definitio. Vi conceptus vulgaris, ut res dicantur habere ordinem, duo requiruntur : a) ut relationem habeant sive inter se, sive ad aliud : sic varii libri quibus bibliotheca constat,

relationem inter se habent ratione aequalitatis inaequalitatisque, in ratione magnitudinis, antiquitatis; sic omnis homo eam habet ad Deum relationem ut omnes actiones suas ad eum debeat referre. — b) Ut res actionesque disponantur modo consentaneo his relationibus. — Quare rite definitur ordo : *apta dispositio plurium in unum*.

OBSERVA. Ordo a S. Augustino definitur : parium dispariumque rerum sua cuique loca tribuens dispositio. — Etiam definitur : plurium dispositio secundum aliquam eorum relationem. — Unitas in multitudine et varietate.

153. *Divisio ordinis.* Diversae divisiones tradi possunt : a) ratione *materiae ordinis*; b) ratione *formae seu ordinationis plurium*; c) ratione *unitus ad quod plura ordinantur, seu ratione finis in quem ordinantur*. — Tot enim diversi ordines esse possunt quot haberi possunt fines. Finis vero potest esse adaequate distinctus ab ordinatis, vel inadaequate distinctus; potest esse efficiendus vel consequendus; rursus potest haberi finis proximus ordinatorum, intermedius et ultimus; possunt haberi fines coordinati et subordinati. — De finibus ordinibusque ordinatis et subordinatis potissimum tractant tum Cosmologia, tum Theodicea ubi demonstratur existentia Dei ex ordine mundi. Quare a pluribus circa haec dicendis abstinemus.

Rursus ordines dividi possunt ratione relationum quae inter plura videntur, et fundamenti relationum; hinc datur ordo rationis et ordo realis, ordo similitudinis, aequalitatis, et dependentiae, ordo essentialis et accidentalis.

Brevitatis causa praetermittimus has divisiones, ut nonnisi ordines magis consuetos describamus.

1. Ordo est *simplex vel compositus* prout res ordinatae relatione una vel multiplici inter se devinciuntur.

2. Ordo est *staticus vel dynamicus* prout res ipsae vel operationes ad aliquid ordinantur.

3. Ordo est *essentialis et immutabilis vel mutabilis et artificialis*, prout relationes ex rerum essentiis emergunt (qualis est ordo moralis), vel earum existentia aliquatenus a libera voluntate determinatur (quales sunt multi ordines sociales).

4. Ordo realis est : a) vel *symmetricus*, si res disponuntur

secundum relationem aequalitatis vel inaequalitatis : talis ordo exsurgit ex libris bibliothecae secundum magnitudinem dispositis ; — b) vel *harmonicus*, si res disponuntur secundum similitudinem vel dissimilitudinem ; — c) vel *finalis*, si disponuntur ut per operationes finis aliquis obtineatur.

154. Principia de ordine. Ordine possunt instrui res intellec-tuales, morales, corporeae. Patet solum ens intelligens esse causam ordinis in actibus cognitionis et moribus.

Quoad res physicas : 1. *Solum ens intelligens est causa per se* : a) ordinis essentialis rebus seu ordinis qui exsurgit ex rerum essentiis ; b) ordinis accidentalis, h. e. ordinis qui in rebus essentialiter iisdem manentibus potuisse non haberi, qualis habetur inter varia corpora mundi.

2. *Per accidens tantum ens non intelligens potest esse causa alicujus ordinis.* — At impossibile est, saltem moraliter, ut sine intelligentia existat ordo qui ex pluribus elementis constet, vel qui sit perdurans. — Cujusnam ordinis ens non intelligens absolute causa esse non possit, neque per se neque per accidens, examinatur in Theodicea, eo loco quo ex ordine mundo demonstratur existere ens a se intelligens.

ARTICULUS IV.

155. A. PULCHRUM, vi conceptus vulgaris, non dicitur nisi id quod placet, in cuius contemplatione animus quiescit. Pulchrum habetur in rebus naturalibus, et in artefactis.

1. *In naturalibus* invenitur : a) *In sensibilibus*, h. e. in rebus quae per sensus apprehenduntur : sic totus mundus aspectabilis dicitur pulcher; pariter animalia dicuntur pulchra ratione coloris, cantus, statura, molis; pariter plantae, mineralia; imo ruina aliqua dicitur pulchra. — b) *In suprasensibilibus sen spiritualibus* : sic Deus, angeli, animae, virtus, scientia, praeclare gesta, dicuntur pulchra.

2. *Inter artefacta*, pulchra dicuntur a) ea quae imitantur res

pulchras ordinis naturae : sic habetur pulchrum in re litterarum, in re musicae, in pictura; b) ea quae coordinant res naturales : sic habetur pulchrum aedificium, etc.

B. *Gustus* est qualitas qua de pulchro judicatur. Gustus est pravus vel rectus, prout recte judicatur vel secus.

C. *AESTHETICUS* est ars tradens regulas pulchri, h. e. normas per quas de pulchro est judicandum, et quibus artefacta conformia sint oportet ut pulchra sint. Hae regulae se extendunt ad litteras, ad picturam, ad musicam, ad architecturam, etc.

Quaestiones. De pulchro quaeruntur duo : a) **NUM PULCHRUM SIT OBJECTIVUM.** Cujus quaestio sensus est : Utrum *res ipsae ex natura sua* ad complacentiam moveant; an haec complacentia sit *pure subjectiva, arbitraria, ex educatione, ex consuetudine aut ex praejudicio orta.* — b) Quomodo pulchrum definitur.

Assertum. PULCHRUM EST OBJECTIVUM.

156. PROB. 1. Multae res ex suapte natura natae sunt complacentiam in animo gignere. Sic aedificium, pro varietate aptaque partium dispositione, colore, mole, etc., hanc complacentiam determinare valet; pariter determinatur colorum dispositione et varietate in tabella picta, dispositione membrorum corporis humani, variis sonis concentus musici, etc.

2. Ex consensu hominum qui se prodit : a) eo quod exstant certae leges aestheticae; b) quod si quibus placet id quod ceteris displicet, dicuntur habere gustum depravatum; c) quod multi artifices ob opera sua sibi promittunt aeternam famam.

157. DEFINITIO ESSENTIALIS PULCHRI.

Ut definitio essentialis pulchri condatur, imprimis investiganda sunt quaenam, omnium consensu, dicantur pulchra; quo stabilito, vel descenditur ab ente donec deveniatur ad complexum notarum qui omni et soli pulchro conveniat, vel inspicitur id quod est commune omni pulchro et ob quod singula dicuntur pulchra. Igitur quae definitio pulchri non conveniret um ex iis quae, omnibus consentientibus, pulchra sunt dicenda, haec, utpote non omni definitio conveniens, tanquam falsa erit rejicienda. — Superius enumerata sunt varia quae vocantur pulchra.

Sententiae. Duplex potissimum traditur pulchri definitio :

158. I^a est S. Aug. Pulchrum definitur : *Splendor ordinis.*

Contra illam definitionem fortassis haud immerito sequens movetur objectio : Illa definitio pulchri est prava quae non convenit naturae divinae, siquidem Deus omnium consensu dicitur formaliter pulcher, haud secus ac dicitur justus, clemens, sapiens. Atqui splendor ordinis non convenit naturae divinae. Ergo. — *Prob. Min.* Nulla perfectio mixta convenit Deo; atqui splendor ordinis, de natura praedicatus, est perfectio mixta. Ergo. — *Prob. Min.* Splendor ordinis exsurgit vel ex eo quod res pulchra habet partes inter quas exstat ordo cui inest splendor, vel ex eo quod haec res ordinatur ad aliud ordinatione splendida; atqui utrumque est perfectio mixta.

159. Dices. 1. In divina natura tres subsistunt personae inter quas ineffabilis exstat ordo. Ergo definitio pulchri a S. Augustino tradita Deo convenit.

RESP. Non sola revelatione notum nobis est Deum esse pulchrum; onde recta non est definitio pulchri quae Deo non convenit, nisi uti revelatione cognoscitur esse trinus personis.

DICES. 2. Deus est causa efficiens, exemplar, fundamentum omnium earum rerum in quibus habetur splendor ordinis. Ergo de Deo praedicari potest definitio, « *splendor ordinis.* »

RESP. *Conc. Ant. Dist. Cons.* Ergo splendor ordinis convenit Deo formaliter-eminenter, *Neg.*, *causaliter, fundamentaliter, exemplariter, Conc.* Jamvero oportet ut ipsa definitio formaliter sumpta conveniat Deo, licet res definita excellentius Deo insit. Quo enim modo Deus praedicatur formaliter unus, verus, bonus, eodem modo dicitur esse pulcher.

160. II^a definitio est Platonis : Pulchrum est *Splendor veri.* Per verum intelligitur tum summa veritas, sive Deus, tum imitatio essentiae divinae, quae primario vera dicitur ob perfectam sui conformitatem cum idea archetypa Dei. Talis imitatio dicitur pulchra si splendor aliquis haud ei deest. — Si res creata est composita, splendor veri habebitur in ea, si inter partes ejus habetur ordo cui insit splendor.

Patet definitionem Platonis optime Deo convenire; videtur etiam convenire omni definito creato. S. Augustinus non tradit notionem pulchri communem omnibus absolute individuis pulchris, sed videtur coarctanda ejus definitio ad pulchrum creatum aut ad solum pulchrum corporeum.

COSMOLOGIA.

PRAENOTIONES.

1. Definatio. Cosmologia (κόσμος τοῦ κόσμου), seu philosophia naturalis, est *scientia metaphysica corporum universim inspectorum*. — Objectum igitur materiale Cosmologiae sunt omnia corpora, non prout ad hanc vel illam speciem pertinent, sed prouti sub universo corporum genere concluduntur. — Objectum autem formale non sunt causae (intrinsecæ et extrinsecæ) proximæ singulisque speciebus propriae, sed causæ ultimæ rationesque altissimæ, propriae quidem generi corporeo, communes vero omnibus corporum speciebus. Quæ causæ cum experientiae non sint subjectæ, sed soli rationi sese manifestent, ideo Cosmologia est pars metaphysicae specialis.

Partitio. Cosmologia dividetur in duas partes : Prior aget de corporibus *singillatim*, seu absolute inspectis. — Posterior de corporibus *complexive sumptis*, sive de mundo.

2. Habitudo Cosmologiae ad scientias physicas. Non sola Cosmologia, sed adhuc scientiae physicae versantur circa corpora, quibus mundus visibilis constat. Porro scientiae physicae sensibiles proprietates omnibus corporibus communes considerant; leges physicas, quibus phænomena regantur, condunt; earum legum relationes mutuas examinant; alias leges aliis annexunt; denique eas ad unitatem quamdam scientificam redigunt. Sic, ut alias disciplinas taceamus, *physica* perpendit vires non alterativas corporum, seu examinat quibus diversis rationibus unum corpus in aliud agat citra hujusc alterationem; *chemia* vero alterativas corporum viribus studet, examinat nempe quomodo alia corpora aliis alterentur. — Cosmologia vero pro objecto habet ea quae limites experientiae sensibilis excedunt.

Inde perspicuum fit quaenam habitudo Cosmologiam inter scientiasque physicas intercedat. In praesenti enim humani

generis conditione, altissimæ rerum rationes, potissimum autem causæ intrinsecæ rerum, non cognoscuntur perfecte, neque intuitive, neque immediate; sed corpora, quoad essentiam suam, dumtaxat cognoscuntur imperfecte, mediate et abstractive. Intellectui enim se manifestant tum uti sunt substantiae, h. e. uti substantia phænomenis multiplicibus per sensus apprehensionis; tum uti sunt causæ variorum effectum per sensus deprehensorum. Ex indole vero horum phænomenorum horumque effectum dijudicandum est, ad quamnam subdivisionem praedicamenti substantiae corpora pertineant; utrum nempe corpus sit aggregatum substantiarum an substantia una, utrum haec substantia una sit simplex an composita, utrum secundum essentiam sit composita ex partibus quantitatibus an ex parte determinabili et ex parte determinante. Jamvero haec phænomena hosque effectus observandi et coordinandi provincia, jam a Wolfi tempore (1679-1754), a philosophia est disrupta et scientiis physicis demandata. Quæ igitur his scientiis certa et inconcussa esse comprobantur, quæque probabilia tantummodo, ea philosophia accipit, his notiones principiaque Ontologiae applicat, ex his eruit essentias proprietatesque corporum.

Epilogus. Iisdem vero experimentis physicis effluerunt diversa de corporum essentiis systemata philosophica, inter quae postremis hisce temporibus grandis exorta est pugna. In quo conflictu, scholasticorum, imprimisque horum principis, Divi Thomae Aquinatis, vestigiis inhaerentes, dogmata scholæ peripateticae dilucide exponere, tueri atque pro virili parte nostra propugnare, constanter cordi habuimus. Verum in his disciplinis exponendis et discentiendis experti sane fuimus, in re ardua atque obscura, quam Deus tradidit disputationi hominum (Eccles. III, 11), interdum non certitudinem, sed majorem tantum probabilitatem colligi posse. Quare doctrinam adversam ea, quam parem esse ducimus, reverentia prosecuti libenter fuimus, obscuritatum haud ignari, quibus materia investiganda laborat. Demonstrasse tamen confidimus sententiam scholasticorum ceteris systematibus de corporum natura et proprietatibus, gradu probabilitatis longe anteire.

COSMOLOGIAE PARS PRIOR.

DE CORPORIBUS SINGULATIM.

3. Partitio. Cum quaevis scientia examinet causas intrinsecas extrinsecasque objecti sui, Cosmologia perpendit utrasque causas ultimas corporis universim inspecti, et ea quae ad has causas consequuntur. Quae tamen de ultima causa efficiente dicenda sunt, ad partem posteriorem remittuntur. Pariter quaenam sit corporis ultima causa finalis, in eadem parte perpendetur. In praesenti vero examinabitur quo modo singula corpora in finem agantur.

Prior pars Cosmologiae complectetur quatuor capita :

Caput I^m tractabit de essentia, seu de constitutione corporum.

Caput II^m de his quae ad essentiam *necessario* sequuntur.

Caput III^m de his quae *contingenter* ad eam consequuntur.

Caput IV^m de finalitate corporum.

CAPUT I.

DE ESSENTIA CORPORUM.

Partitio. — Primum hoc caput, ubi inquiritur quaenam sit constitutio corporis, dividetur in tres articulos :

Art. I. Tradetur status controversiae. Quare, praestitutis controversiae fundamentis, variae sententiae de corporum constitutione enarrabuntur.

Art. II. Institutetur crisis atomismi et dynamismi.

Art. III. Stabilietur sistema peripateticum.

ARTICULUS I.

STATUS CONTROVERSIAE.

§ 1. *Fundamenta controversiae.*

4. Essentia corporis intelligitur id quod concipitur esse primum in corpore, seu tale ut rationem sui in alio intrinseco praevio non habeat, ipsum vero sit ratio ultima, radix, fons ceterorum quae per modum proprietatum aut accidentium, conveniunt corpori. (Cfr. *Ont.* n. 9 et sq.). Investigatio hujusce essentiae praesupponit corpora esse nota, tum secundum ea quae sine scientifica inquisitione cognosci possunt, tum secundum hypotheses quae disciplinis physicis stabiluntur et a philosophia, utpote a scientiis subalternantibus probatae, assumuntur. Igitur ab horum expositione tanquam a fundamento est exoriendum.

Descriptio corporis. 1. Corpus est id quod a) *visu* simul et *tactu* apprehenditur uti figura et magnitudine insignitum, spatio immersum, in eo sive quiescens sive motum; quod speciatim b) *tactui* appareat ut durum, grave, calidum calore tum conductibili tum radiante, affectum electricitate et magnetismo; c) *visui*, uti lucidum coloribusque subjectum; d) *auditui* uti sonorum; e) *olfactui*, uti odoratum; f) tandem *gustui*, uti sapidum vel insipidum.

2. Corpus instruitur diversis potentias activis et passivis, h. e. diversimodo agit in alia corpora, horumque patitur influxum; hae potentiae dividuntur in physicas, chemicas, mechanicas. Etenim unum corpus natum est : a) alterare et corrumpere aliud corpus, ab aliis alterari et corrumpi, sequentem iis combinare; hae vires dicuntur *chemicae*; b) modificare alia corpora et ab his modificari, citra substantialem corruptionem; sic afficitur calore, electricitate, magnetismo, etc.; hae vires dicuntur *physicae*; c) attrahere et repellere aliud corpus; hae vires dicuntur *mechanicae*.

3. Corpora autem sic generatim descripta, a) alia sunt viven-

tia seu organica; alia anorganica et constituentia regnum minerales; b) *alia sunt artificialia, h. e. coalescentia arte vel casu; alia naturalia, h. e. producta agentibus naturalibus, secundum leges suas constantes operantibus.*

5. Hypothesis Chemicorum. 1. Duplex fit circa corpora operatio chemica : analysis nimirum et synthesis.

Analysis. Corpora in partes suas resolvuntur; hae partes plerumque resolvuntur in partes simpliciores; per successivas resolutiones pervenitur ad partes tales, ut ulterior resolutio, saltem per media cognita, jam fieri nequeat. Talia autem elementa vocantur *chemice simplicia*. A peripateticis vocabantur *minima elementaria, principia prima, elementa*; dicebantur *ingenerabilia et incorruptibilia*. A Philosopho definiuntur : « quae nec ex alterutris (h. e. ex partibus sive homogeneis sive heterogeneis), nec ex aliis (h. e. ex partibus heterogeneis), sed ex quibus omnia corpora sunt. » — Hucusque detecta sunt septuaginta corpora chemice simplicia, quae inter se efficiunt progressionem per differentiam, et videntur esse multipla integra alicujus substantiae elementaris. Antiquitus existimabatur esse quatuor elementa, e quibus exsurgant corpora chemice composita, nempe ignem, aerem, aquam et humum.

Synthesis. Ut corpus compositum in simpliciora resolvitur; sic etiam simpliciora ita inter se combinari valent, ut novum corpus diversae naturae efformetur. Sic oxygenium cum hydrogenio efficit aquam, cui novae sunt vires, quae proin est diversae naturae.

Attamen non omnia corpora inter se combinationem ineunt, neque eodem impetu in omnes combinationes, ad quas apta sunt, ruunt; instruitur enim corpus inclinatione quadam, ut cum determinatis corporibus, determinatoque impetu se combinet, quae inclinatio vocatur corporis *affinitas*. Affinitas autem unius corporis erga aliud corpus potest esse talis, ut cum eo variis modis se combinare valeat, ita ut ex diversis combinationibus resultant corpora diversarum naturarum.

Per inductionem detectae sunt variae leges quibus syntheses corporum reguntur et quae habitudinem elementorum ad corpora ista enuntiant. Has videre est apud auctores Chemiae.

2. Ut ratio reddatur harum legum, sequens hypothesis a chemicis proposita fuit : a) *corpora constant moleculis*; b) *corpora chemice simplicia constant atomis*, h. e. corpusculis per media naturalia insecabilibus; c) *singulis atomis ejusdem corporis chemice simplicis, idem est pondus*; alius autem corporis aliud est pondus atomicum (1); d) quando combinatio initur inter duo corpora chemice simplicia, *una vel plures atomi unius corporis se combinant cum una vel pluribus atomis alterius corporis*.

3. Certitudo legum chemicarum indubia est. Ipsa hypothesis, ad explicandas has leges proposita, vix non est certa, cum revera non videatur quomodo, hac rejecta, leges chemicae explicari possint. At in illa hypothesi nihil reperitur quod scholasticorum placitis ullo pacto aduersetur.

His enim tamquam indubiis admissis, duo querenda supersunt : a) quomodo moleculae uniantur inter se ad efformandum corpus quod sit unum. — b) Quomodo atomi uniantur inter se ut efforment moleculam quae sit una. — Primam quaestionem solvet *Physica*. Examen alterius pertinet ad *Metaphysicam*.

6. Hypothesis Physiorum. A. Ex sequentibus efflorescit :

1. Experimentis physicis constat corpus anorganicum, quod sensibus attingitur, esse *unum per accidens*, h. e. *aggregatum molecularum quarum unaquaque in esse suo proprio et formali permanet; unitatem autem et cohaesionem corporis beneficio actionis obtineri quam quaelibet molecula in vicinas exercet*.

2. Duas vires cuique moleculae insidere, attractivam nimium et repulsivam, multis physicis visum est.

a) *Vi attractiva*, quaeque molecula ad se trahit eas moleculas,

(1) Inspectis ponderibus secundum quae duo corpora chemice simplicia se combinant, inspectis voluminibus horum corporum gazeorum, inspecto denique calore specifico, detecta sunt pondera relativa atomorum corporum chemice simplicium inter se. Sic inventum est unum gramma hydrogenii includi volumine duplo majore quam 8 grammata oxygenii, et comprehendere atomos numero duplo plures quam 8 gr. oxygenii, ita ut compositione aquae sit H_2O , et ut densitas oxyg. sit 16, hydrog. 1.

quae intra certos limites, eosque angustissimos, a se distant. Intra quos limites actio attractiva hac lege regitur, ut molecula eo majore impetu attrahat : a) quo major est ejus moles; b) quo minus a se distat molecula attracta.

b) *Vi repulsiva* quaeque molecula a se repellit eas moleculas quae, attractae cum fuerint, ad certam a se, eamque perquam angustum, pervenerunt distantiam. Hac lege regitur repulsio, ut molecula eo majore nisi repellat, quo minus a se distat molecula repulsa.

3. Moleculae quibus insitae sunt istae vires, aliis etiam viribus pollent, quibus nimirum phaenomena gravitatis, soni, caloris conductibilis producantur, ut dicetur capite tertio

4. Cum materia ponderabilis explicare non possit plura phaenomena, potissimum lucis, caloris radiantis, electricitatis, magnetismi, admittenda multis physicis videtur existentia materiae imponderabilis seu aetheris, cui molecula ponderabilis sit immersa et quae horum phaenomenorum sit principium. Hujus autem materiae existentia admissa, primum est admittere vires attractivas residere penes moleculas ponderabiles, vires repulsivas penes materiam imponderabilem.

B. Ex praefactis multi physici concludunt sequentia :

1. Moleculae ponderabiles corporum immerguntur in aethere.

2. Molecula attrahit aetherem; aether aetherem repellit. (Urum elementum ponderabile attrahat tantum elementa imponderabilia, an etiam attrahat elementa ponderabilia vicina, controvertitur inter physicos).

3. Beneficio vis repulsivae, contingit ut elementa attracta non coeant in unum, sive non compenetrentur; beneficio autem vis attractivae, habetur quod moleculae non dissipentur per spatium. Igitur beneficio utriusque exsurgit corpus mole donatum, unum per accidens, aggregatum moleculararum.

4. Pro diversitate attractionis et repulsionis, triplex obtinet corpori status, solidus nimirum, liquidus, gazeiformis.

5. Ratione elementi ponderabilis, substantia corporea est gravida, sonora, calida calore conductibili; ratione elementi imponderabilis, substantia est lucida, etc.

Negari hand posse videtur corpus, quod sensibus pro

mole sua apprehenditur, esse aggregatum molecularum in esse suo proprio permanentium. — Id autem nullatenus doctrinae peripateticorum officit : duplex enim restat circa intimam corporis constitutionem solvenda quaestio, cuius examen limites scientiarum physicarum praetergreditur :

a) *Prima* est utrum omnes moleculae, quibus componitur corpus, sint *inter se perfecte contiguae*, nullo unquam vacuo habito; an sint *perfecte discrete*, ita ut singulae vacuo innarent; an denique *contiguitas imperfecta* sufficiat, talis nimirum ut numquam adesse debeat actio immediata in distans unius moleculae in alteram. — Ex argumentis theseos primae elucescit merito rejici perfectam discretionem. — Utrum inter moleculas materiae ponderabilis, ita ubique intercedat materia imponderabilis, ut nullum unquam sit vacuum, controvertitur inter ipsos philosophos.

b) *Secunda* quaestio est quaenam sit *natura seu essentia atomorum* quibus constat molecula : utrum videlicet in esse suo formaliter proprio perseverent, ita ut molecula sit aggregatum atomorum; an intrinsecus se uniant, alteram alteri se communicando, ita ut exurgat nova substantia constans ex duplice parte physica.

In enijs quaestionis solutione, praeter facta chemica et physica, consideranda sunt facta ordinis teleologici.

7. Facta ordinis teleologici. 1. Corpora composita in elementa perpetuo resolvuntur; ex elementis iterum generantur eadem corpora composita, iisdem proprietatibus instructa. *In continuo hoc motu corporum regni mineralis, eadem species perseverant, iudicem typi specifici, idem status aequilibrii.* — Haec autem perseverantia, ut postea agendo de causis formalibus et finalibus demonstrabitur, habetur non eo quod Deus positivo influxu singula elementa extrinsecus movet ad efformandos determinatos typos, eo ferme modo quo sagittarius movet sagittam; neque quod primitus eam praestabilivit harmoniam, ut motu mechanico alia elementa alia ad hoc dirigant, uti Platoniceis et Mallebranchio placuit; sed eo quod Deus corpori indidit hanc inclinationem, ut determinatum typum acquirant, hunc typum acquisitum conservent, amissumque recuperent;

qua inclinatione fit, ut constans sit et uniformis modus operandi omnium corporum ejusdem speciei.

2. Haec inclinatio omnibus rebus insita, in corporibus *organicis* potissimum reperitur; singula enim organa, sive plantae sive animalis, tendunt in bonum totius plantae et animalis, et in bonum speciei.

S 2. Exponuntur diversae de corporum essentia sententiae.

8. Atomismus et Dynamismus. 1. Dogma commune est, *in moleculis atomos permanere secundum esse suum proprium et formale*. — Plerique insuper admittunt *atomos et ipsas esse aggregata elementorum se simpliciorum*; haec autem *elementa primigenia esse ejusdem essentiae*. Quidam tamen negant atomos esse aggregata diversorum elementorum. Inter quos Tongiorgi.

2. Ex hac sententia tanquam corollaria fluunt sequentia :
a) Diversae atomi, nempe diversa corpora chemice simplicia, inter se differunt tantum : *a) numero substantiarum elementarum quibus coalescunt; b) dispositione et ordine earumdem inter se; denique c) motibus vel vi singulorum corpusculorum atomi, e quibus motibus et vi resultat motus et vis cuique atomo propria*.

b) Per analyses synthesesque chemicas, atque per operationes naturales corporum, *nec generantur nec corrumpuntur substancialiae*; sed atomi in esse suo perseverantes, modo has, modo illas attrahunt vel repellunt atomos, et sic diversa cum iis constituant aggregata.

Atomistae et Dynamistae in sententias contrarias distracti hunc circa essentiam *elementorum primigeniorum*.

9. Dynamismus purus. A. Sequens est dogma fundamentale : *Atomi constant elementis non extensis sed simplicibus, quorum essentia tota reponitur in eo quod sint vires*.

B. Ulterius solvi debent hae quaestiones : a) Utrum vires sint *substancialiae*, an secus. Plerique dynamistae nomen *substancialiae* omittunt; admittunt tamen, paucis id negantibus, vires simplices esse *substancialias*. — b) Utrum elementa omnia sint

inter se *similia et unius speciei*, an *dissimilia et plurium specierum*. — c) Utrum elementis conveniat *vis una, an multiplex*.

d) Utrum elementa *agant immediate in distans, an secus*.

1. Juxta Dynamistas hodiernos (1), duae sunt species elementorum *simplicium*, e quibus constant atomi : a) Alia ex essentia sua sunt *vires attractivae*, constituantque *materiam ponderabilem*, occupant sphaeram activitatis, ita ut actionem attractivam exerceant in elementa quae sphaeram suam sint ingressa. Nil obstat quin dicatur omnia elementa ponderabilia esse inter se similia. b) Alia ex essentia sua sunt *vires repulsivae*, constituantque *materiam imponderabilem*; occupant et ipsa sphaeram activitatis suae. — Utriusque speciei elementa sunt *sphaerica*, et inter elementa diversarum specierum semper exercetur *attractio*. Cum sphaera activitatis extensa sit atque divisibilis, ideo elementa vocari solent *puncta inflata*.

2. Juxta eosdem autores sequenti modo oriuntur atomi diversarum specierum, diversae moleculae, diversa corpora :
a) In singulis atomis chemicis habetur *elementum simplex mate-*

(1) Juxta Leibnitzium (1646-1716), qui merito dynamismi parens habetur, *monades* (sic enim vocat elementa simplicia) *inter se sunt dissimiles*. Omnibus autem monadibus praeter alias vires inest *vis appetendi et percipiendi*; insuper ab aeterno existunt; sola annihilatione ab essendo deficere possunt; nulla vi creata, sed sola harmonia a Deo praestabilita, mutantur.

Juxta Kantium (1724-1804) et Boscovichium S. J. (1750), *elementa simplicia omnia sunt ejusdem speciei et propter iisdem instructa sunt eiribus*. Inter se differunt circa tertiam quaestionem. Etenim :

a) Juxta Boscovichium, singulis competit *vis una*, quae est *tum repulsiva, tum attractive*; haec enim unica vis elementa vicina ad se trahit usque ad certam distantiam, et quidem eo majori aviditate quo a se sunt remotiora; elementa autem sic attracta impedit ne proprius accedant. — Germani transcendentes, ut Schelling, Schopenhauer, De Hartmann, consentiunt Boscovichio.

b) Juxta Kantium, singulis elementis insidet *vis duplex. altera attractiva, altera repulsiva*; in combinationibus chemicis, se mutuo compenetrant vires eorum quae combinantur.

riae ponderabilis, seu vis attractiva; haec autem circumornatur variis elementis simplicibus aethereis, quae inter se varias figuras polyedrias efformant. Pro diverso numero atomorum et diversa figura, oritur vis diversa quae resultantia vocatur; haec autem resultantia est nota specifica diversarum atomorum.
— b) Una atomus attrahit unam vel plures alias atomos, quibuscum efficit moleculam. Ex viribus atomorum temperatis oritur resultantia, quae est diversa pro diversitate atomorum componentium moleculam; resultantia constituit speciem moleculae.
— c) Una molecula attrahit aliam moleculam, mediante aethere interjacente; hisce attractionibus exsurgit corpus unum.

3. Circa quaestionem utrum elementa agant immediate in distans, dantur duae sententiae:

Juxta plerosque inter varia elementa primigenia, quae constiunt atomum chemicam, pariter inter varias moleculas habetur vacuum; singula elementa actionem attractivam vel repulsivam in cetera exercent, non quidem ea tangendo, sed trans istud vacuum, et proin in distans.

Juxta cl. Palmieri elementum quodvis est simplex formaliter (h. e. secundum entitatem suam), extensum virtualiter (h. e. aequivalenter et secundum virtutem); ita enim occupat sphaeram, ut per simplicem suam entitatem sit praesens in tota sphaera et in singulis partibus.

10. Atomismus purus (1). A. Illud est caput primarium istius systematis: *Atomī constant corpusculis, tanquam ultimis et*

(1) Atomismus purus etiam vocatur: a) *atomismus mechanicus*, propterea quod atomi, per solum motum extrinsecus acceptum, agunt; b) *philosophia corpuscularis, sistema corpusculare*.

Atomismo puro nomen dederunt: a) inter Graecos, Leucippus, Democritus (469-370), Epicurus (342-271); b) inter Latinos, Lucretius (99-55); c) inter modernos Gassendi, universitatis Parisiensis doctor (1655), Baco a Verulamis (1214-1294), Cartesius (1596-1650); d) nostri temporibus atomismum instauravit Secchi S. J.

OBSERVA. Cartesius a ceteris atomistis dissentit, eo quod admittit atomos esse in infinitum divisibiles, et proin eas non constare elementis ultimis et absolute insecabilibus.

primigeniis elementis. De quibus elementis sequentia affirmant Atomistae: a) *Essentia horum corpusculorum sita est in sola extensione*. b) *Eorum proprietates, ad essentiam consequentes, sunt mobilitas et impenetrabilitas*. Corpuscula enim diversas spatii partes successive occupare possunt adeoque sunt mobilia; partem autem quamlibet spatii sic occupant, ut nullum in hac parte occupata sit vacuum; quapropter sunt impenetrabilia. c) *Eorumdem corpusculorum vis agendi est mere mechanica et accidentalis, seu in solo motu locali recepto et transmissio reponitur*. d) *Corpuscula elementaria, eo quod sunt elementa ultima atomorum, sunt absolute insecabilia*. e) *Atomi differunt inter se figura et magnitudine*.

B. Sequenti modo explicant diversitatem specificam atomorum et molecularium, unitatemque corporum: a) Primitus a Deo inditus est elementis motus quidam; multiplici modo, per diversam collisionem variorum elementorum, in diversas atomos elementa coierunt. Cuique atomo inditus est motus, qui est resultantia motuum elementorum. Diversitas motus est idem ac diversitas affinitatis. b) Affinitates diversae atomorum originem praebuerunt moleculis diversis, quarum motus est resultantia motuum atomorum. Hic autem motus molecularis constituit attractionem molecularem. In eodem motu reponuntur vires attractionis universalis, electricitatis, magnetismi. c) E moleculis, spatiolis vacuis relictis, exsurgunt corpora; moleculae enim aliae attrahunt.

11. Atomismus-dynamismus seu chemicus. Atomistae-dynamistae alti affirmant, aliij negant atomos esse aggregata elementorum. Juxta utrosque, *essentia elementorum primigeniorum, vel atomorum, est simul extensio et vis*. Hae non realiter sed ratione dumtaxat inter se sunt distinctae. Non convenient inter se quaenam vires atomis sint essentiales: a) *Juxta alios, sola vis resistendi est essentialis: sic Tongiorgi*. b) *Juxta alios, insuper vis attractiva et repulsiva corpusculis convenit: sic Newton, inter recentes H. Martin*.

Diversa est atomorum affinitas; diversa haec affinitas originem praebet diversis moleculis; per attractionem molecularum oriuntur corpora.

12. *Systema Peripateticum.* Prius exponemus ea quae citra controversiam ab omnibus scholasticis admittuntur. — Deinde trademus duplicem modum quo dogmata communia explicantur.

Systema exponendum, quoad essentialia sua, Aristotelem Stagiritam (388-322) praecipuum parentem agnoscit; scholastici medii aevi communi suffragio istud comprobaverunt; hortante SS. DD. Leone P. XIII, hodieum nova incrementa sumpsit, multique in variis regionibus, in servando illud sistema immune ab omni contradictione cum placitis physicis modernae, ceterarumque scientiarum naturalium, non infelice posuerunt laborem.

A. DOGMATA COMMUNIA OMNIBUS SCHOLASTICIS. Alia spectant constitutionem moleculae, alia indolem aggregati molecularum.

1. CONSTITUTIO MOLECULAE. a) Moleculae et proin atomi elementaque primigenia, sunt formaliter continua, h. e. constant ex partibus actu aut potentia distinctis quarum extrema sunt unum. Ista tamen formalis continuitas non est essentia substantiae corporae, sed proprietas.

b) *Quaevis molecula est ens per se, unum per se; non vero aggregatum entium, neque unum per accidens.* Itaque atomi, elementaque atomum componentia, esse suum formale et proprium non servant, sed intrinsecus sunt unita et constituant ens novum.

c) *Quocirca datur vera conversio unius substantiae corporeae in substantiam aliam.* — Itaque in ordine rerum tot habentur substantiae specie diversae, quot exstant corpora chemice simplicia, et chemice composita.

Ratione hujus capituli doctrinae suae, quod est fundamentale, sistema scholasticum vocatur *systema transformationis substantialis*. — Ex eo autem quod datur vera transformatio substantialis, tamquam corollarium fluit compositionis essentialis substantiae corporeae, ex materia prima et forma substantiali;

d) *Quaevis molecula — quotquot sint elementa e quibus efformata est — constat ex duabus partibus essentialibus physicis, instrinsecus unitis :*

a) Altera per se est *indifferens, in potentia, determinabilis ad actum completum*, sive ad quamlibet speciem substantiae cor-

poreae. Haec pars merito vocatur *materia prima* compositi physici, ob analogiam suam cum materia artefactorum. — Ab Aristotele definitur: *Materia neque est quid, neque quantum, neque quale, neque aliud quidpiam eorum quibus ens determinatur.* — Definiri etiam potest *ens in potentia*, h. e. ea substantiae corporeae pars quae secundum se est in potentia ad quamlibet speciem substantiae corporeae.

b) Altera est *determinans seu specificativa*, h. e. physice et intrinsecus se uniendo seque communicando materiae, determinat materiam ad unam speciem substantiae corporeae praeceteris. — Merito vocatur *forma* ob analogiam cum forma artefactorum; *substantialis*, propterea quod ex unione ejus cum materia, exurgit primo substantia completa. — Definiri potest *actus materiae, determinatio materiae*, h. e. id quo potentia materiae actuatur, sive ad unam speciem determinatur. Definitur etiam: *principium ultimo determinans subjectum in ratione substantiae; id quod dat esse simpliciter, esse primum, nullum aliud presupponens.*

Ratione hujus compositionis substantialis quam defendit, sistema scholasticum appellari consuevit *systema formarum substantialium vel materiae et formae*.

Praejacta explicare expedit, adducto exemplo transformationis:

a) Sit oxygenium et hydrogenium; motu locali impresso, juxtaponuntur; in se mutuam actionem exercent; utrumque corpus intime modificatur, utriusque qualitates nonnullae alterantur. Ex alteratione, in utroque exsurgit resultantia virium et proprietatum, requisita et sufficiens ad hoc, ut jam desinant haberi oxygenium et hydrogenium, et ut generetur aqua. Hinc nempe amissum seu corruptum est per accidens (h. e. desiit ad corruptionem oxygenii et hydrogenii), id quo habebatur oxygenium et hydrogenium. Aliud acquisitum seu generatum est per accidens (h. e. ad generationem aquae advenit), nempe id quo jam exstet aqua. — Id quod amisit acquisitumque, est *materia*; id enim transiit ab una specie ad aliam et proin est in potentia et determinabile ad plura. — Quod amittitur corruptione per accidens et quod acquiritur generatione per accidens sunt *formae substantiales*; materiam enim, ex se indifferente ad plures species, determinant ad unam.

b) Ex his constat oxygenium etc. constare ex materia et ex forma

tanquam ex partibus physicis : in has enim resolvitur, cum forma desierit corruptione per accidens et cum materia sub alia forma permanserit. Pariter nova substantia ex materia et ex forma constat.

2. AGGREGATUM MOLECULARUM. Si inquiritur quomodo ex moleculis hisce extensis oriatur corpus per accidens unum, sequens traditur a multis responsio : a) Moleculae ponderabiles attrahunt moleculas imponderabiles; imponderabiles vero repellunt ceteras imponderabiles, attrahunt autem ponderabiles vicinas. b) Istae attractiones repulsionesque exercentur inter solas moleculas contiguas, quarum extrema sunt simul.

Si ulterius inquiritur quomodo, stante hac sententia, intelligendae sint leges physicae superius admissae : a) moleculas eo majore impetu attrahere, vel repellere, quo minus a se distant moleculae attractae, vel repulsae, - respondetur, istas leges non sine aliqua explicatione esse admittendas. Realiter omnia elementa substantiae corporeae actionem attractivam vel repulsivam exercent; nihil tamen impedit quin fingatur omnem actionem dimanare a centro substantiae, quod ideo vocatur *centrum activitatis*; pariter fangi potest influxum corporis agentis recipi non in omnia elementa corporis passi, sed in centrum aliquod, quod ideo vocatur *centrum applicationis*. — Hac autem fictione admissa, facile intelligitur lex supra tradita, suppositione facta eamdem substantiam corpoream posse occupare majorem minoremve locum, seu posse rarefieri et condensari. Si enim majorem locum occupat, ita ut centrum activitatis magis distet a centris ceterorum corporum, singula elementa minorem actionem exercent, ob ipsam rarefactionem suam; proin a centro activitatis fingitur dimanare attractionem et repulsionem minor, quia major est distantia a centris ceterorum corporum. Si minorem locum occupat, et proin si minor distantia intercedit inter centra duorum corporum, singula elements majorem attractionem, sive repulsionem, exercent, ob condensationem suam; quare major attractio vel repulso concipiatur a centro activitatis proficiens.

13. B. DOGMATA SPECIALIA. Explicatur unitatem substantiae corporeae mineralis seu moleculae, unionem intrinsecam materiae et formae, eductionem formae ex potentia materiae, abeunt scholastici in duo potissimum systemata.

Ad horum systematum expositionem haec praemitere expe-

dit : Substantia corporea instruitur proprietatibus physicis seu accidentibus per se, nempe quantitate et viribus; praeterea instruitur accidentibus per accidens : successive enim transit ab una accidental modificatione ad aliam, puta ab uno colore ad alium, ab uno gradu caloris ad alium. Ratione horum accidentium, substantia completa vocatur *materia secunda*; accidentia autem dicuntur *actus secundi*, formae accidentiales.

Porro actus secundi uniuntur intrinsecus materiae secundae atque educuntur ex ejus potentia, eodem modo atque actus primi uniuntur materiae primae et educuntur ex ejus potentia. Eadem itaque est indeles compositi accidentalis atque compositi substantialis.

Quare duo etiam dantur modi explicandi unitatem compositi accidentalis, unionem accidentis cum substantia completa, illius eductionem ex hujus potentia, haud secus ac duo sunt modi explicandi sistema scholasticum de materia prima et forma substantiali. Itaque dicemus de utroque composito.

PRIMUM SYSTEMA est *Doctoris Angelici*. Tenet in composito physico *unan stricte dari entitatem* quae etenim includit plura componentia quatenus ex iis est constitutum et in haec per corruptionem resolvitur. Hac autem corruptione compositi, forma corrumpitur per accidens adeoque ab essendo deficit; materia vero in essendo perseverat actuata per aliam formam.

Sit corpus frigidum actioni ignis subjectum. Totum fit intrinsecus calidum; ideo transit subjectum ab uno statu ad alium, amittit unum essendi modum acquiritque novum. Subjectum mutationis est substantia completa seu materia secunda; ex ejus potentia est educta forma accidentalis caloris, qua formaliter expulsa est forma frigoris. — Si perdurat actio ignis in corpus, magis magisque alterabuntur ejus qualitates, donec tam profunda evaserit mutatio, ut ex corpore jam procedant actiones specificae diversae ab actionibus prius ex eo proficiensibus. Cum ad hunc statum pervenit subjectum, transiit ad aliam speciem, facta est mutatio substantialis, educta est forma substantialis ex potentia materiae prime.

Profecto calor non identificatur cum frigore, utrumque igitur re est distinctum a substantia. Neque forma substantialis nova identificatur cum forma per accidens corrupta; utraque ergo a materia prima dis-

tinguitur. Verum ex eo quod alia sit realitas materiae alia vero realitas formae, nequaquam consequitur sive in composito substantiali sive in composito accidental i plura esse entia quae actu inter se remaneant distincta, adeoque dari actualem entitatum pluralitatem. Evidenter enim integrum servat hanc distinctionem, ille qui affirmat in corpore frigido unum fuisse ens, istud ens secundum se totum fuisse aliquatenus modificatum et factum esse calidum, deinde ad aliam speciem transiisse, proindeque unum esse realiter amissum, aliud vero esse acquisitum, salva manente unitate totius, per singula momenta motus. Illud sane quod dumtaxat logicè distinguitur a ceteris, non corrumpitur deficitque ab essendo, ceteris in ordine physico remanentibus; verum id non contingit nisi circa realiter distincta.

Eadem ratione explicatur materiam et formam sibi mutuo communicare realitatem suam, ex iis oriri entitatem tertiam cui utraque est intrinseca. Corpus enim frigidum est mutatum in calidum, una species in aliam; forma accidentalis aut substantialis est corrupta per accidens, corrupto composito; forma nova est generata, generato composito. Igitur entitas frigoris nunc corrupta — et idem dicendum est de forma substantiali — communicata erat entitati subjecti; ex his duabus constituebatur entitas tertia, nempe corpus frigidum quod ad alium statum transiit. Ita etiam realitas caloris, eodem modo corruptibilis, communicata est realitati subjecti constitutique cum ea entitatem unam.

Ex his constat veritas effatorum scholasticis solemnum : *Forma proprie non fit, neque est, neque agit; compositum est, fit, agit; forma vero fit per accidens seu confit, est id quo compositum est et fit.* Sane si in composito forma est ens manens distinctum a materia, falsum est istam entitatem non fieri, non esse, non agere. Ista locutiones non sunt verae nisi admittatur unam esse stricte entitatem; haec enim tunc generatur et corrumpitur, haec agit et est, forma autem revera est id quo illa entitas est et agit. — *Forma educitur ex potentia materiae h. e. sub influxu causae efficientis extrinseciae, materia intrinsecus mutatur, fit actu id quod erat potentia.* Iterum hoc verissimum est, si una ponitur esse entitas quae transmutatur. — *Accidens non est ens sed entis ens.* Profecto si accidens remanet actu distinctum a substantia, non videtur quare vocari nequeat ens. — Perspicuum etiam est sententiam modo expositam significari aut supponi sequentibus : *Forma nihil aliud est nisi actualitas materiae. Materia autem est pura*

potentia. — *Oportet ut materia creetur sub aliqua forma.* — *Materia sine ulla forma absolute non potest a Deo conservari in essendo,* — *Materiae nonnisi una inesse potest forma, non tantum formaliter inspecta, sed etiam entitative.*

SECUNDUM SYSTEMA est Suarezii. Admittit in composito, tum substantiali tum accidental, componentia remanere actu inter se distincta, adeoque dari actualem pluralitatem entitatum.

Iis contineri appetit fundamentalis ratio ceterorum quae Suarezio peculiaria esse ducuntur : Quia enim in substantia completa, materia remanet distincta a forma, ideo materia ex formalis sua ratione non est pura potentia sed *actus absolutus* secundum quid; ideo etiam materia potuisset absolute loquendo creari sine ulla forma et conservari sine forma. Ob eamdem rationem materia et forma inter se uniuntur per modum aliquem, qui ex munere suo appellatur *modus unionis*. — Quoniam in continuo partes integrantes formaliter consideratae, sunt actu distinctae inter se, uniuntur indivisibilibus copulativis quibus est realitas distincta a continuo, proindeque totum continuum quaquaversus terminatar indivisibilibus terminantibus. — Cum in composito accidental, actualis habeatur entitatum pluralitas, substantia nempe et accidentibus remanentibus inter se distinctis, idcirco uniuntur modo *inhaerentiae*, cui, haud secus atque modo *unionis*, sua competit realitas imperfectior realitate accidentis, medium sedem quadantenus habens inter ens propriæ dictum et nihilum.

ARTICULUS II.

CRISIS DYNAMISMII ET ATOMISMII.

§ 1. Crisis dynamismi.

Thesis 1^a. A vero deflectunt Dynamistæ in explicanda corporum constitutione. Falsum enim est moleculas chemicas constare ex elementis formaliter simplicibus, quorum tota essentia reponatur in eo quod sint vires; sive elementa dicantur esse virtualiter continua, sive formaliter distantia.

14. I^o PARS. *Atomi et moleculæ chemicae non constant ex elementis formaliter simplicibus.*

tinguitur. Verum ex eo quod alia sit realitas materiae alia vero realitas formae, nequaquam consequitur sive in composito substantiali sive in composito accidental i plura esse entia quae actu inter se remaneant distincta, adeoque dari actualem entitatum pluralitatem. Evidenter enim integrum servat hanc distinctionem, ille qui affirmat in corpore frigido unum fuisse ens, istud ens secundum se totum fuisse aliquatenus modificatum et factum esse calidum, deinde ad aliam speciem transiisse, proindeque unum esse realiter amissum, aliud vero esse acquisitum, salva manente unitate totius, per singula momenta motus. Illud sane quod dumtaxat logicè distinguitur a ceteris, non corrumpitur deficitque ab essendo, ceteris in ordine physico remanentibus; verum id non contingit nisi circa realiter distincta.

Eadem ratione explicatur materiam et formam sibi mutuo communicare realitatem suam, ex iis oriri entitatem tertiam cui utraque est intrinseca. Corpus enim frigidum est mutatum in calidum, una species in aliam; forma accidentalis aut substantialis est corrupta per accidens, corrupto composito; forma nova est generata, generato composito. Igitur entitas frigoris nunc corrupta — et idem dicendum est de forma substantiali — communicata erat entitati subjecti; ex his duabus constituebatur entitas tertia, nempe corpus frigidum quod ad alium statum transiit. Ita etiam realitas caloris, eodem modo corruptibilis, communicata est realitati subjecti constitutique cum ea entitatem unam.

Ex his constat veritas effatorum scholasticis solemnum : *Forma proprie non fit, neque est, neque agit; compositum est, fit, agit; forma vero fit per accidens seu confit, est id quo compositum est et fit.* Sane si in composito forma est ens manens distinctum a materia, falsum est istam entitatem non fieri, non esse, non agere. Ista locutiones non sunt verae nisi admittatur unam esse stricte entitatem; haec enim tunc generatur et corrumpitur, haec agit et est, forma autem revera est id quo illa entitas est et agit. — *Forma educitur ex potentia materiae h. e. sub influxu causae efficientis extrinseciae, materia intrinsecus mutatur, fit actu id quod erat potentia.* Iterum hoc verissimum est, si una ponitur esse entitas quae transmutatur. — *Accidens non est ens sed entis ens.* Profecto si accidens remanet actu distinctum a substantia, non videtur quare vocari nequeat ens. — Perspicuum etiam est sententiam modo expositam significari aut supponi sequentibus : *Forma nihil aliud est nisi actualitas materiae. Materia autem est pura*

potentia. — *Oportet ut materia creetur sub aliqua forma.* — *Materia sine ulla forma absolute non potest a Deo conservari in essendo,* — *Materiae nonnisi una inesse potest forma, non tantum formaliter inspecta, sed etiam entitative.*

SECUNDUM SYSTEMA est Suarezii. Admittit in composito, tum substantiali tum accidental, componentia remanere actu inter se distincta, adeoque dari actualem pluralitatem entitatum.

Iis contineri appetit fundamentalis ratio ceterorum quae Suarezio peculiaria esse ducuntur : Quia enim in substantia completa, materia remanet distincta a forma, ideo materia ex formalis sua ratione non est pura potentia sed *actus absolutus* secundum quid; ideo etiam materia potuisset absolute loquendo creari sine ulla forma et conservari sine forma. Ob eamdem rationem materia et forma inter se uniuntur per modum aliquem, qui ex munere suo appellatur *modus unionis*. — Quoniam in continuo partes integrantes formaliter consideratae, sunt actu distinctae inter se, uniuntur indivisibilibus copulativis quibus est realitas distincta a continuo, proindeque totum continuum quaquaversus terminatar indivisibilibus terminantibus. — Cum in composito accidental, actualis habeatur entitatum pluralitas, substantia nempe et accidentibus remanentibus inter se distinctis, idcirco uniuntur modo *inhaerentiae*, cui, haud secus atque modo *unionis*, sua competit realitas imperfectior realitate accidentis, medium sedem quadantenus habens inter ens propriæ dictum et nihilum.

ARTICULUS II.

CRISIS DYNAMISMII ET ATOMISMII.

§ 1. Crisis dynamismi.

Thesis 1^a. A vero deflectunt Dynamistæ in explicanda corporum constitutione. Falsum enim est moleculas chemicas constare ex elementis formaliter simplicibus, quorum tota essentia reponatur in eo quod sint vires; sive elementa dicantur esse virtualiter continua, sive formaliter distantia.

14. I^o PARS. *Atomi et moleculæ chemicae non constant ex elementis formaliter simplicibus.*

PROB. I^m ARG. Petitur ex consecutiis Dynamismi.

Illud admitti non potest e quo sequeretur, tum extensionem, tum qualitates proprias, ratione quarum corpora sensibus apprehenduntur, ne causaliter quidem corporibus inesse, adeoque e quo sequeretur perceptionem corporum determinari ideis innatis aut ab ipso Deo. — Atqui utrumque est consequens ex eo quod atomi et moleculae constarent ex elementis formaliter simplicibus, sive dicantur virtualiter continua, sive formaliter distantia. Ergo.

Prob. 1^a pars Min. Ut extensio inesset causaliter corporibus, oporteret ut elementa simplicia, ob exiguitatem vacui quod inter ipsa intercedit, apparere possent tamquam inflata. Atqui elementa simplicia tamquam inflata, seu tamquam extensa, apparere nequeunt. Ergo.

Prob. Min. Posita hac sententia : a) entites elementorum sunt simplices; b) organum quo percipitur istud elementum, constat et ipsum elementis simplicibus; consequenter c) species repraesentativa, utpote modus substantiae formaliter simplicis, erit etiam formaliter simplex. Atqui, his stantibus, non videtur quomodo possibile sit elementa formaliter simplicia, apparere tamquam inflata, seu extensa. Ergo.

Dices : Puncta simplicia sunt in motu; ob celeritatem suam motus non percipitur; idcirco puncta apparent extensa.

Resp. Tota difficultas solvenda manet. Si enim extensum aliquod se movet, optime intelligitur quomodo appareat uti insignitum majori extensione, quam est extensio qua revera gaudet. Tale enim extensum se movere, perinde est atque illud occupare successive diversas partes spatii; in singulis autem partibus ita organa modificat, ut modificationes quasi simul habeantur. At non intelligitur quomodo hoc contingere possit in sententia dynamistica; quomodo enim entitas simplex in singulis punctis spatii in quo se movet, potest sensui apparere uti aliquali extensione donata?

Prob. 2^a pars Min. Ex probatis extensio non inesset causaliter corporibus. Ergo etiam *sensibilia propria* non inessent causaliter corporibus.

Prob. conseq. Extensio inseparabiliter appetit connexa ali-

cui sensibili proprio; qualitas extensioni : Extensem enim non apprehenditur, nisi in quantum est coloratum, vel durum, et ita porro; vicissim qualitates non apprehenduntur, nisi tamquam extensa. Idecirco si corpus determinat perceptionem unius, determinat perceptionem alterius; si non potest determinare unius apprehensionem, neque natum erit determinare perceptionem alterius.

II^m ARG. Admissis atomos constare ex elementis simplicibus, unum ex his duobus est consequens : a) vel actio immediata in distans est admittenda, tum elementorum ponderabilium et imponderabilium atomi inter se, tum unius moleculae in aliam; b) vel elementa inextensa in sphera activitatis sua sunt definitivae praesentia. Atqui utrumque est falsum. Ergo.

A. REJICITUR ACTIO IN DISTANS : 1. Praemittitur notio actionis : Agere est producere effectum; effectum produci, idem est atque effectum in fieri pendere ab agente, sive sustineri ab eo. — Unde sic : Ut agens creatum immediate in distans agat, requiritur ut effectus immediatus distans pendeat ab agente in suo fieri, ab eo sustineatur. Atqui hoc absurdum est. Ergo.

Prob. Min. Ut effectus immediatus distans pendeat in suo fieri et sustineatur ab agente, agens debet esse praesens in distans. Atqui absurdum est aliquid esse praesens in distans, sive praesens in loco qui distat a se. Ergo.

Patet major quia ut aliquid sustineat alterum, illudque habeat a se pendens, debet esse ibi ubi sustinet.

2. Agens creatum non agit in tempore in quo non est neque per seipsum neque per aliud. Ergo non agit in loco ubi non est.

Prob. conseq. Respectu passi idem videtur esse separari ab agente secundum locum et separari secundum tempus.

B. REJICITUR PRAESENTIA DEFINITIVA. 1. Eo quod elementa corporea essent definitive praesentia, sequeretur materiae convenire eumdem modum praesentiae, atque spiritibus, entibus cognoscitivis. Atqui hoc admitti nequit : Modus enim praesentiae entium cognoscitivorum, videtur non posse attribui materiae, quin natura cognoscitiva eis tribuatur; nam modus praesentiae (uti et potentia activa et passiva), videtur immediate derivari ex essentia, eique proportionari; quo enim modo aliquid est in se, hoc modo est hic vel illic.

Conf. Inductione. Diversis naturis diversus est modus praesentiae. Sic natura divina requirit immensitatem, anima spiritualis praesentiam definitivam in corpore humano.

2. Consequeretur etiam ens aliter operari atque est, contra axioma *operari sequitur esse*: Operatio enim esset entitative composita (ideo enim vis dicitur virtualiter extensa), ens autem esset formaliter simplex. Deinde ens esset totum in toto, et totum in singulis partibus, operatio autem, videlicet attractio et repulsio, talis non esset, sed esset multiplex et distincta.

15. II^a PARS. *Falsum est totam elementorum simplicium essentiam in eo reponi quod sint vires.*

I^m ARG. Ex ipsa adversariorum positione, elementa simplicia, ex essentia sua, attrahuntur et repelluntur. Atqui quod tale est, non est secundum totam essentiam vis, potentia agendi; sed ex eadem essentia, est potestas passiva, sive patiendi. Ergo.

II^m ARG. Tota essentia rei reponi nequit in eo, quo res non distinguitur sufficienter a ceteris. Atqui elementa corporea non sufficienter distinguuntur a ceteris, eo quod sint vires; sic enim non sufficienter distinguuntur a substantiis spiritualibus, quae etiam sunt vires. Ergo.

Coroll. Ergo in quolibet corpore inest principium quod habet entitatem substantialem, extensam, continuam, per spatum diffusam; sive in ordine rerum habetur continuum formale.

§ 2. Crisis atomismi.

Thesis 2. Merito rejicitur dogma Atomismo proprium.

Sensus. Dogma Atomistarum hisce praecipuis capitibus constat: a) Essentia, sive moleculae, sive atomi, sive corpusculorum atomum constituentium, reponitur in sola extensione, exclusa omni vi agendi. b) Proprietates ad essentiam consequentes, sunt mobilitas et impetrabilitas. c) Omnis vis agendi accidentaliter et ab extrinseco substantiae corporae supervenit, et consistit in motu locali recepto et communicato.

16. I^a PARS. *Extensio sola non est essentia moleculae, vel atomi, vel corpusculorum in quaem atomi ultimo resolvuntur.*

Prob. I^m ARG. Illud non est essentia corporis, quod: a) non concipitur esse primum; b) rem ab aliis non secernit. Atqui extensio non concipitur esse primum in corpore; nec corpus a ceteris secernit. Ergo extensio non est essentia corporis.

Prob. Min. Etenim a prius est habere partes, ratione quarum aliquid sit extensem, quam esse extensem; b) sic corpus non secernitur a vacuo.

II^m ARG. Illud non est essentia corporis, e quo consequens esset spatium esse corpus. Atqui eo quod extensio esset essentia corporis, consequens esset spatium esse corpus; spatium enim concipitur uti extensem. Ergo.

Prob. Maj. : a) Spatium possibile est infinitum actu; sed repugnat corpus actu infinitum. Ergo repugnat spatium esse corpus, et proin illud non est essentia corporis e quo hoc fluoret.

b) Eo quod spatium esset corpus, vacuum esset absolute impossibile; sed hoc dici nequit. Ergo.

c) Duo corpora, nimirum spatium, et corpus aliquod in spatio locatum, se naturaliter compenetrarent; sed duo corpora non valent se naturaliter compenetrare.

III^m ARG. *Ratione theologica* falsitas atomismi sequenti modo colligitur: Illud non est essentia entis, quod non convenit omni et soli ei, cuius essentia quaeritur; atqui extensio non convenit omni et soli corpori. Ergo.

Prob. I^a pars Min. Non omni: Nam non convenit corpori Christi definitive praesenti sub speciebus Eucharisticis, nisi cum explicatione addita, videlicet essentiam corporis esse extensionem *aptitudinalem*, non vero *actualem*.

Prob. 2^a pars Min. Non soli: Nam convenit accidentibus panis et vini remanentibus post consecrationem, et consequenter convenit omnibus accidentibus corporeis.

Ad cujus argumenti vim evacuandam, coguntur atomistae catholici asserere, pani et vino non esse accidentia absoluta, cum his nullum corpus instruatur; proindeque modificationes organicas, quibus percipiuntur qualitates panis et vini, determinari, sive per Deum, sive per ipsummet corpus Christi definitive praesens, sive per atomos aetheris, prius substantiae panis et vini admixtas, et, consecratione peracta, eundem ordinem inter se servantes.

17. II^a PARS. *Impenetrabilitas et mobilitas non sunt proprietates illius, cuius essentia in sola extensione reponeretur.*

PROB. A. *Impenetrabilitas non est proprietas, etc.* Extensio, quae ponitur esse essentia corporis, sane non est extensio localis actualis; haec enim non convenit corpori Christi, definitive praesenti in mysterio Eucharistiae; igitur asseri tantum potest extensionem entitativam et aptitudinalem localem esse corporis essentiam. Hoc praemisso, sic probatur secunda pars:

Illud non est proprietas entis, quod ex entis essentia non pullulat. Atqui impenetrabilitas ex extensione entitativa et aptitudinali locali non pullulat. Ergo impenetrabilitas non est proprietas illius entis, cuius sola extensio esset essentia.

Prob. Min. Extensio entitativa, per se sumpta, a re extensa non excludit compenetrationem per aliud. Hoc enim colligitur non tantum ex mysterio Eucharistiae, sed etiam ex eo quod ad impenetrabilitatem requiritur, vel ut corpus active resistat, vel ut actu habeat ubicationem circumscripтивam, seu extensionem localem actualem, naturaliter postulantem ut diversae partes diversum locum occupent, et ut totum corpus occupet locum diversum a loco ceterorum corporum. Ergo impenetrabilitas non sequitur necessario ad extensionem entitativam.

B. *Mobilitas non est proprietas, etc.* Impenetrabilitas non est hujusmodi proprietas. Ergo nec mobilitas.

Patet consequentia quia mobilitas (posse moveri ab alio corpore), praesupponit impenetrabilitatem, et ex ea oritur. Ratio enim, ob quam corpus corpore moveri queat, est quia ei est impenetrabile.

18. III^a PARS. *Asseri nequit omnem vim corpusculis advenire extrinsecus.*

Sensus. Asseri nequit corpuscula movere et agere, eo tantum quod ipsa moventur, et sic motum communicant, nulla vi ipsis necessario et ab intrinseco insita tamquam proprietate. Quocirca dici nequit Deum primitus corpusculis indidisse motum talem, ut ex collisione corpusculorum enatae sint atomi diversarum specierum; ex collisione atomorum, moleculae; ex collisione molecularum, corpora.

PROB. I^m ARG. Illud nequit admitti e quo consequens esset

vel casu, vel continuo interventu Dei corpuscula moventis, sequentia haberi: a) generatim diversarum specierum et typorum constantem recurrentiam, adeo ut nulla species pereat, nulla nova species oriatur; b) speciatim eas combinationes ordinatas, eamque unitatem inter atomos, quae requiruntur phaenomenis vitae psychicae, et vitae vegetativae. Atqui hoc esset consequens, eo quod omnis motus et omnis vis corpusculis adveniret extrinsecus. Ergo.

Prob. Min. Nequit Deus indidisse atomis eum motum, e quo praevidit consecuturam esse remanentiam specierum. Nam, a) ex moto atomorum plurimarum quaecumque combinationes semper fieri possunt, si nulla vis eis est essentialis; b) libertas hominum motus atomorum diversimode modificat. Ergo constantia specierum attribuenda esset aut casui aut continuo Dei interventui (Cfr. n. 19).

I^m ARG. Illud nequit admitti, quo admisso, non videtur quomodo atomi coalescant firmiter in unam moleculam. Atqui eo quod omnis vis corpusculis extrinsecus adveniret, nullaque eis esset innata, non videtur quomodo atomi coalescant firmiter in unam moleculam. Ergo.

Scholion. Atomismi-dynamismi falsitas tacta jam est nonnullis argumentis theseos primae, et theseos secundae. Insuper refutatur thesi tertia, haud secus atque priora systemata. Tria enim haec systemata inter se convenient in reprobanda omni substanciali transformatione.

ARTICULUS III.

DE SYSTEMATE PERIPATETICO. ®

Ex thesi I^a de Dynamismo tanquam corollarium fluit elementa, quibus constat molecula, non esse formaliter simplicia sed continua. Ex argumentis ejusdem theseos consequens est moleculas corporis se mutuo attrahere et repellere, non quidem in distans, sed dum sunt contiguae.

Reliquum igitur est ut demonstremus ea, quae exponendo sistema

17. II^a PARS. *Impenetrabilitas et mobilitas non sunt proprietates illius, cuius essentia in sola extensione reponeretur.*

PROB. A. *Impenetrabilitas non est proprietas, etc.* Extensio, quae ponitur esse essentia corporis, sane non est extensio localis actualis; haec enim non convenit corpori Christi, definitive praesenti in mysterio Eucharistiae; igitur asseri tantum potest extensionem entitativam et aptitudinalem localem esse corporis essentiam. Hoc praemisso, sic probatur secunda pars:

Illud non est proprietas entis, quod ex entis essentia non pullulat. Atqui impenetrabilitas ex extensione entitativa et aptitudinali locali non pullulat. Ergo impenetrabilitas non est proprietas illius entis, cuius sola extensio esset essentia.

Prob. Min. Extensio entitativa, per se sumpta, a re extensa non excludit compenetrationem per aliud. Hoc enim colligitur non tantum ex mysterio Eucharistiae, sed etiam ex eo quod ad impenetrabilitatem requiritur, vel ut corpus active resistat, vel ut actu habeat ubicationem circumscripтивam, seu extensionem localem actualem, naturaliter postulantem ut diversae partes diversum locum occupent, et ut totum corpus occupet locum diversum a loco ceterorum corporum. Ergo impenetrabilitas non sequitur necessario ad extensionem entitativam.

B. *Mobilitas non est proprietas, etc.* Impenetrabilitas non est hujusmodi proprietas. Ergo nec mobilitas.

Patet consequentia quia mobilitas (posse moveri ab alio corpore), praesupponit impenetrabilitatem, et ex ea oritur. Ratio enim, ob quam corpus corpore moveri queat, est quia ei est impenetrabile.

18. III^a PARS. *Asseri nequit omnem vim corpusculis advenire extrinsecus.*

Sensus. Asseri nequit corpuscula movere et agere, eo tantum quod ipsa moventur, et sic motum communicant, nulla vi ipsis necessario et ab intrinseco insita tamquam proprietate. Quocirca dici nequit Deum primitus corpusculis indidisse motum talem, ut ex collisione corpusculorum enatae sint atomi diversarum specierum; ex collisione atomorum, moleculae; ex collisione molecularum, corpora.

PROB. I^m ARG. Illud nequit admitti e quo consequens esset

vel casu, vel continuo interventu Dei corpuscula moventis, sequentia haberi: a) generatim diversarum specierum et typorum constantem recurrentiam, adeo ut nulla species pereat, nulla nova species oriatur; b) speciatim eas combinationes ordinatas, eamque unitatem inter atomos, quae requiruntur phaenomenis vitae psychicae, et vitae vegetativae. Atqui hoc esset consequens, eo quod omnis motus et omnis vis corpusculis adveniret extrinsecus. Ergo.

Prob. Min. Nequit Deus indidisse atomis eum motum, e quo praevidit consecuturam esse remanentiam specierum. Nam, a) ex moto atomorum plurimarum quaecumque combinationes semper fieri possunt, si nulla vis eis est essentialis; b) libertas hominum motus atomorum diversimode modificat. Ergo constantia specierum attribuenda esset aut casui aut continuo Dei interventui (Cfr. n. 19).

I^m ARG. Illud nequit admitti, quo admisso, non videtur quomodo atomi coalescant firmiter in unam moleculam. Atqui eo quod omnis vis corpusculis extrinsecus adveniret, nullaque eis esset innata, non videtur quomodo atomi coalescant firmiter in unam moleculam. Ergo.

Scholion. Atomismi-dynamismi falsitas tacta jam est nonnullis argumentis theseos primae, et theseos secundae. Insuper refutatur thesi tertia, haud secus atque priora systemata. Tria enim haec systemata inter se convenient in reprobanda omni substanciali transformatione.

ARTICULUS III.

DE SYSTEMATE PERIPATETICO.

Ex thesi I^a de Dynamismo tanquam corollarium fluit elementa, quibus constat molecula, non esse formaliter simplicia sed continua. Ex argumentis ejusdem theseos consequens est moleculas corporis se mutuo attrahere et repellere, non quidem in distans, sed dum sunt contiguae.

Reliquum igitur est ut demonstremus ea, quae exponendo sistema

scholasticum, secundo, tertio et quarto loco asseverabamus circa unitatem substantiae corporeae, transformationem substantialem, et compositionem ex materia et ex forma.

§ 1. Ostenditur moleculam corpoream esse substantiam proprie unam.

Thesis 3^a. Molecula chemica non est aggregatum elementorum in esse suo proprio et formali permanentium; sed est substantia proprie et vere una.

19. PROB. I^m ARG. Petitur ex constantia specierum determinatarum h. e. corporum chemice compositorum iisdem proprietatibus et figuris instructorum.

Eadem species corporum chemice simplicium et chemice compositorum, eademque species plantarum et animalium, perpetuo remanent in ordine physico. — Perpetua tamen est corporum transmutatio, seu motus. Elementa aeris et elementa varia humi transeunt in substantiam plantae; planta, in substantiam bruti; substantia plantae et substantia bruti, in substantiam corporis humani; substantia corporis humani reddit ad inferiores species. — Ex hac autem constantia specierum, non obstante perpetuo omnium rerum motu, sequens colligimus argumentum:

Illud prudenter rejicitur, quo consequens esset, elementa (puta oxyg. et hydr.) in easdem species (puta in aquam), indesinenter coire, vel casu, vel Deo immediate movente, citra ullam inclinationem corporibus insitam. Atqui hoc est consequens, ex eo quod in moleculis singula componentia in esse suo proprio formali permanerent. Ergo.

Prob. Min. Stante enim hac hypotesi, componentia inclinantur tantum, vel ad passive recipiendum motum, uti volunt atomistae; vel ad active repellendum et attrahendum alia elementa, uti volunt dynamistae; indifferentia vero sunt, seu non inclinantur, ut per motus passive receptos, vel per attractiones repulsionesque, in tale compositum coeant potius quam in aliud; per accidens igitur fit, ut in hoc corpus combinentur,

potius quam in aliud. Atqui, his habitis, dicendum est elementa in easdem species indesinenter coire, vel casu, vel Deo impellente. Ergo ex eo quod in molecula atomi secundum esse suum formale permanent, consequens est elementa etc.

Explic. Stante hac hypothesi, haberi quidem possunt variii motus, variii effectus, variae combinationes, partiumque translationes, orta ex diverso moventis impulsu; sed explicari nequit, quod combinationes sint perpetuo tales, ut eadem immutabiliter permaneant species, eaedem habeantur figurae, relictis aliis speciebus, aliisque figuris finitimis. Componentia enim sunt indifferentia ad varia composita.

Quod ut exemplo comprobemus, duae atomi hydrogenii requirunt unum atomum oxygenii, ut fiat aqua; juxta adversarios sententiae scholasticorum, singulæ atomi in esse suo formali permanent; atomus oxygenii in medio se sistit, et ad utrumque latus unum atomum hydrogenii attrahit, mediante aethere; si autem ibi praesto esse concipiuntur aliae atomi hydrogenii, haec non attrahuntur ab atomo oxygenii; pariter si praesto sunt aliae atomi oxygenii, non attrahuntur a duabus atomis hydrogenii, et proin non efformantur promiscue ex oxygenio et hydrogenio aliae aliaeque corporum species. — Quod determinatum pondus oxygenii requiratur, ut fiat combinatio cum determinato pondere hydrogenii, et quod sola aqua exsurget ex his componentibus; hujusce facti optime redditur ratio in systemate peripatetico, quo singulæ atomi attractae esse suum proprium amiserunt, ita ut facta fuerit substantia nova, quae jam cum reliquis atomis hydrogenii vel oxygenii novas combinationes non appetat. — At contendimus, illud factum non posse explicari in systemate adversariorum. Cur enim: a) atomus hydrogenii, quae constat ex diversis elementis aggregatis, esse proprium servantibus, cur, inquam, haec atomus, quae ad unum latus suum attraxit unum atomum oxygenii, ad aliud latus ratione aliorum elementorum quibus constitutur, non valet attrahere unum ex atomis oxygenii circumstantibus? In aggregato molecularum, actio unius moleculæ, non officit actioni alterius. Cur in atomo actio unius elementi officit actioni alterius, si elementa esse proprium servant, haud secus atque moleculæ aggregatae in corpore? b) Quare atomus oxygenii, quae ad utrumque latus atomum hydrogenii attractam habet, non pariter attrahit atomos hydrogenii ad partem anteriorem et ad posteriorem, ad superiorem et ad inferiorem? c) Cur igitur requiritur,

ad combinationem hydrogenii et oxygenii, invariabilis haec proportio, qua aqua immutabiliter exsurgit?

Optime reddi rationem permanentiae specierum, et inclinationis ad hanc permanentiam, per sententiam in qua molecula dicitur esse substantia una, constans ex duabus partibus physicis, uberioris explicabitur postea et luculenter patebit ex dicendis thesi 4^a.

II^m ARG. Petitur eo quod, rejecta hypothesi peripatetica, impossibilis redditur explicatio discriminis inter proprietates moleculares, et proprietates atomorum heterogenearum moleculam constituentium.

Hac enim hypothesi rejecta, ad illud factum explicandum, admittendum esset elementa, in esse suo formaliter permanentia, per actionem et passionem mutuam, induere vires et proprietates specificae diversas. Atqui admitti nequit elementa, in esse suo formaliter permanentia, per actionem et passionem mutuam, induere vires et proprietates specificae diversas. Ergo extra hypothesis peripateticam, explicari nequit factum praecitatum.

Prob. Maj. Qnum ab elementis, in esse suo manentibus, procedant operationes specificae diversae, admittendum est elementa acquirere vires novas; hae autem non possunt fundari in substantia, haec enim, extra hypothesis peripateticam, mutata non est; unde originem suam debent alicui, quod substantiae supervenit; illud autem non valet esse sola relatio propinquitatis alterius elementi; igitur oportet ut actio et passio mutua elementorum fuerit virium modificativa; at vires dici non possunt fuisse tantum accidentaliter modificatae; etenim operationes, specificae diversae, e viribus specificae diversis orientant oportet. Ergo elementa, in esse suo formaliter permanentia, dicenda erunt per actionem et passionem mutuam acquirere vires specificae diversas.

Prob. Min. 1^o syllog. Ut hoc enim aliquatenus astrui posset, admittendum esset, nullam vim esse essentialiter elementis. Si enim aliqua vis essentialiter inhaereret elementis sive tamquam proprietas, sive tamquam pars essentialiae, modificaretur essentialiter elementorum per acquisitionem virium essentialiter diversarum, et consequenter elementa jam non permanerent in esse suo proprio et formaliter; illud autem est contra positionem

adversariorum. Atqui admitti nequit, nullam vim elementis convenire essentialiter. Ergo.

Prob. Min. Etenim, a) non videtur cur vis, quae in mixto elementis accidentaliter et extrinsecus advenit, eis extra unionem advenire non possit; hujus tamen contrarium a chemicis asseritur; — b) non videtur cur elementa, mixto ad componentia redeunte, recuperent eas vires, quibus ante mixtionem instructa erant; quod tamen iterum chemicis placet.

III^m ARG. Petitur ex his quae docet psychologia de *plantis*, de *brutis*, de *homine*. Planta enim, brutum et homo, non sunt substantiarum aggregata, sed substantiae stricte unae. Ergo molecula chemica est substantia una.

Coroll. 1. Ergo tot saltem in mundo inorganico habentur species diversae substantiarum. quot a chemicis numerantur species corporum chemice simplicium, et species corporum chemice compositorum.

2. Ergo in mundo habetur vera *transmutatio* substantiarum.

20. Obj. Corpus chemice compositum, immutabiliter resolvitur in easdem quantitatibus proportionales corporum chemice simplicium, e quibus constitutum fuerit. Atqui hoc explicari nequit hypothesi peripatetica, qua elementa, puta hydrogenium, esse sum amittunt in mixto, puta in aqua. Ergo admitti nequit elementa in composito amittere essentiam formalem.

Prob. Min. Stante hac hypothesi, sequens explicatio tradit debet: eadem operatio ejusdem agentis, in iisdem adjunctis exercita, circa partes perfecte similes alicujus subjecti, terminatur in diversas partes, ad effectus specificae diversos. Atqui hoc est absurdum. Ergo explicari nequit etc.

Ad resp. nota. Actio agentis exercetur in moleculam quae non habet actu partes integrantes, seu pluralitatem entitatum. Huic moleculae est vis resultans ex viribus componentium. Ex se non est apta ut solvatur in vires quaslibet, sed tantum in vires componentium. — **Hinc resp. Conc. Maj. Neg. Min.** **Ad prob. Dist. Maj.** Stante sententia scholasticorum, operatio agentis terminatur ad effectus specificae diversos, eo quod partes perfecte similes instruuntur resultantia virium simplicium, tamquam proprietate specifica, quae resultantia solvit per

agens extrinsecum, quo fit ut corpus redeat ad simplicia,
Conc.; secus, Neg.; Cdt. Min.

§ 2. Substantiae corporeae constant ex materia prima et forma substantiali.

Thesis 4. Admittenda est vera substantiae unius corporeae in substantiam aliam conversio. Quapropter substantia corporea constat duabus partibus essentialibus physicis, quarum altera, utpote ex propria ratione determinabilis, *materia prima* dicitur; altera, utpote determinans, *forma substantialis*.

21. I^a PARS. *Datur vera unius substantiae corporeae in substantiam aliam conversio.*

PROB. Ex una parte molecula chemica, uti probatum est thesi tertia, est substantia *una* non autem aggregatum substantiarum; ex altera parte, ex aliis moleculis generantur aliae moleculae specifice diversae. Ergo datur vera unius substantiae in substantiam aliam conversio.

Explic. Moleculae oxygenii et hydrogenii non sunt aggregata, sed quaelibet harum molecularum est substantia una. Ex his generantur moleculae aquae, quae instruunt proprietatibus et viribus essentialiter diversis; quaelibet molecula aquae est substantia *una* non vero aggregatum substantiarum. Atqui asserere moleculam quanlibet hydrogenii, oxygenii, aquae, esse substantiam *unam*; tenere ex altera parte aquam fieri ex oxygenio et hydrogenio, est admittere dari veram conversionem unius substantiae corporeae in substantiam aliam. Ergo.

22. II^a PARS. *Substantia corporea constat duabus partibus essentialibus physicis, etc.*

PROB. I^{om} ARG. Datur conversio unius substantiae in aliam, uti modo probatum est. Atqui conversio unius substantiae in aliam substantiam, requirit ut substantia corporea constet ex materia et ex forma substantiali. Ergo substantia corporea constat ex materia et ex forma substantiali.

Prob. Min. Conversio substantialis requirit ut pars substantiae quae convertitur, maneat, et ut pars abscedat. Atqui pars quae manet est materia prima; quae abscedit, est forma.

Prob. Maj. a) Si nil manet, fit annihilation et loco substantiae annihilatae, substituitur alia substantia. Atqui per annihilationem unius et substitutionem alterius, non fit conversio. Ergo.

b) Si nihil abscedit, substantia manet completa, non amittit id quo erat haec substantia, potius quam illa; proin non exsurgit substantia *nova*. Si igitur huie substantiae, esse suum prius servant, accedit substantia alia, oritur aggregatum substantiarum, unum per accidentem. Atqui quoties non exsurgit substantia nova, quoties non oritur nisi novum aggregatum substantiarum, non fit conversio unius substantiae in aliam.

Prob. Min. 2^o Syll. Pars substantiae quae manet, est indifferens, determinabilis et in potentia ad varias species substantiarum, ad varias substantias completas; nam prius uno modo determinabatur pertinebatque ad unam speciem, deinde modo alio. Pars quae interit determinabat alterum partem ad unam speciem substantiae; pariter quod parti remanenti accedit, eam iterum determinat ad esse alteram substantiam corpoream. Atqui elementum compositi quod est indifferens, determinabile, in potentia, vocatur *materia*; elementum vero determinans, actuans, vocatur *forma*; si haec forma determinat materiam ad esse substantiam determinatae speciei, vocatur *substantialis*.

I^om ARG. Illud prudenter admitti potest, quo solo explicatur elementa indesinenter coire in easdem species, citra casum, continuumque Dei interventum. Atqui hoc explicatur citra casum Deique interventum, eo solo quod corpus dicitur constare ex materia prima et ex forma substantiali. Ergo.

Prob. Min. Rejecta hypothesi scholasticorum, non explicari posse constantiam specierum, non obstante motu perpetuo, in thesi prajecta jam est probatum. Restat ut comprobetur istius facti, ordinis teleologici, convenientissimam explicationem tradi per systema scholasticorum.

Stante enim hac hypothesi, ex una parte materia appetit formam quacum constituit corpus determinatae speciei; materia autem, perfectior effecta per hanc formam, appetit formam perfectiorem; sic vero successive alias aliasque appetit formas. Quod si vi agentium exteriorum caduca facta fuerit, iterum appetit formas inferiores et sic in statum pristinum relabitur.

Porro haec est prima ratio permanentiae specierum in motu perpetuo substantiarum. — Ex altera parte, forma, utpote principium activum, inclinatur ad producendam sui similitudinem in aliis rebus. Haec autem est altera ratio hujus legis.

Conf. In planta, in bruto et in homine praeter elementa materiae, habetur principium substantiale distinctum, quod est forma substantialis, actus materiae, uti in Psychologia demonstrabimus. Ergo substantiae inorganicae iisdem constant.

Prob. conseq. Materia, uti materia, est eadem, iisdemque proprietatibus gaudet, in organicis atque in inorganicis; imo quod prius erat minerale, post fit vegetale. Ergo si materia organica intrinsecus completetur in ratione corporis per formam, idem convenienter admittitur de materia inorganica.

23. Obj. 1. Ut ex materia et ex forma constituantur una substantia, requiritur ut duas substantiae possint coire in substantiam unam. Atqui hoc est absurdum. Ergo.

Resp. Dist. Maj. Requiritur ut duas substantiae *completae* coadunentur in unam, *Neg.*; duas substantiae *incompletae*. *Subd.* in unam substantiam *simplicem*, *Neg.*; *compositam*, *Subd.* in qua actu maneat pluralitas substantiarum, *Neg.*; in qua actu habetur substantia una, *coalescens ex duabus*, *Conc.*; *Cdt. min.*

Inst. Atqui a) repugnat duas substantias incompletas coire in substantiam unam actu, b) Repugnat substantiam esse incompletam in ratione substantiae.

Obj. 2. *Prob. 1^a subsumptio* dupliciter: a) Eo quod duas substantiae coirent in unam, sequeretur duas partes distinctas coire in unam realitatem. Atqui hoc est absurdum. Ergo.

Prob. Min. Eo quod coirent in unam realitatem, essent partes ex suppositione; et non essent partes, nam una exsurgit realitas. Atqui hoc est pugnantia loqui. Ergo.

Resp. Dist. Maj. Sequeretur duas partes coire in unam realitatem *compositam* h. e. *quae solvi potest in duas*, *Conc.*; in *simplicem* absolute, *Neg.*; *Cdt. Min.* Ad *prob. Min.* *Dist. Maj.* Essent partes potentia distinctae et non essent tales partes. *Neg.* essent partes potentia distinctae et non essent partes distinctae, hoc sensu quod non haberentur duas diversae realitates manentes actu distinctae, *Conc.*; *Cdt. Min.*

Obj. 3. b) Ex eo quod duas substantiae coirent in unam, sequeretur essentiam unius, fieri essentiam alterius; vel unam existere per existentiam alterius. Atqui hoc est absurdum. Ergo.

Resp. Neg. Maj. Exsurgit enim essentia *tertia*, nova, *composita*, *essentialiter diversa* ab utroque componente, *essentialiter eadem* atque duo componentia simul, uti in expositione systematis scholasticorum dictum est.

Obj. 4. *Prob. 2^a subs.* *Ex notione substantiae et accidentis.*

Non datur medium inter substantiam et accidentis; unde absurdum est sententia e qua medium flueret. Atqui flueret eo quod quaevis substantia corporea constaret ex duabus partibus substantialibus; materia enim et forma non essent substantiae, sed partes substantiae. Ergo.

Prob. ass. Maj. Non datur medium inter esse in alio et non esse in alio. Atqui esse in alio est esse accidentis, non esse in alio est esse substantia. Ergo non datur medium inter substantiam et accidentis.

Resp. Dist. ass. Non datur medium inter substantiam sive completam sive incompletam et accidentis, *Conc.*, inter substantiam *completam* et accidentis, *Neg.* — Hinc *Dist. Maj.* Absurda est sententiae quae primum flueret, *Conc.*; qua alterum flueret, *Neg.* *Cdt. min.* Ad *prob. Dist. Maj.* Non datur medium inter esse in alio *inhaesive* tamquam pura modificatio, *et nullo modo* esse in alio *Neg.* Aliquid enim potest esse in alio tamquam pars constitutiva essentiae. Non datur medium inter esse *inhaesive in alio*, et non esse *inhaesive in alio*, *Conc.*; *Cdt. Min.* Esse in alio (nempe in *subjecto*) ut pars constitutiva ejus est esse accidentis, *Neg.*; esse *inhaesive in alio* jam constituto in suo esse primo completo, est esse accidentis, *Conc.*

Explic. a) Quod ex una parte est ens; ex altera vero, neque inhaeret alii ipsum modificando sive tribuendo esse secundum, neque est pars constitutiva alterius; illud est *substantia completa* cui proprie competit esse, sive sit *simplex* sive sit *compositum*. — b) Quod est in alio, nimurum in *subjecto*, in substantia completa, non tamen *inhaesive* sed veluti pars *intrinseca*; illud est pars substantiae, sive substantia incompleta. — c) Quod tandem advenit *subjecto* jam in esse suo

substantiali complete constituto, ei inhaeret, ipsum modifcat tribuitque modum essendi secundarium, illud est accidens et propriissime a Philosopho dicitur esse in alio.

Obj. 5. Materia fit per creationem. Atqui quod fit per creationem non habet esse a forma, adeoque per eam non actuatur.

RESP. *Conc. Maj.*, notatur tamen primas formas *concreari* materiae. *Dist. Min.* Quod creatur non habet a forma *omne esse* suum, quasi per se esset *potentia objectiva*, *Conc.*; non determinatur per formam ad esse suum *specificum*, adeoque ad hoc ut sit *substantia completa*, *Neg.*; *Dist. cons.* eodem modo.

24. Coroll. *Corporis essentia stat in eo quod est substantia realiter composita*. — Per talem enim definitionem : a) corpus distinguitur ab eo quod non est corpus; b) declaratur vera radix proprietatum et qualitatum corporearum, de quibus capite sequenti agetur. — Huic definitioni essentiali saepe additur proprietas, quod corpus naturaliter exigit trinam dimensionem, vel etiam quod est formaliter continuum.

Scholion. 1. Veteres recte statuerunt tria esse principia generationis in fieri corporis : *materiam*, *formam*, *privationem*. Ad cuius effati intelligentiam notare juvat, *principium* dici id ad quod consequitur alterum nexus intrinseco; hoc alterum vocari *principiatum*. — Sensus igitur effati scholastici est, ad tria praefata nexus intrinseco consequi corpus quod generatur. Porro substantiam completam consequi ad materiam et ad formam, constat eo quod materia et forma sunt causae intrinsecæ substantiae completae, uti modo dictum est. Privationem recte dici *principium generationis* in fieri colligitur ex notione privationis et ex indole materiae :

Privatio enim est carentia formae in eo quod est in potentia ad formam sive etiam « absentia formae a subjecto apto. » Jamvero materia ex se est in potentia ad formam, est apta ad eam recipiendam, eaque caret; in tantum autem forma informat, in quantum aptitudinem et potentiam habet. Recte igitur haec potentia sive aptitudo vocatur *principium generationis*.

Scholion. 2. Materia prima et forma substantialis sunt : a) *Substantiae incompletæ*. — *Incompletæ* inquam; quod enim indiget determinari aut determinare, quod exigit alteri uniri, id pos-

tulat perfici et proin non est completum ex propria sua ratione.

— *Substantiae*; ex materia enim et ex forma, oritur primo substantia completa, natura completa, essentia completa.

b) *Causae intrinsecæ compositi*. Causalitas autem materiae et formae reponitur unice in eo, quod per unionem suam determinant existentiam compositi, cui intrinsecæ sunt et a quo singulae realiter, licet inadæquate, distinguuntur. Quamobrem dicuntur *principia essendi*, intrinsecus constitutiva corporis. — Patet in systemate D. Thomae causalitatem materiae et formae nullatenus reduci ad causalitatem efficientem, sed contineri unice mutua entitatis suae communicatione, beneficio cuius constitutitur ens tertium.

25. Schol. 3. Materia est a) *Subjectum eductionis*, h. e. est id ex quo forma educitur; b) *Subjectum inhaesisionis*, saltem improprie, h. e. id cui forma inexistit; c) *Subjectum informationis*, h. e. id quo forma elevat ad determinatam speciem.

Schol. 4. Materia passive evolvitur, h. e. materia per formam substantialiem perfectior facta, capax fit ut ex ejus potentia educatur forma perfectior; haec si educitur, iterum materia fit perfectior et capax praestantioris formae suscipiendae; sic res inorganica in organicam convertitur. — E contra materia dispositionem ad formam praestantiorum amittere potest, et ad pristinum inferioremque statum redire. Sic ex viventibus fiunt anorganica. In hoc autem fluxu formarum, eamdem materiam informantum, formae pristinae, adveniente nova, corrumpuntur penitus, adeoque non conservant nisi virtualiter.

26. Schol. 5. *Proprietates formarum*. — Prima est *appetitus materiae*. Forma enim appetit id quo naturaliter completur, et quocum constituit corpus, ad quod naturaliter ordinatur.

Secunda est *simplicitas* sive *indivisibilitas*. Forma concipi potest simplex indivisibilisque duobus modis :

a) *Quoad essentiam*. quatenus non constat ex principiis diversis; talis autem indivisibilitas *omni formae competit*.

b) *Quoad entitatem*, idque dupliciter :

α) *Simpliciter et absolute*, quatenus non constat ex partibus, sive non est continua; talis forma informat materiam, eo quod est tota in tota materia, totaque in singulis materiae partibus. Hac simplicitate gaudet *anima humana*.

3) Secundum quid et naturaliter, quatenus partes, quibus quidem constat forma, interno nexus ita inter se devincuntur, ut alia sine aliis esse non possit; sive quatenus natura totius postulat ut talis forma sit in pluribus partibus unitis. Haec forma divisione partium interit.

Igitur omnis formae proprietas est, quod sit *indivisibilis quoad essentiam*. — Forma hominis est *entitative indivisibilis simpliciter*. — Formae materiales sunt *entitative indivisibilis secundum quid*, non eo sensu quod nullius formae materialis ulla divisio fieri possit, nisi intereunte forma, sed quod ultra certos limites divisio protracta non possit.

Schol. 6. *Divisio formarum*. Plures recensentur formae. Forma enim significat vel aliquid quod essentiae non est superadditum; vel aliquid quod superadditur.

A. Secundum priorem acceptiōnē :

1. Vel forma significat *totam essentiam rei*, quae definitur sive per partes physicas, sive per partes metaphysicas. Dicitur *forma metaphysica*. Appellatio formae convenit essentiae quia determinat individuum ad hanc aut illam speciem.

2. Vel forma significat *partem determinantem hujus essentiae* — Ulterius :

a) Vel haec pars determinans *distinguitur ratione* duntaxat a parte determinabili, et dicitur *forma logica*.

b) Vel ab ea distinguitur *realiter*, et dicitur *forma substancialis physica, actus formalis, actus primus*.

Forma autem physica 2) vel *essentialiter a materia pendet* tum in essendo, tum in agendo, et est *materialis*; 3) vel esse et operari potest *a materia prorsus soluta*; dicitur *immaterialis*, sive *subsistens per se*.

B. Secundum posteriorem acceptiōnē :

a) Aliae *absolute* dicuntur formae, suntque *actus secundi substantiae*, sive *accidentia absoluta*, de quibus agetur C. II.

b) Aliae *respective* dicuntur formae, suntque *relationes*, sive *reales* sive *rationis*, quibus substantia instruitur.

CAPUT II.

DE PROPRIETATIBUS CORPORUM.

Duae proprietates ad essentiam corporum primario consequuntur : quantitas et virtus agendi; prior corporibus convenit ratione materiae, posterior ratione formae; secundario et ratione quantitatis convenienter corpori extensio localis, ubicatio circumscriptiva et impenetrabilitas.

ARTICULUS I.

DE QUANTITATE.

§ 1. Notiones. — Quaestiones variae.

27. *Notiones. A. Describitur quantitas in genere*. 1. Quantitas est id quo respondetur quaerenti *quaanta sit res*; sicut qualitas et essentia seu quidditas, sunt ea quibus respondetur quaerenti qualis sit res et quid sit. — Quaerere autem *quaanta sit res*, perinde est ac quaerere *quaenam sit moles* alicujus rei. Quaestio autem haec fieri potest :

a) *De rebus pluribus, ut pluribus et in collectione congregatis*. Harum autem rerum quantitas dicitur *discreta*. De hac in Ontologia tractatum est.

b) *De re una successiva*, h. e. cuius partes inter se secundum prius et posterius ordinantur; videlicet de *motu* et de *tempore*.

c) *De re una permanente*, videlicet de *corpo* in ordine rerum posito. — Considerari autem potest 2) tum quantitas corporis quod mole sua sensus percellit; 3) tum quantitas *moleculariae* corporeae sive elementi. Utraque dicitur *dimensiva*.

2. De omnibus vero his verificatur definitio Aristotelis : Quantum est id quod est divisible in ea quae insunt, quorum utrumque vel unumquodque unum quid et hoc aliquid aptum est

3) Secundum quid et naturaliter, quatenus partes, quibus quidem constat forma, interno nexus ita inter se devincuntur, ut alia sine aliis esse non possit; sive quatenus natura totius postulat ut talis forma sit in pluribus partibus unitis. Haec forma divisione partium interit.

Igitur omnis formae proprietas est, quod sit *indivisibilis quoad essentiam*. — Forma hominis est *entitative indivisibilis simpliciter*. — Formae materiales sunt *entitative indivisibilis secundum quid*, non eo sensu quod nullius formae materialis ulla divisio fieri possit, nisi intereunte forma, sed quod ultra certos limites divisio protracta non possit.

Schol. 6. *Divisio formarum*. Plures recensentur formae. Forma enim significat vel aliquid quod essentiae non est superadditum; vel aliquid quod superadditur.

A. Secundum priorem acceptiōnē :

1. Vel forma significat *totam essentiam rei*, quae definitur sive per partes physicas, sive per partes metaphysicas. Dicitur *forma metaphysica*. Appellatio formae convenit essentiae quia determinat individuum ad hanc aut illam speciem.

2. Vel forma significat *partem determinantem hujus essentiae* — Ulterius :

a) Vel haec pars determinans *distinguitur ratione* duntaxat a parte determinabili, et dicitur *forma logica*.

b) Vel ab ea distinguitur *realiter*, et dicitur *forma substancialis physica, actus formalis, actus primus*.

Forma autem physica 2) vel *essentialiter a materia pendet* tum in essendo, tum in agendo, et est *materialis*; 3) vel esse et operari potest *a materia prorsus soluta*; dicitur *immaterialis*, sive *subsistens per se*.

B. Secundum posteriorem acceptiōnē :

a) Aliae *absolute* dicuntur formae, suntque *actus secundi substantiae*, sive *accidentia absoluta*, de quibus agetur C. II.

b) Aliae *respective* dicuntur formae, suntque *relationes*, sive *reales* sive *rationis*, quibus substantia instruitur.

CAPUT II.

DE PROPRIETATIBUS CORPORUM.

Duae proprietates ad essentiam corporum primario consequuntur : quantitas et virtus agendi; prior corporibus convenit ratione materiae, posterior ratione formae; secundario et ratione quantitatis convenienter corpori extensio localis, ubicatio circumscriptiva et impenetrabilitas.

ARTICULUS I.

DE QUANTITATE.

§ 1. Notiones. — Quaestiones variae.

27. *Notiones. A. Describitur quantitas in genere*. 1. Quantitas est id quo respondetur quaerenti *quaanta sit res*; sicut qualitas et essentia seu quidditas, sunt ea quibus respondetur quaerenti qualis sit res et quid sit. — Quaerere autem *quaanta sit res*, perinde est ac quaerere *quaenam sit moles* alicujus rei. Quaestio autem haec fieri potest :

a) *De rebus pluribus, ut pluribus et in collectione congregatis*. Harum autem rerum quantitas dicitur *discreta*. De hac in Ontologia tractatum est.

b) *De re una successiva*, h. e. cuius partes inter se secundum prius et posterius ordinantur; videlicet de *motu* et de *tempore*.

c) *De re una permanente*, videlicet de *corpo* in ordine rerum posito. — Considerari autem potest 2) tum quantitas corporis quod mole sua sensus percellit; 3) tum quantitas *moleculariae* corporeae sive elementi. Utraque dicitur *dimensiva*.

2. De omnibus vero his verificatur definitio Aristotelis : Quantum est id quod est divisible in ea quae insunt, quorum utrumque vel unumquodque unum quid et hoc aliquid aptum est

esse. E quibus liquet juxta Philosophum, de ratione quanti esse : a) ut dividi possit in ea quae in quanto praेcontinentur; b) ut quaeque pars in essendo pergere possit tanquam aliquod totum determinatum.

B. Describitur quantitas corporea. 1. Corpus quantum constat ex partibus diversis, partes ex molecularis. — Hae autem partes et molecularae : a) Sunt entitative una extra aliam; ratione cuius rei, corpus dicitur habere extensionem entitativam. b) Determinato aliquo ordine inter se uniuntur; ratione cuius, corpus dicitur habere extensionem quantitativam internam.

2. Ratione harum partium, corpus quantum naturaliter postulat ut in ordine ad locum et ad situm, una pars sit extra aliam. Hoc autem postulare est habere aptitudine extensionem localem, ad quam consequitur extensio actualis localis, vi cuius una pars ponitur actu extra aliam secundum locum.

3. Est divisibile in partes quae in eo praеcontinentur, ita ut, divisione facta, singulae partes totum aliquod constituant.

4. Est impenetrabile ceteris corporibus, et singulae partes sunt impenetrabiles inter se.

5. Potest mensurari alio corpore et esse hujus mensura.

6. Est trinae dimensionis, sive expanditur in longum, in latum, in profundum. — Quapropter terminatur per superficies; hae terminantur per lineas; lineae per puncta. — Horum singula concipi possunt sine aliis. Hinc linea, in sensu formalis, est longitudo sine latitudine; superficies, est longitudo et latitudo sine profunditate; punctum caret longitudine, latitudine, profunditate.

C. Describitur quantitas elementorum. 1. Elementum continuum praeter partes essentials, nempe materiam et formam, habet insuper partes integrantes quae constituunt moleculam integrum. Sic in molecula designari possunt variae partes, quarum alia ad dexteram est, alia ad laevam. Partium istarum singulæ ex materia et ex forma constant; aliae ab aliis distinguuntur saltem potentia; demum aliae cum aliis continuantur. — Ratione compositionis ex partibus integrantibus elementum : a) Habet quadantenus extensionem entitativam et quantitativam internam; b) habet aptitudine extensionem localem sive mōlem;

c) est divisibile in partes quae in eo praеcontinentur; d) est impenetrabile; e) mensurabile et mensura; f) triuæ dimensionis.

Continuum formale definitur cum Aristotele : *Id cuius extrema sunt unum*, sive id cujus extrema communī termino copulantur.

2. Ea quae non sunt continua, sunt : a) vel contigua, quorum extrema sunt simul; b) vel distantia, inter quae habetur aliquid diversæ rationis.

3. Tempus et motus, sunt formaliter continua successiva.

28. I^a Quaestio. In quonam ex praefatis reponenda est *essentia quantitatis*; sive aliter, quum per quantitatem varia donentur substantiae corporeae, quaeritur quidnam ex his diversis tale sit ut, eo habito, substantia molecularis intelligatur esse quanta; eo deficiente, substantia a quantitate deficit; quidnam ex una parte immediate habeat rationem sui in substantia, ex altero ipsum sit ratio ultima et radix ceterorum quae elemento quanto convenient. — Quae quaestio sic etiam proponi consuevit : *Quisnam est effectus formalis primarius quantitatis, exsurgens immediate, per se, necessario, ex unione quantitatis cum substantia?*

RESB. Secundum communem scholasticorum sententiam, non reponiter in extensione locali actuali. — Ratio est quia corpus Christi realiter praesens in Eucharistia privatur extensione locali; jamvero communiter censem theologi illud non privari quantitate. — Quare neque reponitur essentia quantitatis in his quae extensionem localem praesupponunt et ratione hujus convenient corpori, puta in divisibilitate, impenetrabilitate etc.

— Itaque dicendum est essentiam quantitatis consistere aut in ipsam compositione ex partibus integrantibus, uti velle videtur Aquinas; vel in positione partium extra partes in ordine ad se, uti vult cl. Pesch; vel in extensione locali aptitudinali, uti vult Suarez.

Ex his velut corollarium fluit extensionem localem esse *actum quantitatis*; fluit etiam eam a quantitate modaliter distingui siquidem est separabilis a quantitate et fundat relationes reales distantiae inter diversas partes.

I^b Quaestio. Cum continuum constet partibus quarum aliae cum aliis continentur et in quas aliquousque dividi queat,

quaeritur utrum hae partes inter se distinguantur et quousque divisio porrigi possit.

III^a Quaestio. Denique quaeritur de eo quod ad extensionem localem consequitur, scilicet de *impenetrabilitate*.

§ 2. De partibus et de divisibilitate continui.

29. De partibus continui. Distinguitur pars *entitativa* et pars *formalis*.

1. De ratione partis *formalis* sunt : a) *Entitas*, b) *Terminus*, seu *limes*. — Nam ut in aliquo habeantur pars et pars, debent haberi duo distincta, sive duae entitates cum extremitatibus.

Limites tripliciter exsurgere possunt : a) vel ex eo quod partes continui ex se limitibus circumscribuntur, puta quod aliae aliis qualitatibus sensibilibus afficiuntur; b) vel eo quod designantur limites per actum intellectus; quae designatio vocari potest divisio, vel distinctio, *intentionalis*; c) vel eo quod artificialiter inducuntur limites, ita tamen ut ab invicem non separantur partes; secus enim singulae fierent totum aliquod, et proin jam deciderent a ratione partis.

Antequam limites artificialiter sunt inducti vel designati sunt, *partes formales per se non actu sed potentia inter se distinguuntur et propria sola potentia in continuo praecontinentur*. Ratio est quia hae partes per se limitibus carent. Attamen per accidens, puta in viventibus, actu inter se distinguuntur.

2. De ratione partis *entitativa* est *sola entitas* quae limite affici potest et sic a ceteris aut realiter aut intentionaliter distingui. — *Partes entitativa inspectae actu praecontinentur in continuo*. Attamen secundum talen modum praecexistendi, non constituant pluralitatem entitatum; si enim haberentur entitates plures, una non esset alia, initium et finem haberet, limitibus definiretur, essetque pars formalis. Igitur *ante limitum inductionem, non habetur nisi entitas una composita*.

30. De divisibilitate continui. Esse divisibile est posse resolvi in partes. — Aliquid potest concipi esse divisibile : a) simpliciter vel secundum quid; b) physice vel mathematice; c) absolute vel relative.

1. Divisibile : a) *simpliciter*, in partes resolvi potest secundum ommem dimensionem : tale est *solidum*; b) *secundum quid*, secundum aliquam tantummodo dimensionem in partes resolvit : tales sunt *linea* et *superficies*.

2. Divisibile a) *physice* potest realiter, saltem per Deum, resolvi in partes, quae in essendo perseverant per modum totius. Hae partes vocantur *physicae*. b) *Divisibile mathematice* in partes *physicalias* resolvi nequit; verum in eo assignari possunt, saltem a Deo, partes quibus propria est *realitas* et *proprius limes*. Hae partes dicuntur *pure mathematicae*.

3. Quod est divisibile : a) *absolute*, potest realiter per Deum in partes resolvi; b) *relative*, a causis naturalibus cognitis in partes resolvi potest.

Thesis 5. Continuum *formale*, *mathematice consideratum*, est sine fine in partes divisibile.

31. PROB. Indirecte. Si continuum dividiri sine fine non potest, admittendum erit illud exsurgere ex indivisibilibus, quae vel extensa erunt vel inextensa. Atqui absurdum est continuum *formale* constare ex indivisibilibus, sive extensa esse dicantur, sive inextensa. Ergo.

Prob. 1^a pars Min. Absurdum est continuum *formale* constare ex indivisibilibus habentibus potentia partes. Implicat enim aliquid habere potentia partes et illud esse *mathematice indivisible*, seu in eo non posse distinguiri duas realitates. Atqui quod est extensum, potentia habet partes. Ergo.

Prob. 2^a pars Min. Ista inextensa quae efformare ponuntur continuum *formale*, vel se tangunt, vel se non tangunt. Atqui absurdum est continuum *formale* exsurgere ex inextensis sive dicantur se tangere sive dicantur se non tangere. Etenim a si se tangunt, non valent se tangere secundum extrema, nam extrema non habent; unde se tangent secundum se tota, sive se compenetrabunt; sed quae se compenetrant, nullum continuum efformare valent. Ergo. b) Si se non tangunt, inter singula vacuum habetur; posita autem hac hypothesisi, non haberi valet substantia corporea formaliter continua. Atqui continui existentia contra dynamistas vindicata est. Ergo.

§ 3. *De impenetrabilitate.*

32. DEFINITIO NOMINALIS. Penetrare aliquid, sive penitus intrare, in quantum de corpore dicitur, est occupare eundem locum atque alterum corpus; sive esse ubi simul alterum est. Hinc impenetrabile esse est non sinere ut idem locus ab alio corpore occupetur. Itaque impenetrabilitas, sive id quo corpus impenetrabile fit, dicitur *ut quo corpus unum cetera corpora impedit ne sint ibi, ubi ipsum sit.*

DEFINITIO ESSENTIALIS. Quaeritur per quid tum aliae partes corporis sint actu impenetrabiles aliis partibus, tum totum corpus sit impenetrabile aliis corporibus.

RESP. 1. *Corpus non fit actu impenetrabile per quantitatem.* Nam a) quantitate non spoliatur corpus Christi in Eucharistia; penetratur tamen naturaliter per species eucharisticas. b) Per solam quantitatem corpus nondum actu est extensum localiter adeoque non occupat locum.

2. *Corpus non fit impenetrabile per vim aliquam resistendi,* qua totum corpus aliis corporibus, singulaeque partes ceteris ejusdem corporis partibus, obsisterent ne ab ipsis penetrarentur. Etenim si una pars actu exserit vim resistivam respectu compartium, variae hae partes, quae inter se vim resistivam exercent, actu distinguantur oportet, et proin opus est ut per se actualis pluralitas entitatum habeatur in continuo, quod falsum esse demonstratum est. Hoc requiri constat ex eo quod hae actiones forent transeuntes, (nam excludenda est a corporibus anorganicis operatio immanens); inter agens autem transeunter et passum, intercedit distincto realis. — Si vero partes quae potentia distinguntur inter se, sunt aliae aliis impenetrabiles citra vim resistivam, dicendum etiam erit unus corpus esse alii impenetrabile citra hujuscemodi vim.

3. Quapropter corpus est impenetrabile actu, eo quod postulat naturaliter ut *partes extra se mutuo localiter extendantur, et totum corpus extra alia corpora;* sive eo quod extensio localis talis est ut, hac data, partes inter se, et totum corpus cum alio corpore, eundem locum occupare non valent.

ARTICULUS II.

DE VIRIBUS CORPORUM.

Prologus. Quaeritur 1^o *quid corpora mineralia efficere valeant.* — Ex probatis in *Ontologia* n. 121 constat corpora pollere vi agendi, adeoque ea esse causas variarum modificationum (v. g. caloris, coloris, motus) quas videntur efficere in aliis corporibus. Inquiritur speciatim, utrum corpora valeant generare substantias novas seu educere formas substantiales ex potentia materiae primae h. e. tam profunde mutare materiam ut fiat substantia novae speciei. — Quaeritur 2^o utrum omnes vires corporeae extrinsecus adveniant ac imprimantur, an quaedam vires ad essentiam corporis consequantur tamquam ejus proprietates. — Quaeritur 3^o utrum vires corporeae necessario agant, an contingenter.

In *Ontologia* examinatum est utrum substantia agat per vires realiter a se distinctas, adeo ut ex se non sit nisi principium radicale agendi, an secus. — In cap. I. Cosm. n. 14. ostensum demum est nullum corpus agere immediate in distans.

§ 1. *Corpora possunt vi generandi formas substantiales.*

Thesis 6. Formae substantiales materiales educuntur e potentia materiae; quae eductio efficienter procedere potest a causis naturalibus.

33. Sensus. Cum duo corpora, inter quas viget affinitas, debito modo conjuncta localiter mutuas qualitates alteraverunt, brevi ad aliam speciem corpoream transeunt, adeoque ex utriusque potentia educta est forma substantialis nova. Porro haec forma fuit effecta in materia per corpora prioris speciei in se mutuo agentia; mutuus nempe influxus tunc cessavit cum nata est nova forma qua formaliter expulsa est forma praecedens.

PROB. Formae materiales, quae successive eamdem materiam informant: 1^o vel omnes actu materiae insunt in eaque latitant; vel actu ei non insunt. Si posterius illud contingit: 2^o vel non elucuntur ex potentia materiae; vel ex ea educuntur. Ulterius

3º vel hoc fit a solo Deo; vel 4º, etiam a causis naturalibus. Atqui tria priora sunt rejicienda. Ergo manet ut dicatur, formas materiales ex potentia materiae educari, etiam a causis naturalibus.

Prob. 1^a pars Min. Consequens enim esset, formas numero infinitas, actu in materia preecontineri. Quaevis enim substantia corporea converti potest, saltem a Deo, in alias substancialias sine fine. Cum autem in conversione substanciali, materia substancialiae quae convertitur remaneat, actu preecontinere deberet omnes istas formas, quae per conversionem in ipsa inveniuntur.

Prob. 2^a et 5^a pars Min. Illud tanquam falsum est rejiciendum, e quo fluoret occasionalismus. Atqui eo quod formae substanciales non educerentur ex potentia materiae, seu, quod idem est, eo quod crearentur (nam creari est produci ex nihilo sui et ex nihilo subjecti, h. e. non ex subjecto concurrente passive), vel ex eo quod a solo Deo educerentur ex potentia materiae; fluoret occasionalismus. Ergo nequit dici formas substanciales non educi ex potentia materiae, neque dici potest eas a solo Deo sic educari.

Prob. Min. Formae substanciales in nascendo sequentibus adjunctis vestiuntur : a) determinatae formae substanciales producuntur ad determinatam actionem causae naturalis circa determinatum subjectum; b) inter formam productam et agens naturale, intercedit ea proportio, quae requiritur inter causam et effectum. Atqui ex eo quod formae substanciales, hisce adjunctis vestitae, non educerentur ex potentia materiae, vel a solo Deo ex hac potentia educerentur, fluoret occasionalismus.

§ 2. Quaedam vires ex essentia corporis emergunt.

34. Sunt quaedam vires activae quae omnibus corporibus sunt communes. Aliae potentiae sunt aliis corporum speciebus propriae : quaeque enim corporum species cum certis aliis speciebus se combinare in novas species potest, per praeviam mutuamque qualitatum alterationem; unumquodque etiam corpus in aliud influxum exercere potest citra substancialem mutationem. — Quaenam vero sint potentiae activae sive omni-

bus corporibus communes, sive singulis speciebus propriae, perpenditur per scientias physicas. — Cosmologiae examinandum est utrum hae potentiae sint *accidentales* et *extrinsecus adveniant*, an tanquam *proprietates ex essentia dimanent*, et proinde merito *essentialies* dicantur.

Circa quam quaestionem duae sunt sententiae :

I^a SENTENTIA. Corpora per se sunt inertia et destituuntur omni vi agendi, sive producendi effectum; imprimatur iis ab extrinseco motus localis; corpora autem, vi motus impressi, gaudent potentia communicandi motum localem corporibus obviis. Praeter hanc vim locomotivam extrinserus impressam per motum localem, non competit corporibus alia potentia.

II^a SENTENTIA. Praeter potentias quae corporibus fortassis extrinsecus adveniunt, habentur et potentiae quaedam activae ex essentia corporum emergentes, tanquam proprietates ejus.

Thesis 7. Quaedam potentiae activae ex essentia corporum emergunt.

35. Argumentis, quae supra sunt allata in thesi secunda contra atomistas, sequens addatur :

I^m ARG. Ex eo quod omnes vires corporum essent accidentales, et ab extrinseco eis imprimerentur, consequens esset vel quantitatem energiae, inter corpora mundi complexive sumpta, non esse constanter eadem; vel hanc quantitatem esse constanter simul et actualem. Atqui utrumque theoriis physicorum contradicit. Ergo vires quaedam ex essentia pullulant.

Prob. Maj. Si nulla energia corpori est essentialis, sed tantum imprimitur extrinsecus, haec energia dicenda est stare in motu qui extrinsecus imprimitur corpori. Jamvero vel nunquam variantur numerus et intensitas motuum qui imprimuntur in corporibus complexive sumptis, vel haec variantur. Si primum dicitur, energia erit quidem constanter eadem, at erit actualis; si secundum dicitur, quantitas energiae non est constanter eadem; nam, vi istius sententiae, nulla manet energia in corpore non moto.

Prob. Min. Secundum physicos energia est semper eadem, non quidem uti est actualis, verum uti praescindit a differen-

tiis energiae actualis et potentialis. — Energia autem potentialis intelligitur ea quae in corporibus est reducibilis ad actum, attentis conditionibus sub quibus corpora in se invicem agunt (1).

36. Scholion. Vires quae tamquam proprietates ex substantia corporea emergunt, consequuntur ad formam, non autem ad materiam. Quale enim operari, tale esse; ubi operatio specie diversa, ibi esse specie diversum. Igitur a quo substantia completa habet ut sit hujus vel illius speciei, ab eo habet ut hanc aut illam operationem eliciat. Sed a forma nascitur substantia speciem suam. Ergo.

§ 3. De necessitate et contingentia legum physicarum.

Quaestio heic tractanda, dupli modo proponitur: a) utrum natura et vires naturae agant necessario an contingentiter; b) utrum leges physicae sint necessariae an contingentes.

37. Notiones. NATURA. 1. Definitur: *Principium radicale operandi et patiendi*. Operatur per principium proximum, quod dicitur vis, potentia.

2. Translatum est nomen naturae ad alia significanda: a) Significat universitatem rerum, sive mundum. Hoc significatum natura dicitur *universalis* et opponitur naturae particulari de qua modo dictum est. Definitur *complexus naturarum particularium quae, coordinate et subordinate agentes, sunt causae seriei eventuum mundanorum*. b) Significat auctorem mundi, qui etiam vocatur *natura naturans* in oppositione ad *naturam naturalitatem*, quo nomine intelligitur mundus et res particularis.

38. B. LEGES PHYSICAE. 1. Natura quaevis singularis per vires sibi insitas, in iisdem adjunctis, sive in eodem actu primo proximo, semper agit eodem modo, producitur eundem effectum; hoc enim sequitur eo quod libertate caret. Hic modus *constans et uniformis secundum quem fiunt operationes naturae specialis*, dicitur ejus regula, lex physica particularis.

(1) Cfr. CARBONNELLE, *Confins de la science et de la philosophie*. t. I, ch. 3, p. 129-132.

Lex physica diversimode enuntiatur: a) Aut per modum proprietatis. Sic: ferrum est gravius aqua. Oxygenum cum hydrogenio secundum certas proportiones se combinat. — b) Aut per modum facti universalis. Sic: sol movetur ab oriente versus occasum. — c) Aut indicando efficientiam vel agendi modum. Sic: attractio exercetur ea lege, ut minuatur, crescente distantia et augeatur, minuente distantia. Corpus cibo nutritur, calore extenditur.

Aliae leges physicae sunt essentiales; aliae vero sunt accidentales. Priors dimanant ab essentiis corporum. Postiores originem repetunt ex aliquo quod essentiae corporis supervenit, puta e motu quem Deus ab initio mundo indidit. Talis est rotatio terrae supra axem suum spatio viginti quatuor horarum. Corpora, supposita eorum essentia, non possunt per se non regi prioribus legibus. Potuisserunt, salva manente essentia, regi aliis legibus ac posterioribus.

2. Cum multae naturae, eaeque diversae, coexistant, singularem leges physicae particulares sunt fundamentum relationum constantium inter varia corpora. Hae relationes vocantur *ordo naturae*. — Ordo est particularis vel universalis. Prior est relatio quam natura aliqua *particularis* vi legum suarum habet ad alias naturas. Posterior est *complexus ordinum particularium*.

5. Effectus operationum naturarum particularium consequuntur secundum has relationes sive secundum hunc ordinem. Horum eventuum consecutio vocatur *cursus naturae*.

Thesis 8. Leges physicae sunt necessariae, non quidem absolute, sed hypotheticæ.

39. I^a PARS. *Leges physicæ non sunt absolute necessariae.*

Sensus. Non absolute necesse est ut corpora producant eum effectum quem revera ab iis produci cernimus.

Prob. 1. Absolute non est necesse corpora existere. Ergo nec operationes eorum sunt absolute necessariae.

2. Supposita existentia corporum, absolute necessarius non est ordo qui de facto inter corpora habetur. Deus enim potuissest primitus disponere elementa materialia eo modo quo alia

systemata stellaria, alia habitudo astrorum ad invicem, alia constitutio telluris nostrae, habita fuissent. His autem datis, multae conditiones requisitae ad certas operationes, corporibus defuisse, aut fuissent diversae; quamobrem corpora et eorum operationes alii legibus regerentur.

3. Supposito praesenti ordine, Deus potest impedire ne corpus, cui praesto sunt ceterae conditiones, in operationem consuetam transiliat. Ad hoc enim sufficit, vel ut corpori, activitatem suam exercere nitenti, concursum suum ad agendum deneget, vel ut passo, in quo recipi debet terminus actionis, deneget concursum passioni requisitum. Atqui, hoc dato, lex regens operationes corporis non potest dici absolute necessaria. Ergo.

II^a PARS. Leges physicae sunt hypothetice necessariae.

40. *Sensus.* Corpora necessario agunt uti agunt, quoties stipantur conditionibus ad agendum requisitis, inter quas conditiones habetur concursus divinus.

PROB. Corpora sunt causae necessario agentes. Atqui quaevis causa necessario agens, tantum agit quantum potest; sive in iisdem adjunctis necessario semper eodem modo agit. Ergo corpora, dum stipantur iisdem conditionibus, constanter agunt certo modo.

CAPUT III.

DE ACCIDENTIBUS.

Postquam actum est de his quae necessario ad corporum constitutionem consequuntur, jam de diversis modificationibus quae contingenter supervenient, modo adsumt, modo absunt, est agendum. Talia autem potissimum sunt qualitates alterativa, motus, condensatio et rarefactio.

ARTICULUS I.

DE QUALITATIBUS CORPORUM.

41. Corpora percipiuntur sensibus, non ratione substantiae, sed ratione variorum modorum sese habendi sive modificationum. Sic corpus attingitur uti est coloratum, sonorum, calidum, sapidum, odoratum, durum, molle, insignitum electricitate et magnetismo. Ea autem quibus corpus est coloratum, sonorum, etc. sive colores, calor, sonus, etc. dicuntur qualitates corporeae, aut etiam sensibilia.

Petitur quid sint a parte rei qualitates quarum ratione corpora sensibus percipiuntur; utrum videlicet sint in corpore eo ferme modo quo per sensationes repraesentantur, an securi; sive aliter utrum sint formaliter in corporibus, an causaliter tantum.

Sententiae. I^a est Atomistarum et Dynamistarum. Juxta eos qualitates corporeae objective consideratae non sunt nisi diversi motus elementorum corporeorum (1).

II^a est Peripateticorum. Juxta eos sensibilia propria sunt modificationes intrinsecæ elementorum corporeorum, sive *accidentia absoluta*. Hae modificationes quatenus sibi succedunt in corporibus, recte dicuntur alterationes. Itaque id quod per sensationem repraesentatur, non tantum determinatur a corporibus, sed eo ferme modo corpori inest quo modo repraesentatur; sive corporibus convenit causaliter et formaliter.

Praeter illud dogma fundamentale, admittebant veteres peripatetici modificationem hanc intrinsecam, in qua sita est essentia qualitatis, non concomitari motum localem; vicissim admittebant in corpore produci posse motum localem, nulla producta alteratione. Neo-peripatetici, ut physicorum difficultatibus facere possint satis, praeter dogma fundamentale mox relatum, sequentia admittunt :

(1) Cfr. CARBONNELLE, *Confins de la Sc. et de la Phil.* T. I. ch. 2, p. 99 et pp. 133-144.

systemata stellaria, alia habitudo astrorum ad invicem, alia constitutio telluris nostrae, habita fuissent. His autem datis, multae conditiones requisitae ad certas operationes, corporibus defuisse, aut fuissent diversae; quamobrem corpora et eorum operationes alii legibus regerentur.

3. Supposito praesenti ordine, Deus potest impedire ne corpus, cui praesto sunt ceterae conditiones, in operationem consuetam transiliat. Ad hoc enim sufficit, vel ut corpori, activitatem suam exercere nitenti, concursum suum ad agendum deneget, vel ut passo, in quo recipi debet terminus actionis, deneget concursum passioni requisitum. Atqui, hoc dato, lex regens operationes corporis non potest dici absolute necessaria. Ergo.

II^a PARS. Leges physicae sunt hypothetice necessariae.

40. *Sensus.* Corpora necessario agunt uti agunt, quoties stipantur conditionibus ad agendum requisitis, inter quas conditiones habetur concursus divinus.

PROB. Corpora sunt causae necessario agentes. Atqui quaevis causa necessario agens, tantum agit quantum potest; sive in iisdem adjunctis necessario semper eodem modo agit. Ergo corpora, dum stipantur iisdem conditionibus, constanter agunt certo modo.

CAPUT III.

DE ACCIDENTIBUS.

Postquam actum est de his quae necessario ad corporum constitutionem consequuntur, jam de diversis modificationibus quae contingenter supervenient, modo adsumt, modo absunt, est agendum. Talia autem potissimum sunt qualitates alterativa, motus, condensatio et rarefactio.

ARTICULUS I.

DE QUALITATIBUS CORPORUM.

41. Corpora percipiuntur sensibus, non ratione substantiae, sed ratione variorum modorum sese habendi sive modificationum. Sic corpus attingitur uti est coloratum, sonorum, calidum, sapidum, odoratum, durum, molle, insignitum electricitate et magnetismo. Ea autem quibus corpus est coloratum, sonorum, etc. sive colores, calor, sonus, etc. dicuntur qualitates corporeae, aut etiam sensibilia.

Petitur quid sint a parte rei qualitates quarum ratione corpora sensibus percipiuntur; utrum videlicet sint in corpore eo ferme modo quo per sensationes repraesentantur, an securi; sive aliter utrum sint formaliter in corporibus, an causaliter tantum.

Sententiae. I^a est Atomistarum et Dynamistarum. Juxta eos qualitates corporeae objective consideratae non sunt nisi diversi motus elementorum corporeorum (1).

II^a est Peripateticorum. Juxta eos sensibilia propria sunt modificationes intrinsecæ elementorum corporeorum, sive *accidentia absoluta*. Hae modificationes quatenus sibi succedunt in corporibus, recte dicuntur alterationes. Itaque id quod per sensationem repraesentatur, non tantum determinatur a corporibus, sed eo ferme modo corpori inest quo modo repraesentatur; sive corporibus convenit causaliter et formaliter.

Praeter illud dogma fundamentale, admittebant veteres peripatetici modificationem hanc intrinsecam, in qua sita est essentia qualitatis, non concomitari motum localem; vicissim admittebant in corpore produci posse motum localem, nulla producta alteratione. Neo-peripatetici, ut physicorum difficultatibus facere possint satis, praeter dogma fundamentale mox relatum, sequentia admittunt :

(1) Cfr. CARBONNELLE, *Confins de la Sc. et de la Phil.* T. I. ch. 2, p. 99 et pp. 133-144.

a) Qualitates sensibiles corporum conjunguntur cum motibus vibratoriis, qui hisce qualitatibus sunt proportionati. — Consequenter corpora sunt colorata, sonora, etc., ratione intrinsecæ modificationis accidentalis, quæ secum annexum habet motum vibratorium molecularum corporearum.

b) Hujus autem motus, qualitati annexi, *causa efficiens instrumentalis est haec ipsam qualitas*; sive aliter, agens extrinsecum in corpore producit immediate et per se intrinsecam modificationem, quæ est calor, color, etc.; mediante hac qualitate, producit motum in substantia corporea.

c) Imo quotiescumque agens extrinsecum motum localem in corpore producit, hunc motum non gignit, nisi substantiam corpoream instrinsecus modificando et alterando.

Thesis 9. Qualitates propriae corporum non sunt dumtaxat motus vibratorii; sed sunt imprimis verae et intrinsecæ corporum modificationes (1).

42. PROB. I^m ARG. Illud admitti juvat, quo rejecto, via ad idealismum videtur sterni. Atqui, rejecto qualitatibus propriis sensuum per se discretivorum esse intrinsecas corporum modificationes, rejecto haec sensibilia formaliter inesse corporibus, via ad idealismum sterni videtur. Ergo.

Prob. Min. Hoc enim rejecto, sensatio non tantum in corporibus non percipit ea quæ iis insunt, videlicet motus locales; sed insuper percipit ea quæ neque formaliter neque causaliter iis convenient, videlicet colores, duritiem etc., et proin ea percipit ope formarum subjectivarum et innatarum. Atqui sic via ad idealismum panditur. Ergo.

Ad Maj. Praefatae repraesentationes non determinari valent

(1) Admittimus profecto qualitates perceptas per eos sensus, qui sunt per se discretivi objectorum, inesse rebus eo modo quo percipiuntur; dein qualitatem quæ percipitur sensu per se non discretivo objecti, esse quidem modificationem intrinsecam; verum admissendum videtur hanc qualitatem non inesse rei eo prorsus modo quo apprehenditur. Sic sonus, sapor, odor non sunt in re prorsus similia ei quod sensibus apprehenditur.

per objectum, quatenus est se movens; nam motus non determinat ex se nisi motum, secus deesse videtur proportio inter causam et effectum. Ergo non tantum rebus non insunt formaliter, quod adversarii sane concedunt, sed etiam causaliter non insunt.

Prob. Min. Si qualitates propriae percipiuntur secundum ea quae nec formaliter nec causaliter insunt corporibus, cur dubitari non potest de valore objectivo sensationum repraesentantium qualitates communes, puta extensionem? Sed, hoc dubio admissum, corruit omnis certitudo de corporum existentia, et transitur ad castra idealistarum.

I^m ARG. Si merito concludunt dynamistæ motui molecularum corporearum annexam non esse modificationem intrinsecam, eodem jure concludi potest in sensationibus nihil haberis nisi motus locales centrorum nervosorum cerebri. Atqui illud posterius ponere absurdum foret; nam, uti in psychologia demonstratur, habetur in sensatione species sensibilis repraesentativa objecti qua facultas sit actu cognoscens. Ergo.

Ad Maj. Juxta facta a recentissimis physiologistis explorata, quoties in animali habetur sensatio, toties in centro aliquo nervoso cerebri habentur vibrationes, quarum intensitas crescit vel decrescit prout intensitas sensationis crescit vel decrescit. — Hae autem solae vibrationes experimentis Physiologistarum deteguntur. Ergo aequali jure concluderent Physiologistæ in sensatione non haberis nisi motus locales, secluso omni alio facto.

43. Obj. Ea est natura coloris, electricitatis, etc., quæ est natura caloris. Atqui calor non est nisi motus localis. Ergo cetera sensibilia non sunt nisi motus locales.

Ad Maj. Calor, lumen, electricitas, magnetismus, secundum leges determinatas alia in alia convertuntur; unde cum causa praecontineat perfectionem effectus, si unum ex his non est nisi motus localis, cetera etiam non sunt nisi tales motus.

Prob. Min. dupliciter :

a) Motus localis generat calorem, calor generat motum localem, ea lege ut tantum caloris (energiae calorificae) producatur, quantum energiae localiter motricis consumpta fuit. Sive aliter : calor convertitur in determinatam quantitatem motus;

haec iterum converti potest in antecedentem quantitatem caloris. Atqui quae in se mutuo convertuntur, iis est eadem natura.

b) Id quod producitur per solum motum localem, non est nisi motus localis; nam causa praicontinet perfectionem effectus. Atqui calor producitur per solum motum localem.

RESP. Conc. Maj.; Neg. Min.

Ad 1^m prob. *Dist. 1^a pars Maj.* Motus localis alicujus mobilis, quod movetur ratione *nitus* sive impetus, quae sit qualitas alterativa, generat calorem, *Conc.*; *secus*, *Neg.* — *Dist. 2^a pars.* Calor generat motum, producendo *nitus* cui annexatur motus, *Conc.*; *secus*, *Neg.* (Cfr. dicenda de motu locali).

Ad 2^m prob. *Conc. Maj.*; *Dist. Min.* Calor producitur per motum localem cuius causa instrumentalis est *nitus*, qualitas alterativa, *Conc.*; *secus*, *Neg.*

ARTICULUS II.

DE MOTU ET DE UBICATIONE CIRCUMSCRIPTIVA.

44. *Notiones 1.* *Motus est transitus ab uno loco ad alium per medium.* Tria esse de ratione motus localis facile colliges. — *Ratione principi* a quo oritur, motus est *internus*, vel *externus*, prout procedit ab intrinseco vel ab extrinseco. *Ratione principii* iterum est *naturalis* vel *spontaneus* uti in psychologia dicitur. — *Ratione subjecti seu mobilis*, motus est vel *molecularis* vel *mechanicus*, prout solae moleculae vibratione carent vel tota res alio tendit.

Essentia motus. Motus non est ens *permanens*, cuius nempe essentia est tota simul; sed est ens *fluens* seu *successivum*. Etenim essentia motus est *in fieri*, non vero in *facto esse*; cum enim motus factus est, jam non est; sed est, quum fit. — Ergo quaevis pars motus fit et desinit; si enim maneret, esset ens permanens. — Ergo etiam motus incipit et desinit *extrinsece*, non vero *intrinsece*. Etenim a) incipit per ultimum sui non esse (incipit immediate postquam non erat motus), desinit per primum sui non esse (desinit immediate antequam non est motus); b) quaevis pars motus est divisibilis; de nulla igitur dici valet: est prima pars motus, vel est ultima.

2. *Ubicationis circumscriptivae nomine intelligitur id quo corpus localiter extensem est modo hic, modo illic, adeoque quod fundat successivas relationes distantiae hujus corporis ad alia corpora.*

Quaestiones. Quaeritur 1^o Utrum ad hoc ut corpus moveatur, necesse sit ut ei imprimatur *nitus*, qui sit *qualitas alterativa* mobilis et *causa instrumentaria motus*?

2^o Utrum ubicatio circumscriptiva sit *modaliter distincta* a substantia, quantitate et extensiōne locali?

I^a QUAESTIO.

Thesis 10. Corpus movetur ratione *nitus* ei impressi. Porro hic *nitus* est qualitas alternativa corporis et causa instrumentalis motus.

45. PROB. In corpore producitur motus, qui sequentibus gaudeat proprietatibus: a) continuatur in mobili quod jam est subtractum ulteriori influxui agentis; b) nisi vis corpori moto inferatur, non quiescit; c) variatur et retardatur; d) impeditur obstaculo insuperabili, ne ad actum transeat; e) eliditur singulis instantibus per reactionem obstaculi. Atqui talis motus non produci valet in corpore, nisi producatur *nitus*, sive impetus, qui sit: a) causa motrix instrumentalia, h. e. per quem agens extrinsecum corpori motum imprimat; b) qualitas alterativa corporis. Ergo.

Prob. Min. 1. *Producitur nitus in corpore.* — *Explic.* Quando agens extrinsecum corpus movet, producit in illo, sive educit ex ejus potentia, *nitus*, impetus, quo mediante causat in corpore motum localem; impetus eo major est quo major est motus; variatur, variante motu; extinguitur, extincto motu.

Prob. Admissum enim recipi in corpore impetum majorem minoremve, optime explicantur ea quae de motu dicta sunt; secus autem haec vix explicantur. Sic. v. c. quid praeter *nitus* produci valet in corpore quod impeditur obstaculo aliquo ne moveatur; quomodo perdurat motus corporis, sublato influxu motoris extrinseci? Ergo admittendum est corpus motum concipere *nitus* et ratione ejus moveri.

2. Iste nitus est qualitas. — Illud est qualitas quod est modi-

ficatio permanens; atqui nisus est modificatio permanens, non vero aliqua nova species, sive motus, sive ubicationis fluentis. Patet eo quod nisus idem prorsus immutatus manet, quamdiu corpus aliquod motu uniformi recto per spatium fertur.

3. Secundum hanc qualitatem corpus alteratur: a) Quoties enim, uti Physici demonstrant, motus producitur in corpore, hic motus gignitur non instantaneo, sed successive et per partes. Ergo impetus e quo hic motus resultat, est constans ex partibus et consequenter ratione ejus corpus alteratur. b) Pariter motus localis corporis augetur et minuitur; ergo augetur et minuitur nisus ac motus; sed gradus suscipere est alterari.

II^a QUARSTIO.

Thesis 11. Ubicatio circumscriptiva distinguitur modaliter a substantia, a quantitate et ab extensione locali.

Prob. Illud est distinctum saltem modaliter a substantia, a quantitate et ab extensione locali, quod, iisdem his manentibus, potest realiter acquiri et amitti. Atqui, his manentibus iisdem, ubicatio realiter acquiri et amitti potest per mutationem localem. Ergo.

Prob. Min. Per mutationem localem acquiritur et amittitur aliquid reale. Etenim esse hic vel illic est aliquid quod a parte rei est verum; dein mutatio localis fit per actionem aliquam quae terminum realem requirit. Atqui in casu aliud acquiri et amitti nequit nisi ubicatio. Ergo.

ARTICULUS III.

DE CONDENSATIONE ET RAREFACTIONE.

Assertum. Admittenda est substantiae corporeae condensatio et rarefactio proprie dicta.

46. Sensus. Molecula est apta ut, iisdem manentibus substantia et quantitate, modum volumen suum naturale excedat ita ut rarefact, modo volumen occupet minus quam illud quod sibi est naturale, ita ut condenseretur.

Prob. Indirecte. Calore dilatatur corpus, cohaerent tamen variae ejus partes, sive una molecula pergit in attrahendo aliam. Haec autem attractio fit vel immediate in distans, h. e. vacuo intercipiente inter moleculas; vel mediate in distans, h. e. inter moleculas ponderabiles, intussuscepta materia subtiliore; vel ad contactum, in quo casu habetur rarefactio proprie dicta. — Atqui primum et secundum rejicienda sunt. Ergo manet ut actione caloris substantia corporea rarefact; pariter ut recedente calore, condenseretur.

Prob. altera pars Min. Ipsum corpus subtilius, intra poros crassioris intussusceptum, calefit et consequenter rarefit. Haec autem rarefactio contingit vel intussusceptione alius, ejusque iterum subtilioris materiae, in quo casu abimus in infinitum; vel eo quod una pars in distans agit in aliam. — Eo modo arguitur circa corpora gazeiformia, quae indesinenter tendunt ad amplificanda loca quae occupant.

CAPUT IV.

DE INTERNA FINALITATE CORPORUM.

Uti dictum est c. I. art. I. § 1, corpora in elementa perpetuo resolvuntur, ex elementis generantur eadem corpora iisdem proprietatibus instructa. In hoc motu, perseverant eadem species, iudem typi, idem status aequilibrii universi orbis. Ista perseverantia obtinetur vi diversarum operationum, quibus corpora moventur, alterantur, corrumpuntur; idcirco dici potest finis *proximus* operationum substantiarum corporearum. — De fine *ultimo* harum operationum agetur parte secunda. De fine *intermedio*, quod est bonum animalis et hominis, pauca dicentur initio partis posterioris. De eodem tractat Psychologia.

47. Ut dictum est in Ontologia, corpus potest versus finem proximum dirigi a) apprehensive; b) executive. Concipi potest

ficatio permanens; atqui nisus est modificatio permanens, non vero aliqua nova species, sive motus, sive ubicationis fluentis. Patet eo quod nisus idem prorsus immutatus manet, quamdiu corpus aliquod motu uniformi recto per spatium fertur.

3. Secundum hanc qualitatem corpus alteratur: a) Quoties enim, uti Physici demonstrant, motus producitur in corpore, hic motus gignitur non instantaneo, sed successive et per partes. Ergo impetus e quo hic motus resultat, est constans ex partibus et consequenter ratione ejus corpus alteratur. b) Pariter motus localis corporis augetur et minuitur; ergo augetur et minuitur nisus ac motus; sed gradus suscipere est alterari.

II^a QUARSTIO.

Thesis 11. Ubicatio circumscriptiva distinguitur modaliter a substantia, a quantitate et ab extensione locali.

Prob. Illud est distinctum saltem modaliter a substantia, a quantitate et ab extensione locali, quod, iisdem his manentibus, potest realiter acquiri et amitti. Atqui, his manentibus iisdem, ubicatio realiter acquiri et amitti potest per mutationem localem. Ergo.

Prob. Min. Per mutationem localem acquiritur et amittitur aliquid reale. Etenim esse hic vel illic est aliquid quod a parte rei est verum; dein mutatio localis fit per actionem aliquam quae terminum realem requirit. Atqui in casu aliud acquiri et amitti nequit nisi ubicatio. Ergo.

ARTICULUS III.

DE CONDENSATIONE ET RAREFACTIONE.

Assertum. Admittenda est substantiae corporeae condensatio et rarefactio proprie dicta.

46. Sensus. Molecula est apta ut, iisdem manentibus substantia et quantitate, modum volumen suum naturale excedat ita ut rarefact, modo volumen occupet minus quam illud quod sibi est naturale, ita ut condenseretur.

Prob. Indirecte. Calore dilatatur corpus, cohaerent tamen variae ejus partes, sive una molecula pergit in attrahendo aliam. Haec autem attractio fit vel immediate in distans, h. e. vacuo intercipiente inter moleculas; vel mediate in distans, h. e. inter moleculas ponderabiles, intussuscepta materia subtiliore; vel ad contactum, in quo casu habetur rarefactio proprie dicta. — Atqui primum et secundum rejicienda sunt. Ergo manet ut actione caloris substantia corporea rarefact; pariter ut recedente calore, condenseretur.

Prob. altera pars Min. Ipsum corpus subtilius, intra poros crassioris intussusceptum, calefit et consequenter rarefit. Haec autem rarefactio contingit vel intussusceptione alius, ejusque iterum subtilioris materiae, in quo casu abimus in infinitum; vel eo quod una pars in distans agit in aliam. — Eo modo arguitur circa corpora gazeiformia, quae indesinenter tendunt ad amplificanda loca quae occupant.

CAPUT IV.

DE INTERNA FINALITATE CORPORUM.

Uti dictum est c. I. art. I. § 1, corpora in elementa perpetuo resolvuntur, ex elementis generantur eadem corpora iisdem proprietatibus instructa. In hoc motu, perseverant eadem species, iudem typi, idem status aequilibrii universi orbis. Ista perseverantia obtinetur vi diversarum operationum, quibus corpora moventur, alterantur, corrumpuntur; idcirco dici potest finis *proximus* operationum substantiarum corporearum. — De fine *ultimo* harum operationum agetur parte secunda. De fine *intermedio*, quod est bonum animalis et hominis, pauca dicentur initio partis posterioris. De eodem tractat Psychologia.

47. Ut dictum est in Ontologia, corpus potest versus finem proximum dirigi a) apprehensive; b) executive. Concipi potest

ad finem tendere exexecutive tribus modis : 1) *Vi solius motus mechanici*; 2) *vi inclinationis naturalis*, seu *finalitate intrinseca*; 3) *operando vitaliter ad instar vegetalium*. Cfr. *Ont.* n. 151.

Jamvero unaquaeque ex his sententiis patronos suos est adepti : 1. Corpora agere *apprehensive* tenent Hylozoistae et Psychistae, inter quos : a) Pantheistae; b) Heraclitus Ephesius; c) Stoici; d) Leibnitzius (Cfr. c. 1. art. 4. § 2); e) Materialistae multi. 2. Corpora agere *mechanice* tenent Atomistae et Dynamistae. 3. Quid teneant Scholastici docet sequens thesis.

Thesis 12. Ad permanentiam specierum et statum aequilibrii explicanda, non sufficit motus mechanicus substantiae corporeae impressus, sed requiritur finalitas intrinseca. Haec tamen non consistit in apprehensione et appetitu, neque in ullo actu vitali.

48. I^a PARS. Requiritur finalitas intrinseca.

Sensus. Requiritur ut corpori insita sit tendentia naturalis, qua fiat ut indifferens jam non sit ad quaslibet operationes et combinationes. Quapropter non sufficit potentia motus mere mechanico.

PROB. I^m ARG. Expositum est c. 1. art. 3. n. 19. Hujuscce argumenti proposito minor sic aptetur in praesentem thesim : Atqui hoc est consequens ex eo quod substantia corporea nulla finalitate intrinseca regeretur, sed solo motu mechanico.

II^m ARG. *Petitur ex collatione motus mechanici cum operationibus quae a corporibus fieri cernuntur.* Motus mechanicus ab agente aliquo in corpore productus, est tali ut si contingat eum influxu aliis vis turbari, mobile ad primum suum motum non redeat; talis etiam ut sub influxu diversarum virium, semper, imo in indefinitum, velocior vel tardior reddi possit. Contra res naturales habent determinatum modum essendi quoad perseverantiam in statu suo. Ab his vero se turbari non sinunt; vel turbatae, ad priores operationes redeunt, nisi naturam suam amiserint. — Atqui hoc est signum corporibus insitum esse ordinem teleologicum, sive tendentiam naturalem. Ergo.

49. II^a PARS. Substantiae corporeae non competit vis apprehendendi et appetendi.

Quum appetitus supponat perceptionem ad quam consequatur, sufficit ut probetur in corporibus nullam esse apprehensionem.

PROB. Non sunt multiplicanda entia sine necessitate; atqui nulla necessitas adscribendi materiae brutae vim percipiendi.

Patet minor quia nullum in corporibus invenitur indicium perceptionis. Etenim : a) non instruuntur organis, quae videntur requisita ut efformetur species representativa rei apprehensae; b) non apparet ea actio, quae tamen ad res quasdam apprehensas sponte sequeretur, qualis est timor, dolor, ira; c) operationes quae revera fiunt, non exigunt perceptionem.

50. III^a PARS. Substantiae corporeae nulla competit vita.

PROB. I^m ARG. Illud non est vivens, quod non agit immanenter, sive quod, quum constitutum jam sit in esse suo specifico, non producit in seipso novas perfectiones; atqui corpus anorganicum, jam constitutum in esse suo specifico, nullas perfectiones novas in se producit. Ergo non est vivens.

Prob. Min. Operationes corporum, quae vi tendentiae naturalis fiunt, vergunt ad hoc : a) ut corpora servent esse suum specificum resistendo agentibus adversis; b) ut esse perturbatum restaurent; c) ut in aliis corporibus efficienter producant perfectiones accidentales. Hae autem operationes nullatenus vergunt in hunc finem ut propria corporis quantitas augeatur, ut nova qualitas acquiratur. Illud enim, ubi contingit, debetur influxui causalii agentis extrinseci.

II^m ARG. *Petitur ex discrimine cum plantis.* Planta organis instruitur, sive constat ex partibus heterogeneis; organorum ope functiones et operationes diversi generis exercet : se nutrit, augetur, generat simile sui. Planta non producitur nisi a causa univoca, h. e. ejusdem naturae. — Materia bruta organis caret, constatque partibus homogeneis; inclinatione naturali fertur in simplicem operationem; demum a causis aequivocis producitur, (sic aqua ab oxygenio et hydrogenio). Atqui tale discrimen prodit a corpore anorganico omnem vitam exsulare.

COSMOLOGIAE PARS POSTERIOR.

DE COMPLEXU CORPORUM SEU
DE MUNDO.

51. Prologus. DEFINITIO MUNDI. Mundus, *κόσμος*, vi vocis significat ornamentum. Vi rei significant : a) Sensu lato, *complexum omnium rerum a Deo creatarum*, qui complexus continet spiritus et res corporeas, vita sive donatas sive carentes. b) Sensu strictiori et communis, significat *complexum rerum corporearum*. — Mundus strictiori hoc significatu dividitur : a) in *terram*, in *caelum caelestia corpora complectens*, et in *materiam imponderabilem* terrae caeloque interjacentem; b) in *corpora opaca*, qualia sunt planetae et cometae, in *corpora luminosa*, qualia sunt sol et stellae, et in eamdem *materiam imponderabilem*.

PARTITIO TRACTATIONIS. Successive agetur :

- a) De indole mundi. — b) De his quae consequuntur ad extensionem et ad motum mundi, nimirum de spatio et de tempore. — c) De ultima mundi causa efficiente et ordinante, ubi de pantheismo agetur. — d) De ultima causa finali. — e) De his quae ad causam efficientem et finalem consequuntur, sive de perfectione mundi.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE MEXICO

CAPUT V.

DE INDOLE MUNDI.

DIRECCION GENERAL DE BIBLIOTECAS

Successive agemus de *ordine* quo diversae mundi partes inter se connectuntur et de *unitate mundi*. Quae in hoc capite dicenda forent de perfectione mundi, commodius tractabuntur, postquam dictum fuerit de causa finali mundi.

§ 1. *De ordine mundi.*

Notiones *finis* et *ordinis* recolantur ex *Ontologia* nn. 129, 130, 152, 153. De ordine haec addidisse sufficiat :

52. Plures corporis partes. pariter diversa corpora, apte inter se disponi possunt, ut procurent tum finem proximum, sive intrinsecum sive extrinsecum, tum fines intermedios, tum finem aliquem supremum. Hinc exsurgit duplex ordo, coordinationis videlicet et subordinationis.

1. Diversae corporis partes vel diversa corpora actione sua immediate procurantia bonum aliquod, vel intrinsecum vel extrinsecum, dicuntur *coordinata*. Ordo coordinationis definitur : *apta dispositio plurium ad communem finem, quem singula operatione sua immediate procurant*.

2. Bonum quod procuratum fuit per plura agentia coordinate operantia, potest esse medium quo procuretur bonum superius, sive finis superior. — Finis iste, ut procuretur postulare insuper potest ut alia agentia coordinate operentur. Horum agentium bonum iterum procurari potuit aliis agentibus et ipsis coordinate operantibus. — Varii hi ordines mediorum, qui procurant aliquod bonum subserviens fini remotiori, dicuntur *subordinari* ordinibus superioribus, eodem pacto quo finis proximus subordinatur fini superiori. E quibus facile colliges definitionem ordinis subordinationis.

3. Ultimus vero ordo, vigens inter illa quae procurant immediate bonum aliquod, quod jam ulterius non ordinatur ad bonum superius, dicitur *ordo supremus*. Talis ordo viget inter homines, quorum finis est procurare Dei gloriam.

Thesis 13. Res mundanae multiplici eoque mirabili inter se devinciuntur ordine.

53. I. VIGET MULTIPLEX ORDO COORDINATIONIS.

1. *In mineralibus* moleculae actione sua mutua prosperum totius statum procurant, ejusque integrati et incolumitati famulantur. Ergo coordinantur in finem extrinsecum.

2. *In vegetalibus* : a) Cujusvis organi partes iterum in bonum

totius organi conspirant; b) varia organa immediate procurant bonum totius plantae.

3. In animantibus idem, idque luculentius, reperitur.

4. In homine potissimum varia organa inservientia vitae vegetativae et vitae sensitivae, multis constant partibus mirum in modum conspirantibus, tum ad bonum singulorum organorum, tum ad bonum totius hominis promovendum, adeo ut multi existimant ex ordine vel unius membra humani demonstrari posse existentiam Dei summe sapientis et summe boni.

54. VIGET MULTIPLEX ORDO SUBORDINATIONIS.

1. Bonum unius mineralis inservit bono alterius mineralis. Sic bonitas aquae ad quot mineralia utilis est!

2. Bonum variorum mineralium procurat bonum vegetalium, qui illis est finis extrinsecus. Sic aqua, aer, humus, inserviunt plantis et arboribus.

3. Pariter bonum mineralium et vegetalium mancipatur bono animalium.

55. III. VIGET ORDO SUPREMUS.

Ut vigeat hic ordo, exigitur: a) Ut omnia corpora hujus terrae subordinetur fini alicui supremo, quod erit bonum hominis; b) ut omnia corpora systematis nostri stellaris conspirent in bonum systematis istius, sive in prosperum ejus statum; c) ut omnia systemata nota conspirent in bonum universi noti; d) ut ipse prosper status universi subordinetur bono ulteriori et consequenter extramundano; sive ut omnia corpora nota, stellae, cometae et quae in his habentur, per seriem ordinum subordinatorum subserviant ordini alicui supremo, qui ipse procuret bonum extramundanum, quod appellandum erit finis simpliciter ultimus. — Id ultimum verificari ostendetur capite nono, in quo probabitur omnia esse a Deo condita ut sint homini media, quibus finem suum comparet, speciatim ut manifestent entibus rationalibus excellentiam divinam, qua cognita, hominum genus Deo debitum honorem praestare possit.

A. *Corpora hujus terrae subordinantur bono hominis.* Istud enim bonum est ipsis excellentius, cum homo natura sua sit ceteris rebus praestantior. Bonum vero hominis procurari per bona mineralium, vegetalium, animantium, ex eo est perspi-

cuum quod a) eorum ope homo vires sibi acquirit, servat, consolidat augetque, fractas demum restaurat; b) insuper ipsi manifestatur bonitas Dei; c) homo fas sibi esse putat iis rebus uti, prout sibi ad finem suum attingendum expedient.

B. *Omnia corpora systematis nostri stellaris in prosperum totius systematis statum conspirent.* Non tantum enim cuivis naturae suus est finis, tum intrinsecus per varias cujusque corporis partes procuratus, tum extrinsecus proximus et medius supra descriptus; non tantum totus iste orbis concluditur entium scala, cuius supremum gradum occupat homo, quippe ad cuius bonum conducunt bona variorum ordinum; sed insuper omnia corpora opaca circa solem, qui in eorum medio sistitur, volvuntur perpetuo circuitu.

C. *Probabile est omnia systemata stellaria nota, imo et alia quae nota fortassis non essent, prospere universi statui famulari.* Astronomis enim summopere probabile videtur: a) singulas stellas nobis cognitas esse centra corporum opacorum, sive planetarum, in gyrum circa ipsas translatorum et in bonum systematis sui conspirantium; b) vigore attractionem universalem universi, cuius indicia ducentur tum quia nonnullae stellae circa alias moventur, tum quia sol versus signum Herculis fertur, tum quia Hercules facit orbitam praefinitam circa centrum aliquod attractionis, tum quae postea dicenda sunt de successiva istius universi formatione.

Scholion. Ordo mirabilis heic adumbratus viget inter res quae perpetuo, accidentaliter et substantialiter, mutantur; proinde eo mirabilior est quo constantior.

§ 2. De unitate mundi.

Thesis 14. Probabile est unum tantum esse mundum.

56. PROB. I. *Systema stellare nostrum constituit unum mundum.*

Prob. Ibi unitas, ubi ordo; atqui non tantum ordo coordinationis et subordinationis habetur inter varias naturas hujus terrae, sed etiam inter varios planetas et solem systematis nostri. Ergo.

II. Diversa systemata stellaria nota unum mundum constituant.

Prob. Etenim probabile est omnia systemata stellaria quae nobis sunt nota, mutuis relationibus attractionis inter se devincenti, uti in thesi 13, dictum est. Ergo inter haec viget ordo et unitas.

III. Omnia systemata stellaria existentia probabiliter unum mundum efficiunt.

Prob. Rationibus congruis a D. Th. (I. q. 47. a. 3) allatis. 1. Unus est Deus sapienter ordinans; ergo unum est opus ordinatum. — 2. Unum est exemplar omnium rerum; ergo unum exemplatum per partes distributum. — 3. Unum est agens infinite perfectum; ergo unum opus.

CAPUT VI.

DE HIS QUAE AD EXTENSIONEM ET AD MOTUM CORPORUM CONSEQUUNTUR.

ARTICULUS I.

DE SPATIO.

Circa spatium quaeritur : 1. Quid per ipsum sit intelligendum, sive quae nam sit ejus natura?

2. De loco et de vacuo, ubi inquiretur utrum in parte aliqua spati vacuum haberi possit?

§ 1. *De natura spati.*

57. Inquirere essentiam seu definitionem essentiale spati, est inquirere quid in ordine rerum respondeat conceptui spati, et ad quamnam subdivisionem praedicamenti illud pertineat.

— Hujusce autem inquisitio praesupponit nota esse ea quae omnes homines fatentur convenire spatio; his enim cognitis, inspicitur quisnam complexus notarum ex subdivisionibus praedicamentorum desumptarum, sit radix et ratio ultima horum omnium characterum spatii; ille autem complexus erit essentia spati.

Quaenam igitur sunt notae quas vulgus adscribit spatio?

1. Spatium concipitur : a) tamquam *receptaculum omnium corporum*, tum existentium, tum mere possibilium, *in longum*, *in latum* et *in profundum se porrigen*s; b) quod *omnia corpora creabilia praecedit* (ut enim creatio corporum fieri posset, praesto esse debebat spatiū locus in quo collocarentur); c) quod *corporibus, si ea annihilari contingere, superstes foret* (semper enim maneret locus ubi Deus nova corpora valeret creare); d) quod *in infinitum se porrigit*, nulloque limite est affectum (potest enim Deus, ubi ipse est, condere corpora); e) quod *ex partibus constat* (alia enim corpora alias spatii partes occupant); f) quae tamen partes sunt *immobiles et permeabiles* (idem enim corpus successive alias partes spati occupare potest; sed pars spati prius occupata manet et ab alio corpore occupari potest). — Spatium igitur concipitur uti *omnium locorum maximus, locus locorum* (varia enim corpora occupant varia loca; spatium vero complectitur omnia haec loca).

2. Distinguunt homines : a) Spatium *empiricum* sive *imaginarium* et spatium *purum* sive *mathematicum*. Spatii enim mox descripti haberi potest representatio tum sensibilis vel *imaginaria*, tum *pure intellectualis*. Spatium, quatenus sensibiliter sive *phantastice* representatur, dicitur *empiricum*; quatenus *intellectualiter* concipitur, vocatur *purum*. — b) Spatium *reale* et spatium *possibile* : Prius realiter occupatur per corpora existentia; alterum occupari potest per corpora sive existentia sive possibilia. Quam *phantasia* in indefinitum limites spati possibilis projiciat, ideo hoc spatium vocatur etiam *imaginarium*; vocatur tandem *absolutum* quia possiblitas est independens ab actuali corporum existentia et ad eam praesupponitur. — c) Spatium *finitum* et *infinitum*. — d) Spatium *plenum* et *vacuum*, prout concipitur corporibus repleri vel non.

58. His autem praesuppositis, varia concipi potest responsio quaestioni quena sit essentia spatii, sive quid in ordine rerum conceptui spatii respondeat, tamquam ceterorum, quae vulgus spatio adscribit, fundamentum, ratio et radix :

A. *Vel enim denegabitur conceptui spatii omnis valor objectivus*, h. e. asseretur spatium esse figmentum mentis, formam subjectivam innatam, cui nihil, etiam fundamentaliter, in rebus certo respondeat : Ita censem Kantius.

B. *Vel concedetur hunc conceptum valore objectivo haud destinui*. Ulterius quaerenti quid in ordine rerum huic conceptui respondeat tamquam essentia spatii, respondebitur :

1. *Vel spatium formaliter sumptum esse ens rationis, fundamentaliter esse reale* (h. e. ejus fundamentum esse reale), quatenus v. g. dicetur consistere in aliquo relativo. Illud autem explicabitur vel dicendo inter corpora sive existentia sive possibilia istius universi, deprehendi relationes distantiae, complexum vero harum relationum concipi ut ens reale, licet reale non sit, et istud ens significari termino spatii; vel dicendo complexum ubicationum possibilium, quae consequuntur ad extensionem localem, apprehendi tamquam ens unum ac reale ac vocari spatium : Sic Leibnitzius et scholastici multi.

2. *Vel spatium formaliter sumptum esse ens reale*, sive huic conceptui vulgi respondere ens aliquod reale, quod spatii vocabulo condecoretur, sive etiam spatium consistere in aliquo absoluto. — Si autem spatio sua est realitas, haec erit : a) *vel increata* sive aliquod attributum divinum (sic Newton et Clarke autem spatio esse immensitatem Dei); b) *vel creata*. Si est creata : z) vel haec realitas spatii est *distincta a realitate cuiusvis alteri entis et propria spatio* (sic veteres Atomistae); β) *vel ab hac est indistincta*, (sic Cartesius reponens spatium in extensione corporum).

Thesis 15. Spatium nullam habet realitatem sibi propriam; neque est immensitas Dei; neque formaliter identificatur cum corporum extensione; sed consistit in aliquo relativo ad extensionem corporum consequente, estque ens rationis. Quamobrem immerito adstruit Kantius spatiū esse merum mentis figmentum.

59. I^a PARS. *Spatio non est realitas propria.*

PROB. *Ex absurdis.* Spatii enim realitas esse deberet necessaria, aeterna, indestruetibilis, immensa, (hi enim characteres a vulgo adscribuntur spatio). Atqui hoc est absurdum. Ergo.

Prob. Min. a) Haec praedicata soli Deo convenient. b) Quod est aeternum, etc., simplex sit oportet, uti in Theodicea demonstrabitur; atqui spatium ex partibus constat. Ergo.

60. II^a PARS. *Spatium non est immensitas Dei.*

PROB. I^m ARG. Immensitas Dei est tota ubique, non constat ex partibus, non est trinae dimensionis. Atqui spatium concipitur non esse totum ubique, constare ex partibus, esse trinae dimensionis. Ergo.

II^m ARG. *Ex absurdis.* Ex eo consequens foret Deum esse corporeum. Atqui hoc est absurdum. Ergo.

Prob. Maj. Ex una parte spatium evaderet ens reale, ex hypothesi, et constaret partibus realibus vi conceptus vulgaris; ex altera parte spatium identificaretur cum essentia Dei, siquidem haec identificatur cum immensitate. Ergo.

61. III^a PARS. *Spatium non est ipsa corporum extensio.*

PROB. I^m ARG. *Ex oppositione characterum spatii et extensis.* Illa non sunt formaliter idem, quibus competit praedicata contradictoria; atqui hoc contingit circa extensionem et spatium. Ergo.

Prob. Min. Spatium enim est continens, extensio corporea est contenta in spatio; spatium est aliquid impleibile, extensio implet; spatium ex se est vacuum, extensio est plena.

II^m ARG. Ex hac sententia consequens foret quod : a) vacuum esset absolute impossibile; b) si Deus corpus in vase contentum annihilaret, parietes vasis illico coirent; c) pariter si Deus annihilaret materiam quae intercederet inter duo corpora longissime dissita, statim haec corpora sine alio motu locali conjungerentur; d) si duo tantum corpora a Deo crearentur, essent necessario contigua. Atqui e quo talia fluunt, id merito ducitur esse absurdum. Ergo.

Prob. Maj. Ex hac sententia fueret absolute non posse esse spatium ubi nulla est realitas. Ergo : a) conceptus vacui est intrinsece contradictorius, esset enim spatium sine corpore;

b) inter latera vasis et inter duo corpora antea dissita, cessat haberī spatium et consequenter exsurgit contactus, eo quod annihilatur omnis materia intermedia; c) inter duo corpora quae sola existerent, nullum esse potest spatium; igitur se tangunt.

62. IV^a PARS. Spatium stat in aliquo relativo.

PROB. I^m ARG. Consistit spatium vel in aliquo absoluto, vel in relativo. Atqui non in absoluto. Ergo.

Prob. Min. Illud enim absolutum vel esset distinctum ab omni alio absolutu, vel cum aliquo esset identificatum; si ponitur identificatum, vel est idem atque aliquod ens creatum, quod erit corporeum, utpote partibus constans, vel erit ens increatum, seu Dei immensitas. Atqui singula fuerunt disjecta. Ergo.

II^m ARG. Ratio spatii in eo reponi potest quod reddit ultimam rationem omnium characterum quos vulgus spatio adscribit. Atqui sententiae ponentes essentiam spatii in aliquo relativo, hunc sibi honorem merito vindicant. Ergo.

Prob. Min. Hi characteres sunt quod spatium recipiat omnia corpora, sit aeternum, indestructibile, infinitum, etc. Atqui manifestum est istos characteres convenire complexui ubicationum possibilium, vel distantiarum possibilium. Ergo.

63. V^a PARS. Spatium non est merum mentis figuratum.

PROB. I^m ARG. Illud non est merum figuratum mentis quod est fundamentaliter reale. Atqui spatium est fundamentaliter reale; h. e. res praebent fundamentum ut intellectus sibi efformet conceptum spatii. Etenim percurrenti tum characteres quos vulgus spatio attribuit, tum notiones philosophicas spatii a scholasticis propositas, patebit nullum esse elementum quod intellectus e rebus sensibilibus eruere non possit.

II^m ARG. Invincibili totius generis humani opinioni stare prudentis est, donec ejus absurditas invictis argumentis comprobetur. Atqui invincibilis illa opinio est, spatium non esse merum mentis figuratum, et absurditas ejus sententiae a Kantianis non demonstratur, uti patescet ex responsis ad difficultates. Ergo.

64. Coroll. 1^m. Ergo spatium reale est pars ubicationum possibilium, quae reapse per corpora existentia in ordine rerum habetur.

2^m. Ergo spatium reale est finitum; mundus enim finitus est.

Scholion. Spatium reale est imitatio aliqua analogica immensitatis divinae. Hoc sensu auctores quidam, uti Bayma et Lessius, videntur asseruisse spatium esse virtualitatem immensitatis divinae.

65. CONTRA I^m PART. Obj. 1. Persuasum habent homines ante omnem creationem fuisse spatium in longum, in latum, in profundum expansum. Atqui hoc perinde est atque admittere spatio suam esse realitatem propriam: Secus enim poneretur identificari cum essentia divina. Ergo.

RESP. Dist. Maj. Persuasum habent spatium tamquam *ens realiter existens* fuisse expansum, Neg.; tamquam *ens possibile*, Subd. tamquam *ens reale possibile*, Neg.; tamquam *ens possibile et rationis*, Conc.; Cdt. Min.

Inst. Atqui homines persuasum habent ante creationem existisse ens reale in trinas dimensiones expansum. Ergo.

Prob. Persuasum habent existisse receptaculum, ubi recondiderentur corpora; atqui istud receptaculum non potest esse nisi ens supra descriptum. Ergo.

RESP. Dist. Maj. Persuasum habent existisse receptaculum quod apprehendunt ac si esset *ens reale*, Conc.; quod affirmant esse *ens reale*, Neg. Unde Neg. Min.

66. CONTRA V^m PARTEM. Obj. 2. Conceptus spatii repraesentat aliquid: a) necessarium; b) infinitum. Atqui conceptus talia exhibens, est mentis figuratum. Ergo.

Prob. Min. Elementa hujus conceptus experientia non subministrantur. Atqui conceptus exhibens elementa, quae non subministrantur experientia, est mentis figuratum. Ergo conceptus exhibens necessarium etc., est mentis figuratum.

RESP. Dist. 1^a pars Maj. Conceptus spatii repraesentat aliquid necessarium in essendo, Neg.; in praedicando et in ratione possibilis, Subd. et conceptus necessitatis est totus positivus, Neg.; partim positivus, partim negativus, Conc.

Dist. 2^a pars Maj. Infinitum simpliciter h. e. in linea omnis perfectionis, Neg.; secundum quid h. e. in linea extensionis, Subdist. conceptus spatii possibilis tale quid repraesentat, Conc. realis, adhuc Subdist. repraesentat aliquid infinitum actu, Neg.;

potentia h. e. quod semper augeri a Deo potest, *Cone.* Praeterea notetur conceptum infiniti non esse totum *positivum*, sed *partim negativum*. — *Cdt. Min.* Mentis pigmentum foret conceptus has notas repraesentans, si esset dicendus esse *totus positivus*, *Cone.*; si est *partim negativus*, *Neg.*

Ad prob. Min. Dist. Maj. Elementa hujus conceptus non subministrant experientia, si esset *totus positivus*, *Cone.*; *secus*, *Neg.*; *Cone. Min.* — *Dist. Cons.* conceptus *totus positivus*, has notas exhibens, esset mentis pigmentum, *Cone.*; *secus*, *Neg.*

Obj. 3. Conceptus spatii universi praecedat conceptum spatii particularis. Atqui hoc requirit ut hic conceptus sit innatus menti, ideoque requirit ut spatium sit pigmentum mentis. Ergo.

Prob. Maj. Res per sensus apprehensa refertur ad partem spatii diversam ab ea parte quam apprehendens ipse occupat. Atqui hoc fieri nequit, nisi conceptus spatii universi praecedat conceptum spatii particularis. Ergo.

Prob. Min. Nihil referri potest ad id, cuius nulla notitia antea jam non sit accepta; non vero praecessit notitia aliis spatii particularis, circa eam enim rediret quaestio. Ergo.

Resp. Neg. Maj. Teste enim sensu intimo, ad universalia ascendimus ex particularibus, abstrahendo notas individuantes. *Ad prob. Dist. Maj.* Res apprehensa refertur ad partem diversam a parte occupata per apprehendentem, *quae partes realiter distinguuntur ab apprehendente et a re appaehensa*, *Neg.*; *quae partes ratione tantum distinguuntur*, *Cone.*; *Cdt. Min.* — Apprehenditur enim res et apprehenditur distantia inter rem et apprehendentem; res enim habent diversum situm ratione sui, non vero ratione spatii distincti.

Obj. 4. Impossibile est ut quis concipiatur non esse spatium; concipere tamen potest nullam rem existere in spatio. Atqui quod ita est, non oritur ex experientia, et consequenter valore objectivo destituitur. Ergo.

Resp. Dist. Maj. Impossibile est ut quis hoc concipiatur intellectualiter, *Neg.*; *phantaslice*, *Cone.*; *Cdt. Min.* — Phantasia, eo quod extenso modo sibi repraesentat res, non potest sibi repraesentare non esse spatium.

§ 2. *De loco et de vacuo.*

67. De loco. A. **DEFINITIO.** Aliquid dicitur esse in loco quodam, eo quod alicubi locatur, in aliquo continetur, eo quod autem circumserbitur. Hinc recte a Philosopho locus definitur: «*Superficies corporis continentis locatum.*» Dicitur locus *extrinsecus*, ut contradistinguatur a loco *intrinseco*, quae est *ultima superficies corporis locati*. Locum hunc intrinsecum non esse locum proprium, eo constat quod nemo unquam dicet aliquid locari in ultima sua superficie.

B. **Divisio.** 1. Philosophus divisit locum in physicum et mathematicum, a) *Mathematicus* est *superficies immobiles*. Immobilia olim censebantur centrum et poli istius orbis. Quidam loci per habitudinem ad haec, censebantur immobiles. b) *Physicus* est *superficies ultima continens immobilis, non quidem absolute, verum respectu locati*.

2. Locus physicus est vel proprius vel communis. a) *Proprius est superficies extrinseca immediate circumdans et tangens locatum.* b) *Communis non tangit undequaque locatum sed varia plerumque continet.* Dicitur magis vel minus communis, prout plura vel pauciora continet. Sic civitas est locus communis domibus; domus quaelibet est locus communis cubiculis variis; cubiculum est locus communis multis rebus et personis. Civitas igitur est locus valde communis respectu personarum.

68. De vacuo. **DEFINITIO.** Vacuum definitur *locus corporis expers*; proin ibi habetur vacuum ubi nullum est corpus locatiter extensem. Vacuum igitur est ens rationis.

Divisio. Vacuum est: 1. *Vel proprium vel improprium.* Proprium mox est definitum; improprium occupatur corpore quod actu non percipitur. — 2. *Vel possibile sive ideale, vel reale sive actuale.* — 3. *Coacervatum vel disseminatum.* Primum est ingens locus corporis expers; alterum est spatiolum, quale dynamistae ponunt inter elementa corporis.

Circa quaestionem an vacuum dari queat, tres sunt sententiae: 1^a. Juxta Pantheistas, Cartesianos et nonnullos Scholasticos, *vacuum est absolute impossibile*.

Ratio Pantheistarum est quod non habetur nisi ens unicum infinitum; infinitas vero requirit ut nullum sit vacuum.

Juxta Cartesianos ratio est quod : a) extensio est essentia corporis; extensio autem habetur ubi tria dimensio mensurari potest; sed in vacuo habetur tria dimensio; consequenter vacuum esset corpus, quod contradictionem involvit; b) vacuum foret spatium; sed ubi spatium, ibi extensio corporea.

Peripateticorum nonnullorum ratio erat tum quod natura vacuum summo odio prosequitur; tum quod trans vacuum motus successivus haberi non posset, eo quod motus est successivus ob solum impulsum exercitum a corporibus ambientibus, ideoque, habito vacuo, motus esset instantaneus.

II^a. Juxta Dynamistas vacuum *de facto* habetur inter omnia corpora et inter singula corporum elementa, imo vacuum *absolute requiritur*. — Pariter Leucippus et Democritus vacuum absolute requisitum esse asserebant ut motus haberi posset.

III^a. Juxta plerosque scholasticos vacuum *neque absolute requiritur*, cum corpora condensari et rarefieri possint, *neque est impossibile*; quae sententia est corollarium systematis scholastici.

Scholion. Quaeres quoniam sensu *natura a vacuo abhorreat*? — Cum ex una parte inter proprietates corporum annumerentur vires agendi, quarum aliae sunt omnibus corporibus, uti sunt corpora, communes, aliae vero diversae in diversis speciebus; cum proinde corpus appetat activitatem suam exserere; cum ex altera parte actio transiens non fiat trans vacuum, sive immediate in distans, sed ad contactum; quodvis corpus appetit tangere aliud corpus, et idcirco corporum complexus, sive natura, merito dicitur abhorre a vacuo.

ARTICULUS II.

DE TEMPORE.

Cum tempus sit species durationis, simul de utroque agemus.

§ 1. De duratione et de tempore.

69. Definitio. Durare dicuntur ea quae in existendo perseverant. Duratio, id quo res durat, est *permanentia in essendo*, sive id quo ens permanet.

Divisio durationis. Ratione materiae sive rei durantis, duratio dividitur in incretam et creatam.

A. DURATIO INCREATA. Dicitur *aeternitas*. Ut demonstrat Theodicea, duratio divina de natura sua est : a) *sine initio*; b) *sine fine*; c) *tota simul h. e. non admittit successionem*, neque in esse suo, neque in actibus internis intellectus et voluntatis; vel etiam non possidetur essentia divina successive, in hac *non est distinguere praeteritum, praesens et futurum*, sed simpliciter *est*. — Quare apte a Boetio definitur *interminabilis vitae tota simul et perfecta possessio*.

OBSERVA. Aeternitas non excludit actus terminative non aeternos, sive novas terminationes actus divini, quae sunt creature in tempore incipientes, et quae ponunt in Deo novas denominations extrinsecas creatoris, conservatoris, etc.; haec enim nihil intrinsecum addunt Deo.

B. DURATIO CREATA. Cum conveniat entibus essentialiter finitis et perfectibilis, *admittit mutationem* saltem possibilem, ratione actionum, et habituum ex actibus in entibus cognoscitivis oriundorum. Hinc nulla duratio creata erit tota simul. — Duplex concipi potest :

1. Vel enim ens creatum perseverat totum *absque partium adventu et recessu*; haec duratio dicitur *permanens*. Est ipsa duplex : a) Vel enim ens *ex natura sua immutabiliter perseverat*, sive est *ab intrinseco indefectibile*, adeo ut sola annihilatione ab essendo deficere possit. Talis duratio dicitur *aevum*. Definitur : *duratio creata permanens ex natura sua immutabilis*. — b) Vel ens perseverat aliquo tempore, sed *natura sua est mutabile*, sive ab essendo deficere potest (v. g. per corruptionem). Illa duratio, cui deest nomen communis usu receptum, definitur : *duratio creata permanens, ab intrinseco, sive natura sua, defectibilis*.

2. Vel ens non perseverat nisi *quandiu una pars alteri succedit*. Tale ens est *motus*, qui complectitur alterationem, augmentum et decrementum, tandem motum localem. Duratio hujuscemotus est *successiva sive fluens* et vocatur *tempus continuum*.

70. Divisio temporis. 1. Tempus est vel *intrinsecum* vel *extrinsecum*.

secum. Prius est *duratio mobili intrinseca*; posterius est *mensura istius durationis*, sive est aliud ens quod durationem mobilis metitur.

2. Utrumque horum temporum, est vel *absolutum* vel *reale*. *Absolutum*, quod etiam vocatur possibile, *imaginarium*, est *duratio fluens possibilis*, vel ejus *mensura possibilis*. *Reale*, sive *actuale*, est *duratio fluens*, vel *mensura ejus*, *actu in ordine rerum habita*.

3. Tempus *intrinsecum*, sive *absolutum* sive *reale*, est, ratione materiae, vel *materiale* vel *spirituale*, prout spiritibus aut corporibus convenit ratione motus spiritualis aut corporei.

71. De *mensura temporis*. Mensura sumitur: a) *active*, estque id quod mensurat; b) *passive* estque idem ac mensurabile, mensuratum. — Quodvis tempus esse mensurabile, liquidum est tum ex usu communi: nihil enim communius est quam actiones proprias et durationes rerum corruptibilium mensurari. Unde de sola *mensura activa* agitur.

Mensura activa in genere est medium ad cognoscendum sub aliquo respectu id quod mensuratur. — Mensura igitur temporis alicuius est *id quo cognoscitur duratio successiva rei durantis*. — E quo liquet mensuram temporis notam esse debere, imo notiorem, saltem sub ratione sub qua adhibetur, quam id quod mensuratur. Insuper certa esse debet et invariabilis.

Quaeritur quaenam sit temporis mensura.

Ex natura rei *motus caeli* est aptissimus ut assumatur tanquam *mensura communis omnium temporum istius terrae*; imo haec capacitas est ejus proprietas realis. Motus enim telluris circa solem, et motus lunae, ex astronomia notus, est *certus, regularis, invariabilis, velox et brevis*; atqui hae sunt dotes in mensura apta temporum requisitae.

OBSERVA. Utimur motu horologii in ratione temporis extrinseci; horologia notificant motum caeli, et per eum mensurantur, uti constat ex eo quod eorum motuum imperfectio, inconstans, irregularitas per motum caeli nobis nota fiant.

72. De *quando*. *Quaeres quaenam sit ratio formalis quando-cationis*.

Quando, vi vocis, est adverbium temporale quo interroga-

mus quonam tempore res existiterit, ideoque ad tempus spectat. Quare Philosophus dicit *quando idem esse atque esse in tempore ut esse heri*. Ea vox translata est ad significandam *formalitatem vi cuius res est tali vel tali tempore*. Inquiritur quaenam sit *ratio formalis* *et quando*.

RESP. Quando est *denominatio mere extrinseca*, orta ab *extrinseco tempore mensurante*; sive res dicitur habere quando, esse nunc vel tunc, ratione durationis suea quam *mensurat determinata pars motus primi mobilis ei coexistentis*.

§ 2. De tempore absolutulo.

73. Ante mundi creationem non erat nisi tempus possibile, quod etiam vocatur *absolutum*. Quaeritur quaenam sit *essentia temporis absoluti*, sive quid in ordine rerum huic conceptui respondeat.

DESCRIBITUR tempus absolutum. Vulgo homines tempori *absoluto* adscribunt characteres similes eorum, quos spatio agnoscunt, ita ut merito tempus dicatur esse *spatium fluens*. Tempus enim concipiunt a) ut receptaculum omnium motuum et quandocationum; b) quod corpora antecessit; c) quod his annihilatis snperstes foret; d) in infinitum se porrigit; e) ex partibus constat; f) quae partes sunt fluentes seu mobiles.

CIRCA NATURAM temporis habentur sententiae similes harum sententiarum, quae de spatio enarratae sunt.

1. Juxta Kantum, tempus est *figmentum mentis*.
2. Juxta Gassendi, tempori *absoluto* convenit *propria realitas*.
3. Juxta Clarke, tempus est *aeternitas divina*.
4. Juxta Cartesium tempus non est affectio corporis, sed *modus cogitandi*.
5. Juxta scholasticos tempus ponitur in *relativo aliquo*; nimur est: a) vel complexus omnium durationum successivarum possibilium, qui complexus est ens rationis eo quod concipitur tanquam unum ens reale, licet tale non sit; b) vel etiam, — connotando coexistentiam primi mobilis possibilis, quae sit mensura possibilis omnium temporum intrinsecorum et ratione cuius res dicuntur fuisse successive nunc vel tunc, —

tempus est complexus quandocationum possibilium, quae fundant relationes coexistentiae possibilis rerum; hic complexus iterum concipitur tanquam ens reale.

Absurditas priorum sententiarum et veritas ultimae comprobantur argumentis iisdem, aut prorsus similibus iis, quae allata jam sunt de spatio. Plerumque quasdam voces mutasse sufficit. Sic extensioni corporis substituitur *duratio*; immensitati Dei, ejus *aeternitas*; ubicationi corporum, *quandovatio*.

ALERE FLAMMAM
VERITATIS

CAPUT VII.

DE PANTHEISMO.

De ultima causa efficiente mundi acturis, praevia nobis occurrit quaestio, utrum mundus potuerit habere Deum seu causam creatricem, an ipsem mundus sit Deus? Quare imprimis de pantheismo agemus.

§ 1. Status quaestionis.

Quaeritur: 1º Quid Pantheismi nomine intelligatur, et quenam sint variae ejus formae. 2º Quibusnam temporibus potissimum vigerit.

74. Notio Pantheismi. Pantheismus generice inspectus contendit non existere nisi unicam substantiam, unicum ens, quod sit infinitum, necessarium, aeternum, Deus, quocum realiter identificantur quaecumque nobis apparent tamquam distincta. — Unicum illud ens vocatur *Absolutum* (*l'Absolu*), *Infinitum* (*l'Infini*). Quae apparent tamquam distincta, dicuntur formae, modi, manifestationes, aspectus, positiones *Absoluti*.

Explicaturi quomodo mundus sensibus appareat in multiplices res distributus, seu quo modo res sint manifestationes *Absoluti*, abeunt Pantheistae in duo systemata:

A. PANTHEISMUS REALIS admittit existentiam ordinis realis seu phaenomenalis; asserit omnia, quae sunt, esse unicam substanc-

tiam diversimode modificatam, sive substantem multis phaenomenis. — Ulterius explicaturus quomodo unica substantia diversimode se modificet, Pantheismus realis dispescitur in duplex aliud sistema:

1. Systema *emanationis transcurrentis* tenet res mundanas ab unica substantia decidere tamquam partes ejus, vel tamquam radios solis. Ita tamen (secus enim subruitur fundamentum Pantheismi) ut quidquid decidat ab hac substantia, non sit extra ipsam, tamquam terminus causalitatis ejus, sed sit ipsam et haec substantia.

2. Systema *evolutionis immanentis* tenet unicam substantiam sese immanenter evolare et explicare secundum diversas modificationes, quas in mundo corporeo cernere est.

B. PANTHEISMUS IDEALIS negat existentiam ordinis realis-phænomenalis, asseritque non haberi nisi ordinem idealem, seu modificationes diversas non existere nisi in ordine ideali. Non habetur, ait, nisi subjectum quod cogitat objecta multa diversaque, identificata cum subjecto cogitante. Itaque essentiae rerum non distinguuntur ab ideis subjectivis harum essentiarum.

Systema evolutionis et pantheismus idealis, dicuntur pantheismi *perfecti*.

75. Variae epochæ. — 1. Antiquitus vestigia haud pauca pantheismi apparent. Propositus est sub dupli forma: a) Pantheismi *strictioris*, quo unum est ens; b) Pantheismi *latrioris*, sive *Dualismi*, quo duplex est ens, ita ut quidquid appareat in mundo, cum alterutro identificetur.

A. Pantheismo strictiori infecta erant:

1. Philosophia Vedantica apud Indos, juxta quam res quae videntur realiter distinctae, sunt diversa symbola, imaginesque, sub quibus unicum ens, cui nomen Brahme, se manifestat.

2. Polytheistae non pauci, qui tenebant unum esse Deum; deos inferiores esse modificationes praestantiores sub quibus supremus Deus se manifestat; ceteras res esse symbola infima ejusdem entis.

3. Apud Graecos: a) In schola Ionica, Hesiodus, Pythagoras; b) in schola Eleatica, Xenophanes, Parmenes, Zeno.

tempus est complexus quandocationum possibilium, quae fundant relationes coexistentiae possibilis rerum; hic complexus iterum concipitur tanquam ens reale.

Absurditas priorum sententiarum et veritas ultimae comprobantur argumentis iisdem, aut prorsus similibus iis, quae allata jam sunt de spatio. Plerumque quasdam voces mutasse sufficit. Sic extensioni corporis substituitur *duratio*; immensitati Dei, ejus *aeternitas*; ubicationi corporum, *quandovatio*.

ALERE FLAMMAM
VERITATIS

CAPUT VII.

DE PANTHEISMO.

De ultima causa efficiente mundi acturis, praevia nobis occurrit quaestio, utrum mundus potuerit habere Deum seu causam creatricem, an ipsem mundus sit Deus? Quare imprimis de pantheismo agemus.

§ 1. Status quaestionis.

Quaeritur: 1º Quid Pantheismi nomine intelligatur, et quanam sint variae ejus formae. 2º Quibusnam temporibus potissimum vigerit.

74. Notio Pantheismi. Pantheismus generice inspectus contendit non existere nisi unicam substantiam, unicum ens, quod sit infinitum, necessarium, aeternum, Deus, quocum realiter identificantur quaecumque nobis apparent tamquam distincta. — Unicum illud ens vocatur *Absolutum* (*l'Absolu*), *Infinitum* (*l'Infini*). Quae apparent tamquam distincta, dicuntur formae, modi, manifestationes, aspectus, positiones *Absoluti*.

Explicaturi quomodo mundus sensibus appareat in multiplices res distributus, seu quo modo res sint manifestationes *Absoluti*, abeunt Pantheistae in duo systemata:

A. PANTHEISMUS REALIS admittit existentiam ordinis realis seu phaenomenalis; asserit omnia, quae sunt, esse unicam substanc-

tiam diversimode modificatam, sive substantem multis phaenomenis. — Ulterius explicaturus quomodo unica substantia diversimode se modificet, Pantheismus realis dispescitur in duplex aliud sistema:

1. Systema *emanationis transcurrentis* tenet res mundanas ab unica substantia decidere tamquam partes ejus, vel tamquam radios solis. Ita tamen (secus enim subruitur fundamentum Pantheismi) ut quidquid decidat ab hac substantia, non sit extra ipsam, tamquam terminus causalitatis ejus, sed sit ipsam et haec substantia.

2. Systema *evolutionis immanentis* tenet unicam substantiam sese immanenter evolare et explicare secundum diversas modificationes, quas in mundo corporeo cernere est.

B. PANTHEISMUS IDEALIS negat existentiam ordinis realis-phænomenalis, asseritque non haberi nisi ordinem idealem, seu modificationes diversas non existere nisi in ordine ideali. Non habetur, ait, nisi subjectum quod cogitat objecta multa diversaque, identificata cum subjecto cogitante. Itaque essentiae rerum non distinguuntur ab ideis subjectivis harum essentiarum.

Systema evolutionis et pantheismus idealis, dicuntur pantheismi *perfecti*.

75. Variae epochæ. — 1. Antiquitus vestigia haud pauca pantheismi apparent. Propositus est sub dupli forma: a) Pantheismi *strictioris*, quo unum est ens; b) Pantheismi *latrioris*, sive *Dualismi*, quo duplex est ens, ita ut quidquid appareat in mundo, cum alterutro identificetur.

A. Pantheismo strictiori infecta erant:

1. Philosophia Vedantica apud Indos, juxta quam res quae videntur realiter distinctae, sunt diversa symbola, imaginesque, sub quibus unicum ens, cui nomen Brahme, se manifestat.

2. Polytheistae non pauci, qui tenebant unum esse Deum; deos inferiores esse modificationes praestantiores sub quibus supremus Deus se manifestat; ceteras res esse symbola infima ejusdem entis.

3. Apud Graecos: a) In schola Ionica, Hesiodus, Pythagoras; b) in schola Eleatica, Xenophanes, Parmenes, Zeno.

4. Pars Gnosticorum (aggrederentium explicare dogmata christiana per Pantheismum orientalem), ducibus Valentino, Carpocrate, Epiphano, qui tenebant ab uno ente *Būbū* processisse triginta *āionēs*, tamquam terminos, qui constituant *πληρῶμα*.

B. Dualismo infecti erant :

1. Chaldae, juxta quos duplex est principium aeternum : *Hur* sive intelligentia, et *Nebo* sive materia; illa in istam agit, eamque multipliciter modificat.

2. Persae, juxta quos inter duo principia, quorum alterum est bonum, alterum vero malum, perpetua, eaque probabilius directa, grassatur pugna.

3. Altera pars Gnosticorum, ex quibus non pauci Manichaeorum, juxta quos probabilius inter principium bonum et malum initur pugna indirecta, qua utrumque manifestatione propria conatur alterius impidire manifestaciones.

4. Schola Alexandrina Neoplatonicorum, cuius duces fuerunt Plotinus, Proclus, Porphyrus, et cuius propugnator fuit Julianus Apostata; hi doctrinam christianam impugnant defendendo placita pantheistica Orientalium, Graecorum et Gnosticorum.

II. MODERNA AETATE pantheismum praecipue proposuerunt : a) Baruch Spinoza (1632-1677), quem praeiverant sec. IX Scotus Erigenus et sec. XVI Jordanus Brunus; b) Amedaeus Fichte (1762-1814); c) Fred. Gul. Schelling (1775-1854); d) Hegel (1770-1831).

§ 2. Refutatur Pantheismus.

Thesis 16. Systema Pantheismi, sive realis sive idealis, summis scatet absurditatibus.

76. PROB. I^m ARG. Si unica est substantia, ea quae apprehenduntur tamquam distincta : a) vel sunt merae apparentiae; b) vel sunt dumtaxat formae subjectivae innatae, omni valore objectivo privae; c) vel constituunt a parte rei unum ens. Atqui quidquid dixeris argumentabimur. Ergo.

Prob. 1^a et 2^a pars Min. Ut in Logica demonstratur : α) intellectus per se est infallibilis; β) ideae per se habent valorem objectivum; γ) infallibiliter vera sunt ea quae renuntiant sen-

sus externi rite dispositi et rite applicati : renuntiant autem plurimus res inter se distinctas et constantes ex substantia et ex accidente. Insuper absurdum est intellectum infinitum, qualis esset substantia unica, illusionibus perpetuis teneri. Ergo.

Prob. 3^a pars Min. Absurditas Idealismi exaggerati argumentis sequentibus ostenditur, omissis ceteris.

Si res, quae uti distinctae apprehenduntur, sunt unum ens : a) vel per emanationem transeuntem sunt partes ab hoc ente decidentes; b) vel per evolutionem immanentem sunt modificationes et determinationes unius entis. Atqui neutrum dici potest.

— **Non primum.** Nam α) pars decisa vel ponitur realiter distincta ab ente quod eam demittit, et jam habentur plures substantiae; vel non distinguitur realiter : illud autem perinde est atque fieri evolutionem immanentem. β) Infinitum est simplicissimum et immutabile (tale infinitum existere probat Theologia naturalis). Atqui a simplicissimo et immutabili nil decidit, quocumque modo, tamquam pars ejus. γ) Decisione facta, vel ens a quo partes decidunt, manet infinitum, vel collectio est infinita. Atqui si primum dicitur, habetur infinitum infinito majus; si alterum, quibusdam partibus remotis, reliquae sunt finitae vel infinitae, utrumque vero affert absurditates. — **Non secundum**, uti colligitur tum ex absurditate Realismi exaggerati de quo in Crit. n. 216, tum seq. arg.

II^m ARG. Illud absurditatibus scatet quod principii contradictionis est eversivum. Atqui hujusmodi est sistema pantheistarum, quocumque modo propositum. Ergo.

Prob. Min. Hoc systemate eadem substantia simul afficitur determinationibus et modificationibus inter se oppositis; simul est homo et non homo, vivens et non vivens, alba et non alba, se movens et quiescens, nascens et moriens, honeste vivens et inhoneste. Atqui sic evertitur principium contradictionis, vi cuius idem nequit simul esse et non esse, esse hoc et illo modo.

III^m ARG. Tamquam absurdissimum est rejiciendum id e quo fluunt : a) atheismus practicus; b) materialismus; c) fatalismus; d) mortalitas animae, et defectus sanctionis vitae futurae; e) honestas cuiusvis actionis humanae, penitus sublata omni inhonestate. — Atqui ex Pantheismo fluit : a) *Atheismus* :

omnia enim entia esse unum ens, perinde est atque homini nullum Denm esse colendum. b) *Materialismus*: existunt enim corpora; idem vero nequit esse spiritus et corpus; ergo non existit nisi ens corporeum. c) *Fatalismus*: unicum enim ens fatali necessitate se evolvit. d) *Mortalitas animae*: uti enim praeteritiae determinationes unius entis jam evanuerunt, ita et evanescet haec manifestatio, quae est anima humana. e) *Honestas cuiusvis actionis*: ibi enim nulla in honestas, ubi nulla libertas; sed in pantheismo nulla datur libertas, siquidem infinitum se necessario evolvit; ergo nulla est in honestas.

77. Obj. 1. Unus est entis conceptus; atqui uni conceptui respondet res una; ergo unum est ens.

Prob. Min. Conceptus entis habet valorem objectivum. Atqui valore objectivo destituitur, nisi uni conceptui respondeat unum objectum. Ergo.

Resp. Dist. Maj. Entis conceptus est unus et *universalis*, imo *transcendentalis*, h. e. ratio repraesentata inest omnibus distributive, *Conc.*; est unus et *singularis*, h. e. ratio repraesentata non convenit nisi rei uni, *Neg.*; Cdt. Min. conceptui uni et singulari respondet res una, *Conc.*; uni et universalis, *Subdist.* respondet res realiter una, *Neg.*; logice una, h. e. respondent res realiter multae, inter se quadantenus *similes*, *Conc.*

Ad prob. Min. resp.: a) *Conc. Maj. Dist. Min.* Conceptus entis destituitur valore objectivo, nisi conceptui uni, qui foret *singularis*, respondeat objectum unum, *Conc.*; qui foret *universalis*, *Subdist.* nisi respondeat objectum realiter unum, *Neg.*; logice unum, *Conc.* — b) *Dist. Maj.* Conceptus entis habet valorem objectivum *quoad id quod concipitur*, *Conc.*; *quoad modum quo concipitur*, *Subdist.* est fundamentaliter reale, h. e. res praebent fundamentum, cur unus conceptus repraesentet omnia distributive, *Conc.*; formaliter, *Neg.*

Obj. 2. Si haberentur plura entia, non esse in aliis rebus aliter determinaretur; atqui ens aliter in aliis rebus determinari non potest. Ergo.

Prob. Min. Modi determinativi entis adderent enti aliquid positivi vel negativi; atqui neutrum dici potest. Ergo.

Prob. 1^a pars Min. Positivum quod superadderetur enti,

esset extra rationem entis. Atqui repugnat aliquid positivi esse extra rationem entis; illud enim esset non ens, sive aliquid negativi. Ergo repugnat aliquid positivi addi enti.

Prob. 2^a pars Min. Aliiquid negativi addi enti, est: a) vel aliquid positivae realitatis deesse enti; b) vel ens se sibimet ipsi phaenomenaliter opponere, se distinguere a se ipso, se limitare. Atqui primum dici non potest: hoc enim est idem atque aliquid positivi haberi extra rationem entis; si alterum dicitur, non habentur realiter plura entia, sed unum ens diversimode se immanenter explicans, se modificans, se sibi opponens. Ergo.

Resp. Dist. Maj. Si haberentur plura entia ly esse ut sic *concipetur* in aliis rebus aliter determinari, *Conc.*; in his rebus *realiter et physice* esse ut sic determinaretur per aliquid, quod ideo foret aliud in aliis rebus, *Neg.*; Cdt. Min. Ens ut sic aliter in aliis rebus *concipi non potest* determinari, *Neg.*; non potest fieri in re *compositio physica inter ens et modum entis*, *Conc.*

— Ad prob. Dist. Maj. Modi determinativi entis adderent enti vel aliquid negativi vel aliquid positivi quod aut non includit ens, aut *includit ens*, *Conc.*; vel aliquid negativi, vel aliquid positivi quod non includit ens, *omisso tertio*, *Neg.*; Cdt. Min. Non potest dici enti addi aliquid negativi, *Conc.*; aliquid positivi, *Subdist. quod non includat ens*, *Conc.*; *quod includat ens et limitet ens*, *Neg.*

Ad prob. 1^{re} part. Min. Dist. Maj. Positivum quod superadditur enti, est extra rationem entis, h. e. extra *comprehensionem* entis, sive *non includitur in ente*, *Conc.*; extra *extensionem* entis h. e. *non includit ens*, *Neg.*; Cdt. Min. Absurdum est aliquid positivi esse extra *comprehensionem* entis, *Neg.*; extra *extensionem*, *Conc.*

Obj. 3. Datur infinitum quod sit unum; atqui praeter ens infinitum, aliud ens esse nequit. Ergo ens est unum.

Prob. Min. Diversis modis: a) Ens infinitum tale esse debet, ut eo majus esse nequeat; atqui ad hoc requiritur ut si unicum; ergo.

Resp. Conc. Maj.; Neg. Min. Ad prob. Dist. Maj. Non datur ens ente infinito majus h. e. *perfectius*, *Conc.*; majus numero, *Neg.*; Cdt. Min. Ut non haberi possit aliquod ens *perfectius*

quam ens infinitum, requiritur ut sit unicum ens, *Neg.* Ut non habeatur ens majus *numero*, *Conc.*

Obj. 4. b) Ens infinitum comprehendit omnem perfectionem. Atqui ut comprehendat omnem perfectionem, requiritur ut non habeatur aliud ens praeter ipsum. Ergo.

Resp. Dist. Maj. Ens infinitum comprehendit omnem perfectionem *mixtam*, *Neg.*; *simplicem*, *Subdist.* eo sensu quod omnis perfectio quae concipi potest, *praedicabilis est de Deo*, imo eminentius habetur in eo quam concipitur, *Conc.*; eo sensu quod perfectio simplex *praedicabilis de Deo non potest convenire analogice alii enti*, *Neg.*; *Cdt. Min.* Ut quaevis perfectio, quae potest concipi, *sit praedicabilis de ente infinito*, et eminenter in eo habeatur, opus est ut nulli alii analogice conveniat, *Neg.*; *secus*, *Conc.*

Obj. 5. c) Entis infiniti essentia est esse; atqui ut entis essentia sit esse, requiritur ut praeter illud non habeatur aliud ens.

Prob. Min. Ut entis essentia sit esse, opus est ut illud ens sit omne id in quo habetur esse; atqui esse habetur in omni re; ergo requiritur ut illud ens sit omne id quod est.

Resp. Dist. Maj. Entis infiniti essentia est esse, h. e. *aseitas*, *actus purus essendi*, actus qui nulli influxui causaliter alterius entis subest, *Conc.*; *esse ut sic, abstractum, transcendentale, vacuum*, *Neg.*; *Cdt. Min.* ut essentia sit ens *transcendentale* oportet ut praeter ipsum non habeatur aliud, *Conc.*; ut essentia sit *actus purus essendi*, *Subdist.* oportet ut non sit aliud quod sit *a se*, *Conc.*; quod sit *ab alio* et de quo praedicandus sit conceptus *objectivus* entis, abstrahens a ratione finiti et infiniti, *Neg.*

Obj. 6. Habetur idea Dei; atqui haberi nequit, nisi ens infinitum sit unicum ens. Secus haurienda est ex rebus finitis; atqui ex finito non hauritur idea infiniti. Ergo.

Resp. Dist. Maj. Habetur idea *analogica* Dei, *Conc.*; *propria*, *Neg.*; *Cdt. Min.* Haberi nequit idea *propria* Dei, nisi ens infinitum sit unicum, *Transm.*; idea *analogica* quae sit *partim positiva partim negativa*, *Neg.* *Ad prob. Min.* *Conc. Maj. Dist. Min.*: Ex finitis non hauritur idea infiniti *propria et totaliter positiva*, *Conc.*; *analogica et partim negativa*, *Neg.*

CAPUT VIII.

DE ULTIMA CAUSA EFFICIENTE ET ORDINANTE MUNDI.

78. Prologus.

In mundo considerari possunt :

1. *Ordo* qui inter varias species et individua specierum exsurgit. — Quaenam sit causa ultima ordinans mundi, et quomodo haec causa ordinem produixerit, art. 2. dispicietur.

2. *Corpora* seu aggregata molecularum, quae instruuntur qualitatibus accidentalibus et formis substantialibus, sive sensu Scholasticorum, sive sensu Dynamistarum et Atomistarum (quo nimur sensu numerus et situs elementorum primigeniorum, quibus constaret molecula, dicuntur illius forma). — Qualitates corporum per alia corpora naturaliter producuntur; pariter unum corpus ex alio immediate generatur, modo ex imperfectiori perfectius, modo ex perfectiori imperfectius, quocumque demum modo haec generatio et corruptio explicetur.

— Circa has formas et qualitates successivas corporum quaeri potest num Deus sit earum causa principalis, h. e. *utrum condendo materiam elementarem praeviderit et voluerit huic materiae successore inesse has formas substanciales et qualitates*; an ista successio formarum et qualitatum alii causae sit adscribenda. — Haec autem quaestio ad Theodiceam remittitur.

3. *Materia* e qua ortae sunt variae naturae. Nomine autem materiae heic intelligimus sive materiam primam peripateticam, sive corpuscula atomistica, sive elementa ponderabilia et imponderabilia Dynamistarum. — Ultima causa *materiae mundi* dicitur *causa creatrix mundi*. De hac in primo articulo agetur.

ARTICULUS I.

DE CREATIONE MUNDI.

Circa materiam mundanam quaeritur quomodo existentiam sit adepta. Quae quaestio haec quatuor involvit :

quam ens infinitum, requiritur ut sit unicum ens, *Neg.* Ut non habeatur ens majus *numero*, *Conc.*

Obj. 4. b) Ens infinitum comprehendit omnem perfectionem. Atqui ut comprehendat omnem perfectionem, requiritur ut non habeatur aliud ens praeter ipsum. Ergo.

Resp. Dist. Maj. Ens infinitum comprehendit omnem perfectionem *mixtam*, *Neg.*; *simplicem*, *Subdist.* eo sensu quod omnis perfectio quae concipi potest, *praedicabilis est de Deo*, imo eminentius habetur in eo quam concipitur, *Conc.*; eo sensu quod perfectio simplex *praedicabilis de Deo non potest convenire analogice alii enti*, *Neg.*; *Cdt. Min.* Ut quaevis perfectio, quae potest concipi, *sit praedicabilis de ente infinito*, et eminenter in eo habeatur, opus est ut nulli alii analogice conveniat, *Neg.*; *secus*, *Conc.*

Obj. 5. c) Entis infiniti essentia est esse; atqui ut entis essentia sit esse, requiritur ut praeter illud non habeatur aliud ens.

Prob. Min. Ut entis essentia sit esse, opus est ut illud ens sit omne id in quo habetur esse; atqui esse habetur in omni re; ergo requiritur ut illud ens sit omne id quod est.

Resp. Dist. Maj. Entis infiniti essentia est esse, h. e. *aseitas*, *actus purus essendi*, actus qui nulli influxui causaliter alterius entis subest, *Conc.*; *esse ut sic, abstractum, transcendentale, vacuum*, *Neg.*; *Cdt. Min.* ut essentia sit ens *transcendentale* oportet ut praeter ipsum non habeatur aliud, *Conc.*; ut essentia sit *actus purus essendi*, *Subdist.* oportet ut non sit aliud quod sit *a se*, *Conc.*; quod sit *ab alio* et de quo praedicandus sit conceptus *objectivus* entis, abstrahens a ratione finiti et infiniti, *Neg.*

Obj. 6. Habetur idea Dei; atqui haberi nequit, nisi ens infinitum sit unicum ens. Secus haurienda est ex rebus finitis; atqui ex finito non hauritur idea infiniti. Ergo.

Resp. Dist. Maj. Habetur idea *analogica* Dei, *Conc.*; *propria*, *Neg.*; *Cdt. Min.* Haberi nequit idea *propria* Dei, nisi ens infinitum sit unicum, *Transm.*; idea *analogica* quae sit *partim positiva partim negativa*, *Neg.* *Ad prob. Min.* *Conc. Maj. Dist. Min.*: Ex finitis non hauritur idea infiniti *propria et totaliter positiva*, *Conc.*; *analogica et partim negativa*, *Neg.*

CAPUT VIII.

DE ULTIMA CAUSA EFFICIENTE ET ORDINANTE MUNDI.

78. Prologus.

In mundo considerari possunt :

1. *Ordo* qui inter varias species et individua specierum exsurgit. — Quaenam sit causa ultima ordinans mundi, et quomodo haec causa ordinem produixerit, art. 2. dispicietur.

2. *Corpora* seu aggregata molecularum, quae instruuntur qualitatibus accidentalibus et formis substantialibus, sive sensu Scholasticorum, sive sensu Dynamistarum et Atomistarum (quo nimur sensu numerus et situs elementorum primigeniorum, quibus constaret molecula, dicuntur illius forma). — Qualitates corporum per alia corpora naturaliter producuntur; pariter unum corpus ex alio immediate generatur, modo ex imperfectiori perfectius, modo ex perfectiori imperfectius, quocumque demum modo haec generatio et corruptio explicetur.

— Circa has formas et qualitates successivas corporum quaeri potest num Deus sit earum causa principalis, h. e. *utrum condendo materiam elementarem praeviderit et voluerit huic materiae successore inesse has formas substanciales et qualitates*; an ista successio formarum et qualitatum alii causae sit adscribenda. — Haec autem quaestio ad Theodiceam remittitur.

3. *Materia* e qua ortae sunt variae naturae. Nomine autem materiae heic intelligimus sive materiam primam peripateticam, sive corpuscula atomistica, sive elementa ponderabilia et imponderabilia Dynamistarum. — Ultima causa *materiae mundi* dicitur *causa creatrix mundi*. De hac in primo articulo agetur.

ARTICULUS I.

DE CREATIONE MUNDI.

Circa materiam mundanam quaeritur quomodo existentiam sit adepta. Quae quaestio haec quatuor involvit :

a) Num *possibilitas* sit materiei mundanae creatio? Dato creationem non implicare :

b) Num solius creationis beneficio materia mundana existentiam acquirere potuerit? Hoc dato :

c) Num necessario creatio fuerit ab aeterno? Dato non necessariam esse aeternam mundi existentiam :

d) Num creatio aeterna sit *possibilis*?

Antequam haec tractentur, aperiendus est conceptus creationis.

§ 1. *De conceptu creationis.*

79. A. Creare est facere ex *nihilo*, creari est fieri vel factum esse ex *nihilo*. Inde creatio varie definitur :

1. *Productio alicujus rei secundum suam totam substantiam, nullo praesupposito.*

2. *Productio rei ex nihilo sui et subjecti.* In hac definitione :
a) *Productio* excludit naturam divinam ab ambitu rerum creatarum. b) *Ex nihilo* significat *successionem non esse rei ad non esse*, saltem secundum ordinem naturae, ita ut non esse rei sit terminus a quo negativus creationis, et non esse terminus ad quem positivus; sive etiam *negationem praexistentiae illius quod producitur*. Quare *ex nihilo* significat « *non ex aliquo* ». Quid autem sit illud cuius praexistentia negatur, exprimitur sequenti vocabulo. c) *Sui et subjecti* excludit concursum causae materialis, seu dependentiam rei quae creatur, ab aliquo subjecto, ita ut *ex nihilo sui et subjecti idem sonet atque ex nullo subjecto praexistenti, ex non ente*. Inepte itaque contradictionis arguitur conceptus creationis ac si affirmaret *nihilum*, ad instar realis alicujus, converti in *ens*, vel aliquid realiter transire a statu *possibilitatis*, in quo entitate aliqua gauderet, ad statum *existentiae*.

3. *Emanatio totius entis a causa universalis*, quae est Deus. Eo enim quod totum ens emanare concipitur, non supponit subjectum e quo educatur.

4. *Productio entis ut sic.* Fieri enim *ens*, in quantum est *ens*, est ipsam rationem entis per se primo fieri. Sic creatio distinguitur a quavis alia actione, qua exurgit *ens tale*, sive qua id quod potentia erat *tale* vel *tale*, fit *actu tale aut tale*.

B. *Creatio respective inspecta.* 1. Creatio differt ab *effectione proprie dicta, a mutatione, ab eductione, a conversione, a plasmatione*. Hae enim actiones presse acceptae praesupponunt subjectum, cui inducunt vel formam sive substantialem sive accidentalem, subjectum scilicet mutando, vel ordinem novum partium, adeo ut res sit mutata, aliter effecta, et producta, et plasmata. — Creatio differt etiam a *generatione*, qua agens vivum ita modifical materiam in ipso existentem, ut gignat simile sui secundum speciem.

2. Actio *creativa* pertinet ad genus *causalitatis efficientis, seu productionis*. Agens enim efficienter causans, vel producit effectum ex subjecto, vel causam materiale nullam adhibet. In primo casu genus causalitatis productivae descendit ad speciem *effectio*nis, *mutationis*, *conversionis*, aut *generationis*; in posteriori casu descendit ad speciem *creationis*. Hinc in re *creata*, nulla habetur passio, sive motus proprio dictus.

§ 2. *De possibilitate creationis.*

80. Per revelationem cognoscimus de facto mundum fuisse *creatum*, adeoque creationem esse possibilem. Quæritur num, supposito nullam revelationem de mundi creatione factam fuisse, *possibilitas creationis solo rationis lumine absolute potuisset probari*; sive etiam num, supposita revelatione, *haec possibilitas argumentis intrinsecis demonstretur*.

Fatendum est possibilitatem creationis a plerisque philosophis antiquitatis fuisse ignotam, vel adeo negatam. Illud autem factum non arguit quidem physicam impotentiam illius rei probandae, sed moralē dumtaxat impotentiam. Ut enim intelligeretur ista possibilitas, agnoscenda imprimis videbatur infinita Dei perfectio, infinitaque potentia; quum vero praeposterae opiniones apud plerosque gentilitatis philosophos de Dei natura invaluerint, mirum non est quod circa creationem caecutiverunt. — Catholicos theologos duplex sententia divisos habet.

Thesis 17. Creatio mundi est adaequate possibile.

81. PROB. Illud est adaequate possibile, cui non deest :

a) *possibilitas intrinseca*, h. e. inter cujus notas constitutivas nulla habetur contradicatio; b) *possibilitas extrinseca*, h. e. cui praesto est causa efficiens, quae par sit illud causando. Atqui creationi mundi neutra possibilitas deest. Ergo creatio est adaequate possibilis.

Prob. 1^a pars Min. Conceptus creationis mundi ad hoc reddit, ut prius habeatur nulla causa materialis, nullum ens, dein habeatur sucedatque ens, nempe mundi materia, ut terminus adaequatus actionis. Atqui inter notas talis conceptus nulla habetur repugnantia, h. e. non habetur aliqua nota quae neget, vel excludat aliam notam ejusdem conceptus. Ergo.

Prob. 2^a pars Min. Existit ens infinite perfectum et infinite potens. Atqui tale ens non est impar producendo res ex nihilo; sive ei non deest: a) *potentia absoluta creandi*; b) *potentia ordinata*. Ergo.

Non deest Deo infinito potentia absoluta creandi: a) Etenim secus limites ponerentur potentiae Dei activae per potentiam passivam materiae praerequisitae, ideoque Deus non esset infinite potens. b) In ente infinito et primo inest omnis perfectio simpliciter simplex. Atqui potentia absoluta operandi est perfectio simplex; independentia a causa materiali removet ab hac potentia omnem limitem, eamque ad gradum perfectionis simpliciter simplicis elevat. Ergo.

Non deest Deo potentia ordinata. Ratio est quod non deest potentia ordinata ad ordinandum mundum, uti patebit ex dicendis de causa finali mundi. Ergo non deest Deo potentia ordinata ad creandam materiam mundanam.

82. Obj. 1. Ex nihilo nihil fit; atqui creare est facere ex nihilo; ergo nihil creatur.

Prob. Maj. a) Ex sententia unanimi philosophorum illud principium tamquam analyticum admittentium.

b) Nullus effectus procedit a causa efficiente, nisi habeatur causa materialis; atqui omne quod fit est effectus aliquis; ergo ex nihilo nihil fit.

Resp. Dist. Maj. Nihil fit ex nihilo quod absurde ponetur tamquam *causa materialis*, Conc.; ex nihilo, h. e. nil producitur ex non ente, sive nulla *praesupposita causa materiali*, Sub-

dist. a causa efficiente finita, nihil sic producitur, Conc.; a causa infinita, Neg.; Cdt. Min. Dist. Cons.

Ad 1^m probat. minoris: Philosophi tamquam analyticum habuerunt principium ex nihilo veluti ex causa materiali, nil fieri; quod si tamquam analyticum habuerunt principium, nil fieri a nullo ente nisi praesupponatur causa materialis, hoc tantum arguit dari impotentiam moralem ut intellectus sibi permisus ad tantam Dei virtutem se erigat.

Ad 2^m probat. Dist. Maj. Nullus effectus propriæ dictus, Conc.; lato sensu, *Subdist.* non emanat ex causa efficiente finita et particulari nisi habeatur causa materialis, Cone.; nullus effectus lato sensu emanat ex causa efficiente infinita, nisi, etc. Neg. Cdt. Min.; Dist. Cons. Nihil fit ex nihilo per causam particularem et finitam, Conc.; per causam infinitam et universalem, Neg.

Obj. 2. Creari est mutari; atqui nil mutatur ex nihilo. —

RESP. Dist. Maj. Creari est mutari *physice*, Neg.; *metaphysice*, Conc.; Cdt. Min.

Obj. 3. *Ex ratione substantiae*. Substantiam esse creatam, involvit contradictionem. Etenim substantia, ex conceptu suo, est ens per se; quod creatur, est ens ab alio. Atqui contradictoria sunt esse per se et esse ab alio. Ergo conceptus substantiae creatae involvit contradictionem.

RESP. Dist. 1^a pars Maj. Substantia est ens per se, h. e. non dependet a subjecto cui inhaereat, illud modificando, Conc.; est ens per se h. e. ex conceptu suo non dependet a causa efficiente, Subd. conceptus substantiae, utpote conveniens substantiae infinitae et substantiae finitae, *praescindit* ab ejusmodi dependentia, Conc.; *excludit* talem dependentiam, Neg.—*Dist. 2^a pars.* Quod creatur est ens ab alio, h. e. pendet secundum se totum ab alio, *ut a causa efficiente*, Conc.; est ab alio cui inhaereat, Neg.; Cdt. Min. Contradictorium est aliquid non inhaerere alteri, tamquam ejus modificationem, et illud *a causa efficiente* nactum esse totum suum esse, Neg.; contradictorium est aliquid pendere et non pendere ab eodem, *eodem modo dependentiae*, Conc.

§3. Mundum solius creationis beneficio existere posse ostenditur.

Postquam probatum est mundi creationem esse possibilem, quaerendum est *num haec potentia ad actum fuerit adducta*. Per revelationem illud certo constat. Ut autem sola ratione sit manifestum, probandum est solius creationis beneficio mundum nancisci potuisse existentiam.

83. Mundum esse creatum a Deo denegaverunt : a) Multi ex antiquis philosophis qui nihilominus admirerunt existentiam Dei, asserueruntque ordinem hujus universi, ex materia aeterna infectaque eductum, habere Deum auctorem. — b) Athei qui ordinem mundi adscribunt : a) sive *casui*; b) sive *seriei infinitae causarum mundanarum*; c) sive *evolutioni activae*, sive *animae mundanae*, sive *evolutioni logiae*.

In Theodicea demonstrabitur Deum esse causam ordinis mundani; heic refutamus id quod est commune duabus sententiis affirmantibus materiam esse infectam.

Thesis 18. Solius creationis beneficio materia mundana existentiam acquirere potuit.

84. PROB. Materia mundi vel est infecta, estque a se, h. e. per essentiam suam determinatur ad existendum, et idcirco in se, non vero in causa efficiente, habet adaequatam rationem sufficientem existentiae suae; vel est facta, adeoque creata. Atqui absurdum est materiam mundi esse a se. Ergo mundi materia est facta ex nihilo.

Prob. Min. I^o ARG. Ens a se, vi aseitatis, est a) infinite perfectum; b) simplicissimum; c) immutabile; d) independens, uti probabitur in Theodicea, agendo de Deo. Atqui nullum ex his convenit materiae mundanae. Ergo non est a se.

1. Mundus non est infinite perfectus. Probabitur capite decimo. Liquet eo quod constat ex partibus; id autem quod partibus constat est finitum et imperfectum; nam exsurgit ex imperfectis, singulae enim partes ex conceptu suo sunt imperfectae quum per partes perficiantur; jam vero ex imperfectis non oritur infinite perfectum.

2. Mundus non est simplex. Est enim complexus corporum; singula autem corpora constant ex partibus, hae ex moleculis.

3. Mundus non est immutabilis. Manifestum est ex continuo corporum motu, tum generativo, tum quantitativo, tum qualitativo, tum locali.

4. Mundus non est independens. Nam a) singulae partes materiae ordinantur ad constituendum corpus; b) tota corpora ordinantur ad composita artificialia; c) unum corpus ab alio movetur, attrahitur, repellitur, uti declaratum est agendo de ordine mundano.

I^o ARG. Materia e qua mundus coalescit, ex una parte est ex natura sua indifferens ad motum vel ad quietem, ad hanc vel ad illam molem; ex altera parte sine uno ex his nequit existere. Atqui quod ex natura sua est indifferens ad varia, ita ut sine uno ex his existere nequeat, illud non est a se, sive per essentiam suam non determinatur ad existendum. Ergo.

Prob. Min. Id quod est indifferens ex natura sua ad praedicta, ab alio debet determinari ad unum. Atqui quod determinari debet ab alio ad id quod est necessarium ad existendum, jam non est simpliciter a se. Ergo.

§ 4. De tempore creationis.

85. Quaeritur : a) Num mundus sit necessario ab aeterno creatus quoad materiam suam, h. e. num necessario initio caret; b) dato mundu non esse necessario ab aeterno, utrum saltem possibile sit ipsum ab aeterno esse conditum; an e contra necesse sit eum in tempore incepisse.

PRIMA QUAESTIO.

Sententiae. I^a, quae est Aristotelis et discipulorum ejus non christianorum, asserit *materiam esse necessario aeternam*. — Inter hos nonnulli, iisque paucissimi, admittebant hanc materiam esse creatam. Juxta eos Deus non potuit creare mundum in tempore, sed ab aeterno debuit se determinare vel ad mundum creandum, vel ad eum non creandum; mundi autem existentia illico ad Dei determinationem sequitur. Porro Deus se

determinavit ad mundum condendum. Ideo mundus Deo coexistit, tamquam ab actu voluntatis divinae, ad extra efficaci, aeternaliter volitus. — Juxta alios determinatio Dei voluntatis ad mundum condendum libera non est, sed necessaria, adeoque aeterna.

II^a est philosophorum christianorum, dicentium *in dogmate catholico, quo mundus docetur initium accepisse, nullam offendit contradictionem*. Juxta eos penes libertatem divinam fuit mundo illud initium tribuere, quod ipsi liberimē visum fuerit.

Thesis 19. Necesse non est ut materia mundana ab aeterno fuerit creata.

VERITATIS

86. PROB. Ratio cur mundus necessario creatus esset ab aeterno, peteretur aut ex Deo creante, aut ex mundo creato. Atqui ex neutra parte nulla ratio peti potest. Ergo nulla exstat.

A. EX PARTE DEI NULLA HABETUR RATIO. Etenim qui potuisset liberimē mundum non condere, et qui multos alias effectus in tempore operatur, ex parte ejus non peti potest ratio cur non potuisset velle mundum qui aeternus non foret. Atqui Deus potuisset mundum ex nihilo non extrahere, et quotidie multos effectus producit. Ergo ex parte Dei nulla peti potest ratio cur mundus necessario sit aeternus.

Prob. 1^a pars Min. Deus est infinite beatus, ita ut mundus conditus beatitudinem ejus intrinsecam nec augere nec minuere valeat. Atqui qui est infinite beatus, ille potuisset mundum non creare; mundo enim nullatenus eget. Ergo Deus potuisset mundum non creare.

Prob. 2^a pars Min. Deus creat singulas hominum animas; entia creatu conservat; cum iis agentibus concurrit. Ergo quotidie operatur in tempore.

B. EX PARTE MUNDI NULLA EST NECESSITAS CREATIONIS AETERNAE.

I^m ARG. Deus potuisset nullum mundum creare, potuisset sine fine alios creare mundos; atqui ex parte talis entis non peti potest ratio, cur vel aeternum vel nullum esse debuisse. Ergo.

II^m ARG. Deus nullo officio quasi-justitiae adstringitur erga mundum; ergo ex parte mundi nulla est necessitas creationis aeternae.

87. Obj. 1. Ex aeternitate Dei. Mundus est effectus actus aeterni. Atqui effectus causae aeternae est aeternus. Ergo mundus est aeternus.

Constat major quia Deus est immutabilis non solum physice sed etiam moraliter. Quamobrem Deus nunquam circa volubilitate transiit a statu indeterminationis ad statum determinationis.

Resp. In actu divino distinguere est principium sive entitatem actus, quae identificatur cum essentia divina et aequa atque ipsa est aeterna, et terminationem istius actus, qui terminus est ipse mundus. Ab aeterno autem Deus voluit mundum determinata duratione temporali et proinde determinato initio donatum; vi hujus actus voluntatis divinae, mundus in esse transit eo momento quod a Deo praefixum erat. — *Quare Dist. Maj.* Mundus est effectus actus principiati aeterni qui ab aeterno est efficax, *Neg.*; qui in tempore est efficax, prout libere est decretum a Deo, *Cone.*; *Cdt. Min.*

Inst. Atqui effectus actus principiati aeterni est ipse aeternus, sive dato actu principiati aeterno, datur terminatio aeterna istius actus. Etenim :

Obj. 2. Posita causa in actu, sequitur effectus; atqui actus creativus principiati aeternus est causa aeterna in actu. Ergo, posito actu principiati aeterno, poni necesse est mundum aeternum.

Resp. Dist. Maj. Posita causa *necessario* agenti, ponitur effectus, *Cone.*; posita causa *libere* agente, *Subdist.* posita causa *finita* elicente actu, ponitur effectus, *Cone.*; posita causa *infinita*, adhuc *Subdist.* ponitur effectus *secundum aliquod nunc in quo simul sunt causatum et causa*, *Cone.*; ponitur effectus *secundum omnia nunc, vel tempora*, quibus eminenter aequivalent aeterna duratio causae et actus ejus, *Neg.*; *Cdt. Min.* Actus creativus principiati sumptus est *aeternus* et est *necessarius*, vel elicitor a causa *finita*, *Neg.*; *libere* elicitor a causa *infinita*, *Cone.*; *Dist. Cons.* Posito actu principiati aeterno ponitur effectus *secundum aliquod nunc in quo simul sunt*, *Cone.*; *secundum omnia nunc vel tempora virtualia causae aeternae*, *Neg.*

Obj. 3. Ex Dei immutabilitate. Repugnat in Deo mutationem aliquam contigisse. Atqui eo quod mundus non fuisset semper simul cum Deo, Deus mutationem subiisset. Ergo.

RESP. Conc. Maj. Neg. Min.

Prob. Min. Sic enim in tempore Deus a non creante factus esset creans. At qui a non creante fit creans, ille mutatur. Ergo.

RESP. Dist. Maj. Sic Deus in tempore a *principiative non creante* factus esset *principiative creans*, *Neg.*; sic in tempore, ob terminationem actus creativi, *nova denominatio Deo advenisset*, *Conc.*; *Cdt. Min.*

Obj. 4. Eo quod Deus non necessario ab aeterno creasset, consequeretur ante mundum creatum simul fuisse tempus et non fuisse tempus; atqui nihil est absurdius. Ergo.

Prob. Maj. a) Non fuisse tempus; nam duratio temporalis inchoasset mundi inceptione; b) fuisse tempus, nam aliquando fuisse nihil; atqui « aliquando » idem sonat atque aliquo tempore. Ergo.

RESP. Dist. Maj. Consequens foret fuisse et non fuisse *tempus reale*, *Neg.*; non fuisse tempus reale et fuisse tempus *imaginarium*, *Conc.*; *Cdt. Min.*

Ad prob. Maj. Conc. 1^a pars; *Dist. 2^a pars.* Aliquando, h. e. aliquo tempore *imaginario* fuit nihil, *Conc.*; aliquo tempore *reali* fuisse nihil, *Neg.*; *Conc. Min.* Ante mundum creatum non erat nisi aeternitas, virtualiter complectens omnia aliquando possibilia, sed nullam successionem realem involvens.

SECUNDA QUAESTIO.

88. Sententiae. I^a tenet demonstrari non posse repugnare ut Deus ab aeterno mundum condidisset. Hanc sententiam, studio ab Aristotele non discedendi, tenent D. Th., eoque duce, omnes Thomistae.

II^a tenet aeternitatem actualem mundi involvere absurdum. Aserit haec sententia mundum esse syncategorematico aeternum, eo sensu quod Deus potuisset condere mundum omnibus instantibus distributive sumptis, ita tamen ut nullum instans assignari possit, ante quod Deus non potuisset mundum creare. Hanc sententiam tenent Alb. M., Henr. Gand., S. Bonav., Toletus; inter modernos Sylv. Maur., Tongiorgi, cl. Palm., cl. Pesch., cl. Stentrup. Suarez admittit ab aeterno creari po-

tuisse ens cuius duratio esset permanens et immobilis; illud autem negat de ente cuius duratio est successiva.

Secundam sententiam, reverenter ac gravate ab Angelico discedentes, propugnamus sequenti thesi :

Thesis 20. Videtur repugnare mundum fuisse ab aeterno creatum.

89. PROB. I^m ARG. Mundus qui ab aeterno conditus fuissest, sub duplice statu concipi potest : Vel ab aeterno fuissest sine ullo motu, sive locali, sive augmentativo, sive generativo; quo supposito, motus, qui hodieum aspicitur, in tempore incepisset. Vel ab aeterno insignitus fuissest motu aliquo. — Porro si Deus ab aeterno mundum in priori statu condere potuisset, manifestum est Deum ab aeterno etiam eum potuisse condere in posteriori statu : cur enim istud regurgnaret, illo non repugnante? — Quibus praestitutis sic arguimus :

Eo quod ab aeterno mundus condi potuissest, ab aeterno etiam motus aliquis successivus ei indi potuissest, proindeque ab aeterno homo aliquis, vel brutum, vel planta creari potuissest, cuius stirps per successivas generationes ad nos usque manasset; pariter ab aeterno anni annis, dies diebus succedere potuissest. Atqui consequens videtur esse absurdum. Ergo absurdum videtur mundum ab aeterno fuisse conditum.

Prob. Min. Eo quod talis homo vel tale brutum, vel simile quid, conditum fuissest, consequens foret haberi posse multitudinem actu infinitam entium quae successive exstifissent. Atqui absurdum videtur haberi posse talem multitudinem. Ergo absurdum videtur condi potuisse hominem cuius stirps ad nos usque manasset.

Ad Maj. Haec entia, quum omnia jam exstitissent actu, constituerent hoc momento determinato multitudinem actu sive finitam sive infinitam; nam illa quae actu exstiterunt non efficiere possunt multitudinem syncategorematico infinitam, uti ex notione istius infiniti perspicuum est. Sed multitudine hujusmodi entium nequit esse finita; ejus enim extreum figeret limitem et initium durationi mundi, quae supponitur aeterna, sive sine initio. Quamobrem infinita sit oportet.

Prob. Min. Ex illa multitudine quaedam individua separari possent, saltem cogitatione; reliqua vero multitudo erit infinita vel finita. Atqui quidquid dixeris argumentabimur. Ergo multitudo actu infinita dari nequit.

Prob. 1^a pars Min. Si reliqua multitudo est infinita, datur in eodem ordine infinitum infinito majus; sed hoc est inconveniens; infinitum enim est id quo majus esse non potest.

Prob. 2^a pars Min. Si reliqua multitudo est finita, finitum per additionem finiti evadit infinitum; sed hoc iterum esse inconveniens constat eo quod sic infinitum per subtractiones finitas exauriretur; jamvero quod sic exauritur, non caret limite.

Dices. De ratione multitudinis infinitae non est ut in eodem ordine non possit haberi multitudo major; dari enim potest infinitum infinito majus. Sed de ratione multitudinis infinitae simpliciter est non habere neque primum neque ultimum, de ratione multitudinis infinitae secundum quid, carere sive primo sive ultimo.

Resp. a) Negando. Etenim infinitum convenienter definitur « *id quo majus haberi nequit in eodem ordine.* » Infinitum enim opponitur finito; finitum vero est id quod limitem habet; jamvero si haberetur multitudo aliqua major ea quae supponitur infinita, excessus majoris multitudinis nonne esset aliquis defectus respectu multitudinis minoris? Quomodo igitur haec esse potest infinita?

b) *Eo quod datur multitudo aliqua major, ea quae est minor habet primum;* Deus enim utramque multitudinem cernere potest, easque inter se comparare; videt unam excedere alteram; sed ubi incipit excessus alterius, ibi incipit sive initium habet multitudo minor. Ergo definitio ab adversariis proposita incidit in definitionem quam impugnant, et quam pro vera habemus. (Cfr. *Ont.* n. 146).

II^o ARG. Efformatio successiva ordinis hodierni inter res mundanas initium habuit. Ergo ipsamet materia a Deo creata, initio non caret. Quae consequentia manifesta est, siquidem sine ratione Deus ab aeterno creasset materiam cui nonnisi in tempore impressisset motum unde evenit ordo hodiernus.

Prob. Ant. Ordo mundanus finem accipiet. Ergo et initium habuit.

Prob. Ant. Ut dictum est n. 35, quantitas energiae, quae in corporibus mundanis complexive sumptis viget, est quidem constanter eadem, dummodo a differentiis energiae actualis et potentialis, fiat praecisio; verum, quod heic addendum est, huic energiae duplex est forma, visibilis nempe motibusque externis conspicua, et invisibilis motibusque vibratoriis elementorum seu molecularum et aetheris contenta. Porro visibilis energia in invisibilem, ista in illam, perpetuo hac lege convertitur, ut tota quidem visibilis in invisibilem mutetur, verum nonnisi pars invisibilis ad visibilem redeat. E quo facto periti scientiarum physicarum concludunt mundum indesinenter, lento at certo gressu, ad statum immobilitatis et mortis progredi (1).

Mox dicetur tellurem nostram olim igneam per successivas transformationes ad hodiernum statum devenisse. Astronomi observant solem easdem decurrere phases, adeoque olim esse extingendum, quo statu adducto, privabitur haec tellus calore ac lumine, quae vitae conservationi sunt necessaria (2).

Prob. conseq. Si ordo aliquis mundanus est aeternus, dicendum est ab aeterno energiam visibilem et invisibilem in se mutuo converti, ab aeterno crescere invisibilem, minui visibilem. Sed consequens est aperte falsum. Si enim ab aeterno deperiret energia visibilis, jam diutissime foret extincta. Si ab aeterno crescit invisibilis, evaserit infinita oportet. At profecto est finita. Quare, si in dies crevit ista energia invisibilis secundum certam mensuram, hac saepissime repetita, prorsus exaurietur, et determinabitur momentum quo primum energia esse coepit ordinemque initiale invexit.

(1) Cfr. CLAUSIUS : *Revue des Cours scientifiques*, février 1868. — FOLIE : Mémoire inseré dans les Bulletins de l'Académie de Belgique, 2^e série, t. 36, p. 826.

CARBONNELLE : *Confins de la science et de la philosophie*. t. 1. pp. 304-320.

(2) Cfr. de LAPPARENT. *Traité de Géologie*. Paris, 1883; 2^e part. I. 4. sect. 2. ch. 2. § 23. pp. 1257, seq.

90. Obj. Novitas mundi demonstrationem recipere debet, vel ex parte Dei vel ex parte mundi. Atqui ex neutra parte demonstratio iniri valet. Ergo.

Prob. 1^a pars Min. In tantum ex parte Dei peteretur repugnantia, in quantum ex parte effectus haberetur. Atqui ex parte effectus nulla est repugnantia. Etenim ex parte mundi ratio necessariae inceptionis desumi deberet vel ex mundo absolute inspecto, vel ex mundo relative inspecto. Ex mundo *absolute inspecto* desumenda foret : a) vel ex ejus *essentia* praecise sumpta; vel b) ex *duratione aeterna* praecise sumpta. Ex parte mundi *relative inspecti*, desumeretur; c) vel ex parte *relationis* quam mundus *erga causam* efficientem habet; vel d) ex parte *relationis* quam esse mundi necessario haberet *ad non esse* quod praecessisset. Atqui ex nulla parte ratio necessariae inceptionis mundi depromi potest. Ergo nulla exstat.

RESP. Conc. Maj.; Neg. Min. Ad prob. Conc. Maj. Neg. Min.

Prob. 1^a pars Min. Essentia abstrahit ab hic et nunc. Atqui ex parte illius quod abstrahit ab hic et nunc, non petitur ratio necessariae inceptionis mundi. Ergo.

Prob. Dist. 1^a pars Maj. Essentia realis abstrahit ab hic et nunc h. e. essentia est *indifferens ad tale heic vel ad aliud*, sive ad quamlibet partem *determinatam* spatii, *Conc.*; abstrahit h. e. est *indifferens ut habeat omnia heic* sive ut occupet omnes partes spatii *possibilis*, *vel non*, *Neg.* — *Dist. 2^a pars Maj.* Essentia abstrahit a nunc, h. e. est *indifferens ad tale nunc vel ad aliud*, sive ad quolibet tempus *determinatum* extrinsecum et intrinsecum, *Conc.*; abstrahit a nunc, h. e. *indifferens* est ad habenda vel ad non habenda *omnia nunc possibilia*, sive ad esse aeternum, *Neg.* Ex argumento enim constat ex his induci absurdum. *Cdt. utraque pars Min.*

Prob. 2^a pars Min. Nulli parti durationis est *essentialie* ut sit prima; cuique possibile est praecedere aliam partem durationis. Atqui, his habitis, haberet potest duratio actu aeterna. Ergo.

Prob. Min. Potentia ad actum transire potest. Atqui, his habitis, haberet potest duratio infinita. Ergo.

RESP. Dist. Maj. Cuique parti durationis possibile est praecedere aliam partem *indefinitae*, *Conc.*; *infinite actu*, *Neg.* Assi-

gnari non potest pars durationis ultra quam Deus non potuisset condere aliquam partem priorem, sed necesse est, ob argumenta facta, haberet aliquam partem quae sit prima. *Cdt. Min.* — *Ad prob. Min. Dist. Maj.* Potentia ad actum sive *complete* sive *incomplete* transire potest, *Conc.*; *complete*, *Subdist.* si potentia ex intrinseca *habet ordinem ad actum completum*, *Conc.*; si *habet ordinem ad actum incompletum* dumtaxat, h. e. si postulat ut semper *ulterior actus ex se educi possit*, *Neg.*; *Cdt. Min.* His habitis, *habet potentia consummabilis ad durationem infinitam*, *Neg.*; *secus*, *Conc.*

Prob. 3^a pars Min. In tantum ex ratione causae efficientis peti valeret ratio inceptionis necessariae mundi, in quantum de ratione causae efficientis esset ut sit tempore prior effectu, nec sufficeret prioritas suppositionis. Atqui hoc non est de natura causae efficientis ut sic, sed tantum de natura causae efficientis creatae, uti est *creata*. Ergo.

RESP. Conc. Maj. Ad Min. Conceditur ex ratione causae efficientis praecise sumptae argumentum peti non posse quo demonstretur absurditas creationis aeternae; idcirco omnem causam, etiam increatem, esse duratione priorem ad effectum, est corollarium istius theses, non autem medium quo demonstretur.

Prob. 4^a pars Min. De ratione effectus creati non est habere esse *post non esse*, sed tantum habere esse *ex non esse*; sive de hujus ratione non est ut non esse sit prius tempore quam esse, sed sufficit prioritas naturae.

RESP. uti ad 3^m partem.

ARTICULUS II.

91. Ut manifestum est ex his quae geologi tradunt, materiae istius orbis primitus insitae fuerunt formae *imperfectissimae*; haec substantiae, quae elementares dicuntur, actione et passione mutua, successivis permultisque alterationibus, corruptionibus et generationibus,

90. Obj. Novitas mundi demonstrationem recipere debet, vel ex parte Dei vel ex parte mundi. Atqui ex neutra parte demonstratio iniri valet. Ergo.

Prob. 1^a pars Min. In tantum ex parte Dei peteretur repugnantia, in quantum ex parte effectus haberetur. Atqui ex parte effectus nulla est repugnantia. Etenim ex parte mundi ratio necessariae inceptionis desumi deberet vel ex mundo absolute inspecto, vel ex mundo relative inspecto. Ex mundo *absolute inspecto* desumenda foret : a) vel ex ejus *essentia* praecise sumpta; vel b) ex *duratione aeterna* praecise sumpta. Ex parte mundi *relative inspecti*, desumeretur; c) vel ex parte *relationis* quam mundus *erga causam* efficientem habet; vel d) ex parte *relationis* quam esse mundi necessario haberet *ad non esse* quod praecessisset. Atqui ex nulla parte ratio necessariae inceptionis mundi depromi potest. Ergo nulla exstat.

RESP. Conc. Maj.; Neg. Min. Ad prob. Conc. Maj. Neg. Min.

Prob. 1^a pars Min. Essentia abstrahit ab hic et nunc. Atqui ex parte illius quod abstrahit ab hic et nunc, non petitur ratio necessariae inceptionis mundi. Ergo.

Prob. Dist. 1^a pars Maj. Essentia realis abstrahit ab hic et nunc h. e. essentia est *indifferens ad tale heic vel ad aliud*, sive ad quamlibet partem *determinatam* spatii, *Conc.*; abstrahit h. e. est *indifferens ut habeat omnia heic* sive ut occupet omnes partes spatii *possibilis*, *vel non*, *Neg.* — *Dist. 2^a pars Maj.* Essentia abstrahit a nunc, h. e. est *indifferens ad tale nunc vel ad aliud*, sive ad quolibet tempus *determinatum* extrinsecum et intrinsecum, *Conc.*; abstrahit a nunc, h. e. *indifferens* est ad habenda vel ad non habenda *omnia nunc possibilia*, sive ad esse aeternum, *Neg.* Ex argumento enim constat ex his induci absurdum. *Cdt. utraque pars Min.*

Prob. 2^a pars Min. Nulli parti durationis est *essentialie* ut sit prima; cuique possibile est praecedere aliam partem durationis. Atqui, his habitis, haberet potest duratio actu aeterna. Ergo.

Prob. Min. Potentia ad actum transire potest. Atqui, his habitis, haberet potest duratio infinita. Ergo.

RESP. Dist. Maj. Cuique parti durationis possibile est praecedere aliam partem *indefinitae*, *Conc.*; *infinite actu*, *Neg.* Assi-

gnari non potest pars durationis ultra quam Deus non potuisset condere aliquam partem priorem, sed necesse est, ob argumenta facta, haberet aliquam partem quae sit prima. *Cdt. Min.* — *Ad prob. Min. Dist. Maj.* Potentia ad actum sive *complete* sive *incomplete* transire potest, *Conc.*; *complete*, *Subdist.* si potentia ex intrinseca *habet ordinem ad actum completum*, *Conc.*; si *habet ordinem ad actum incompletum* dumtaxat, h. e. si postulat ut semper *ulterior actus ex se educi possit*, *Neg.*; *Cdt. Min.* His habitis, *habet potentia consummabilis ad durationem infinitam*, *Neg.*; *secus*, *Conc.*

Prob. 3^a pars Min. In tantum ex ratione causae efficientis peti valeret ratio inceptionis necessariae mundi, in quantum de ratione causae efficientis esset ut sit tempore prior effectu, nec sufficeret prioritas suppositionis. Atqui hoc non est de natura causae efficientis ut sic, sed tantum de natura causae efficientis creatae, uti est *creata*. Ergo.

RESP. Conc. Maj. Ad Min. Conceditur ex ratione causae efficientis praecise sumptae argumentum peti non posse quo demonstretur absurditas creationis aeternae; idcirco omnem causam, etiam increatem, esse duratione priorem ad effectum, est corollarium istius theses, non autem medium quo demonstretur.

Prob. 4^a pars Min. De ratione effectus creati non est habere esse *post non esse*, sed tantum habere esse *ex non esse*; sive de hujus ratione non est ut non esse sit prius tempore quam esse, sed sufficit prioritas naturae.

RESP. uti ad 3^m partem.

ARTICULUS II.

91. Ut manifestum est ex his quae geologi tradunt, materiae istius orbis primitus insitae fuerunt formae *imperfectissimae*; haec substantiae, quae elementares dicuntur, actione et passione mutua, successivis permultisque alterationibus, corruptionibus et generationibus,

evolutae sunt in naturas hasce perfectiores hodie extantes, inter quas viget ordo mundanus. Insuper affirmandum est systematis stellaris nostri planetas inter et solem non semper viguisse eas relationes coordinationis et subordinationis, quibus hodieum inter se devincentur. — Porro circa haec im-praesentiarum duo sunt inquirenda :

1º *Quaenam fuit progressiva formatio tum istius mundi*, quae formatio vocatur *Cosmogonia*, tum *telluris nostrae*, quae formatio vocatur *Geogonia*? — Haec autem quaestio duo involvit : a) quisnam fuit horum status *initialis*? — b) per quas *evolutiones* sive *phases successivas* mundus et terra in hodiernam suam perfectionem excreverunt?

2º *Quisnam est auctor, sive causa principalis istius ordinis*, Deusne, an ipsa materia?

Heic examinandam suscipimus primam quaestionem ; secunda quaestio, videlicet quisnam sit auctor istius ordinis, examinabitur in Theodicea, quo loco ex ordine mundi demonstrabitur existentia Dei.

Duo queruntur : 1º *Quisnam fuerit status initialis mundi et quomodo e statu initiali ad statum praesentem devenit*. — 2º *Quisnam fuerit status initialis hujusce terrae et quaenam sint phases successivae transformationis*.

92. Cosmonogia. Quaestio de cosmogonia solvitur hypothesi quae, auctorum suorum nomine, *sistema Kant-Laplace* vocari potest. — Sic autem exponitur :

a) Spatia interstellaria omnia implebat ingens massa materiae nebulosae. In hac determinata sunt centra attractionis innumera, circa quae, conglomeratis condensatisque moleculis, sensim tota mundi materies divisa est varias in massas. Harum una initium dedit et originem systemati nostro solari.

b) Haec massa materiae nebulosae, sphaerica homogeneaque, lento agebatur motu gyrorario. Invalescentibus vi centrifuga, dilatationeque materiae ad aequatorium, annuli nebulosi sensim sunt ab eo divisi, servato indito ipsis motu; postea vero in massas conglobati, ortum dedere planetis octo, qui sunt Neptunus, Uranus, Saturnus, Jupiter, Mars, Terra, Venus, Mercur. Hi omnes in eadem planicie in eamdemque directionem moventur. Disputatur inter scientiarum peritos utrum omnes hi planetae exorti sint post efformatum solem nostrum, an duo priores tantum, ceteris nempe antea jam exortis. Alii sistema Laplace

tenant integrum; alii cum cl. Faye a ceteris quoad hoc dissentient. Quam quaestionem discutere nostrum non est, nedum dirimere.

c) A massis planetariis novi divulsi annuli novos efformarunt orbes, qui suo nomine satellites vocantur. Horum ex numero est Luna.

d) Successiva massarum nebulosarum condensatione acceleratus est motus quo ab initio agebantur, et calor ingens in eis productus quo incanduerunt, stellarumque ad instar luce propria olim in caelis splenduere.

Observa. Etsi non prorsus eodem, simili tamen modo efformata sunt systemata stellaria omnia. Quorum multa moveri quidem certum videtur; de motuum vero natura subordinatio-ne mutua nihil certo probatum hodieum habetur. Quidam tamen, duce Kant, systemata omnia inter se revinciri et circum unicum centrum verti conjecturant; imo de motu solis nostri plurimumque stellarum fixarum, uti vocant, circa centrum quoddam inter Pleiadas constitutum, determinata quaedam propone affirmare audent.

93. Geogonia. Quaestio de geogonia a priori solvi non potest, sed tamquam fundamentum praemittenda sunt ea quae *Geologi circa telluris nostrae statum docent*. — Sequentia vero prouniant :

a) *Moles saxorum, quae vulcanae dicuntur vel etiam terreni primitivi*, saxosum hujusce terrae pavimentum constituant. Aliae exterius apparent et in altum se erigunt; aliae interius sunt demersae.

b) *Massae sedimentariae primariae* pavimento huic saxoso sunt superpositae. Hae autem massae habent diversa strata quae diversis proprietatibus instruuntur. His stratis diversa nomina sunt imposita; distinguuntur enim formationes : α) cambrianæ; β) silurianæ et devonianæ; γ) carbonicae; δ) permeanæ.

c) Primariis massis sedimentariis superjacent *formationes sedimentariae secundariae*, quae pro diversis stratis continent formationes: α) triassicas; β) jurassicas; γ) cretaceas.

d) Secundariis formationibus superponuntur *formations*

sedimentariae tertiariae. Formationes tertiariae dividuntur in *eocaenam*, *miocaenam* et *pliocaenam*.

e) *Tertiariis formationibus superponuntur massae sedimentariae quaternariae* quae distribuuntur in formationes *diluvianas* et *alluvianas*.

Circa has formationes sedimentarias duo advertenda veniunt : a) In diversis hisce successivis stratis istarum quatuor formationum apparent reliquiae diversarum specierum plantarum et animalium, quae ab imperfectissimis et rudimentariis speciebus, quas in formationibus primariis conspicere est, ad perfectiores usque species hodieum extantes, progressu indesinenti accedunt. — b) Ubique terrarum immutabiliter eadem non appetet successio harum formationum vulcaniarum atque neptuniarum; verum, violentis telluris commotionibus omnia miscentibus, saepe aliae in aliis locis, eaeque perturbatissimae, conspicuntur, adeo ut non tantum modo adsint, modo desint; sed ut etiam modo saxa ad superficiem terrae in altum eminent, modo deprimantur et in lateribus terrae recondantur.

Porro ad horum phaenomenorum rationem reddendam, duplex adornata est hypothesis, quarum altera principiores partes efformationis hujusce orbis absribit igni, ideoque vulcanismus dicitur; altera aquae praecipuum munus committens, neptunismus nuncupatur.

94. A. Vulcanismus. Sequentia perhibet :

a) Condensatio planetae hujusce nostri a sole divulsi magis in dies crescebat; hinc elementorum pondere, motu locali, et pressione, in medio planetae efformatus est *nucleus igneus* (1) *liquefons*, cui circumfusa est ingens atmosphera gazeiformis.

b) Calor nuclei ad superficiem se exhalavit radiavitque in totam atmospheram et ultra. Beneficio istius radiationis nucleus factus est frigidior.

c) Illico elementa atmospherae quasdam combinationes inierunt, eas nempe quae ignis vim patiuntur; pondere suo pressae,

(1) Geologi plerique contendunt etiam nunc terram nostram incipera esse igneam post duodecim leucas circiter a sua superficie (*Revue des quest. scient.* t. 2. p. 32).

hae combinationes in superficiem nuclei praecipites se dederunt, exstititque *crusta prima solida*. Hoc pavimentum crystallinum stratiforme, moles est saxorum vulcaniorum, quae massam interiorem igneam separavit ab atmosphera nucleus ambiente.

d) Cortex nuclei crassior evasit et paulatim intepuit. Exin multae aliae combinationes elementorum atmospherae factae sunt, pavimentoque inciderunt in statu liquido, ita ut crusta aquis fuerit cooperata, et aquae inferiores a superioribus divisae fuerint.

e) Aquarum influxu crassior effecta est cruxa telloris, hinc etiam est contracta. Contractione autem effectum est ut hic illuc scissa sit haec cruxa et ut aquarum vis intra ad massam igneam interiorem penetraverit. Illico vapores aquosi, undique magna vi exorti, corticem sublevantes viamque praebentes fluvio igneo, primos erexerunt montes mareque primitivum limitibus circumdedere.

f) Cum aquae corroderent saxa in altum elata, paulatimque demitterent particulas materiae quas suspensas gerebant; ortae sunt massae sedimentariae primariae, imprimis vero formationes schistae. Insper in sinu aquarum ea genita sunt rudimentarium plantarum animaliumque genera, quae conditionibus caloris caelique congruebant.

g) Interim nebulosa, quae omnium planetarum est mater, magis magisque concentrabatur, celeriusque rotabatur in gyrum. Venerem et Mercurium a se dimittebat, ipsaque facta est luminosa. Luna fere similes phases traducta est.

h) Eodem ferme modo novis erectis montibus variantibusque marium littoribus, sensim sine sensu nova formata sunt strata sedimentaria supra enumerata, nisi quod quaedam mere chemicam vel organicam habeant originem. Variis vero stratis variae pro conditionibus caeli respondent plantarum animaliumque species, quae eorum faunam floramque, uti vocant, constituunt.

95. Neptunismus. Ejus parens est Gotlieb Werner, praecipusque defensor hodiernus Andreas Wagner (1). Sequentia pronuntiat :

(1) Hist. mundi primit.

a) Primitus terra non erat nucleus igneus atmosphera gazeiformi circumornatus, sed erat tota aquosa, ita ut omnia ejus elementa fuerint in aquis dissoluta, vel partim tenuiter solida. Vi pressionis elementorum et combinationibus chemicis, pedentim est solidificata.

b) Aquis atmospherae se in terram praecipitantibus, combinationibus chemicis, crystallisatione, efformata sunt pleraque saxa, quorum originem vulcanistae ab igne interiori terrae, ad superficiem perrumpente, repetiverunt. Nonnulla tamen saxa, uti basaltes, quae in raris locis conspicuntur, neque admodum sunt profunda, primitus ignea fuerunt; haec per reactiones chemicas igne interiori ad superficiem fuerunt propulsa.

c) Quibus viis prima saxa sunt efformata, iisdem successive efformatae sunt aliae massae sedimentariae.

CAPUT IX.

DE ULTIMA CAUSA FINALI MUNDI.

Notiones. Quid audiant finis ultimus, finis-qui et finis-cui, recole ex *Ontologia* n. 130.

96. GLORIA. 1. *Definitio.* Ex usu vulgari, alicui obtingit gloria cum ob praeclarare acta, vel ob praeclaram naturam, cognoscitur laudibusque extollitur, quae laudes significant laudantes in laudatum esse bene affectos, sive eos ipsum amore prosequi. — Quare gloria definitur *clara notitia cum laude*.

Materia, objectum seu fundamentum gloriae, quae vocantur gloria fundamentalis, objectiva, materialis, est excellentia illius qui laudatur. — *Forma* gloriae, quae vocatur gloria formalis, sunt laudes quae significativa sunt existimationis et amoris laudantium in laudatum.

2. *Divisio.* Utraque gloria est interna seu intrinseca, et externa seu extrinseca :

a) *Intrinsica* : α) *fundamentalis*, est excellentia in se inspecta ; β) *formalis*, est amor de propria excellentia.

b) *Extrinsica* : α) *fundamentalis*, est tum excellentia, in quantum per signum aliquod exterius manifestatur, tum ipsum illud signum manifestativum. Illud tamen postremum analogice et minus proprie dicitur gloria. β) *Formalis*, sunt laus et amor a multis praestita alicui ob ejus excellentiam.

GLORIA DEI. Hae notiones si Dei gloriae applicantur, patebunt sequentia :

a) *Gloria Dei intrinsicā* α) *fundamentalis* est *increata Dei excellentia* sive *bonitas*; β) *formalis*, est *cognitio, laus et amor quibus Deus hanc suam excellentiam sibi manifestissimam extollit*.

b) *Extrinsicā* α) *fundamentalis*, est *increata Dei bonitas manifestata* h. e. ipsam interna Dei excellentia prout signo manifestativo elucet. Dici etiam solet *objectiva*. *Gloria extrinsicā objectiva* quoque dicitur ipsam excellentiae divinae *manifestatio*, sive id quo manifestatur. Eo tamen sensu in sequentibus non adhibebitur — β) *Formalis* sunt *cognitio, laus et amor quae ab aliis Deo praestantur ob summam ejus excellentiam*.

Quaestio. Q. 1º an mundus a Deo fuerit creatus ac ordinatus ut procuraret aliquod bonum; 2º quodnam sit istud bonum; — 3º in cujusnam emolumentum ac perfectionem cedere debeat.

Primam quaestionem affirmative esse solvendum constat quia Deus infinite sapiens non operatus est ad extra nisi ob aliquam rationem; alia autem ratio esse nequit nisi quia bonum est procurandum per mundum.

Ad ceteras quaestiones respondebit sequens thesis.

Thesis 21. Finis-qui simpliciter ultimus mundi est gloria Dei extrinseca tum materialis, tum formalis. Finis-cui ultimus recte dicitur esse homo.

97. I^o PARS. *Finis-qui ultimus mundi est Dei gloria extrinseca.*

A. *Materialis.* Sensus : Deus mundum condidit ut manifestaret excellentiam suam increatam.

Prob. Deus mundum condidit vel ob aliquod bonum a bonitate sua increata distinctum et ob se amatum; vel ob excellentem

a) Primitus terra non erat nucleus igneus atmosphera gazeiformi circumornatus, sed erat tota aquosa, ita ut omnia ejus elementa fuerint in aquis dissoluta, vel partim tenuiter solida. Vi pressionis elementorum et combinationibus chemicis, pedentim est solidificata.

b) Aquis atmospherae se in terram praecipitantibus, combinationibus chemicis, crystallisatione, efformata sunt pleraque saxa, quorum originem vulcanistae ab igne interiori terrae, ad superficiem perrumpente, repetiverunt. Nonnulla tamen saxa, uti basaltes, quae in raris locis conspicuntur, neque admodum sunt profunda, primitus ignea fuerunt; haec per reactiones chemicas igne interiori ad superficiem fuerunt propulsa.

c) Quibus viis prima saxa sunt efformata, iisdem successive efformatae sunt aliae massae sedimentariae.

CAPUT IX.

DE ULTIMA CAUSA FINALI MUNDI.

Notiones. Quid audiant finis ultimus, finis-qui et finis-cui, recole ex *Ontologia* n. 130.

96. GLORIA. 1. *Definitio.* Ex usu vulgari, alicui obtingit gloria cum ob praeclarare acta, vel ob praeclaram naturam, cognoscitur laudibusque extollitur, quae laudes significant laudantes in laudatum esse bene affectos, sive eos ipsum amore prosequi. — Quare gloria definitur *clara notitia cum laude*.

Materia, objectum seu fundamentum gloriae, quae vocantur gloria fundamentalis, objectiva, materialis, est excellentia illius qui laudatur. — *Forma* gloriae, quae vocatur gloria formalis, sunt laudes quae significativa sunt existimationis et amoris laudantium in laudatum.

2. *Divisio.* Utraque gloria est interna seu intrinseca, et externa seu extrinseca :

a) *Intrinsica* : α) *fundamentalis*, est excellentia in se inspecta ; β) *formalis*, est amor de propria excellentia.

b) *Extrinsica* : α) *fundamentalis*, est tum excellentia, in quantum per signum aliquod exterius manifestatur, tum ipsum illud signum manifestativum. Illud tamen postremum analogice et minus proprie dicitur gloria. β) *Formalis*, sunt laus et amor a multis praestita alicui ob ejus excellentiam.

GLORIA DEI. Hae notiones si Dei gloriae applicantur, patebunt sequentia :

a) *Gloria Dei intrinsicā* α) *fundamentalis* est *increata Dei excellentia* sive bonitas; β) *formalis*, est *cognitio, laus et amor quibus Deus hanc suam excellentiam sibi manifestissimam extollit*.

b) *Extrinsica* α) *fundamentalis*, est *increata Dei bonitas manifestata* h. e. ipsam interna Dei excellentia prout signo manifestativo elucet. Dici etiam solet *objectiva*. *Gloria extrinsicā objectiva* quoque dicitur ipsam excellentiae divinae *manifestatio*, sive id quo manifestatur. Eo tamen sensu in sequentibus non adhibebitur — β) *Formalis* sunt *cognitio, laus et amor quae ab aliis Deo praestantur ob summam ejus excellentiam*.

Quaestio. Q. 1º an mundus a Deo fuerit creatus ac ordinatus ut procuraret aliquod bonum; 2º quodnam sit istud bonum; — 3º in cujusnam emolumentum ac perfectionem cedere debeat.

Primam quaestionem affirmative esse solvendum constat quia Deus infinite sapiens non operatus est ad extra nisi ob aliquam rationem; alia autem ratio esse nequit nisi quia bonum est procurandum per mundum.

Ad ceteras quaestiones respondebit sequens thesis.

Thesis 21. Finis-qui simpliciter ultimus mundi est gloria Dei extrinseca tum materialis, tum formalis. Finis-cui ultimus recte dicitur esse homo.

97. I^o PARS. *Finis-qui ultimus mundi est Dei gloria extrinseca.*

A. *Materialis.* Sensus : Deus mundum condidit ut manifestaret excellentiam suam increatam.

Prob. Deus mundum condidit vel ob aliquod bonum a bonitate sua increata distinctum et ob se amatum; vel ob excellentem

tiam suam increatam, seu ob gloriam suam divinam. — Si ob bonitatem suam Deus condidit mundum, ulterius eum condidit vel ad hanc bonitatem augendam; vel ob hanc excellentiam manifestandam, sive ob gloriam extrinsecam. Atqui Deus non condidit mundum: a) ob aliquod bonum a se distinctum; b) neque ob gloriam intrinsecam augendam. Ergo Deus mundum condidit ut excellentiam suam increatam manifestaret.

Prob. 1^a pars Min. Eo quod mundum Deus conderet ob bonum ab ipso distinctum et propter se amatum, consequens foret voluntatem divinam secundum se esse in potentia ad aliquem actum et ad aliquod bonum ab se distinctum, quibus intrinsecus perficeretur. Iste enim actus amandi bonum diversum, et ipsum hoc bonum perficere deberent voluntatem; secus nulla esset ratio illud bonum amandi et volendi. Quocirca dicendum esset Deum non esse infinite perfectum. Consequens etiam foret Deum secundum aliquid sui determinari aliquatenus ab ente extrinseco; et quo ulterius flueret ipsum totum esse causatum et proin illum non esse Deum. Atqui singula sunt dictu absurdissima. Ergo.

Prob. 2^a pars Min. Deus est infinite perfectus et infinite beatus. Ergo mundum non condidit ob gloriam intrinsecam augendam.

B. Formalis. *Sensus:* Deus manifestare hominibus voluit excellentiam suam, ut ipsi praestarentur ab hominibus laus, honor, amor.

Prob. Homo naturaliter appetit statum beatificum, in quo nimirum ita fiat satis votis insuperabilibus naturae, ut nihil ulterius concupiscatur. Bonum adaequatum materialiter sumptum, seu res cuius possessione satisfit hisce naturae tendentiis, est Deus perfecte possessus per intellectum et voluntatem; quare stat in cognitione Dei quae sit perfecta, licet proportionata intellectui creato, in laude Dei, et amore ejus, e quibus resultant summa voluntatis gaudia summaque pax. Hanc autem beatitudinem, ex ordinatione Dei, tenetur homo mereri per vitam honestam, per quam videlicet praestatur Deo gloria extrinseca. Atqui talis tendentia est signum ordinationis divinae, sive est signum Deum condidisse hominem ut gloriam intrinsecam formalem suppedaret, tum in via tum in patria.

98. II^a PARS. *Homo est finis-cui ultimus mundi.*

Prob. Illud recte dicitur finis-cui ultimus mundi ad ejus solius bonum intrinsecus perfectivum, ultimo ordinatur mundus, secundum entia irrationalia quae complectitur. Atqui totus mundus, secundum haec entia, ultimo cedit in bonum intrinsecus perfectivum solius hominis. Ergo.

Prob. Min. Mundus secundum entia intellectu carentia quibus constat, ultimo cedit vel in bonum intrinsecus perfectivum sui, vel in bonum alterius; si cedit in bonum alterius entis, illud alterum ens erit vel Deus, vel homo: nam alia entium rationalium existentia a philosophis non agnoscitur. Atqui mundus ultimo non cedit in bonum perfectivum Dei, neque in bonum perfectivum entium irrationalium. Ergo.

Prob. 1^a pars Min. Cum Deus sit infinite perfectus et beatus, per mundum conditum novae perfectionis acquirendae est incapax. Ergo.

Prob. 2^a pars Min. Mundus est nudum medium respectu hominis. Etenim destinatur: a) ut homini manifestet excellentiam divinam; b) ut ei suppedet alia media quibus remote vel proxime, usu vel abstinentia, procurare valeat gloriam Dei extrinsecam formalem. Atqui, quod tali modo est nudum medium respectu hominis, ultimo non ordinatur in bonum respectivum sui. Ergo (Cfr. n. 55).

99. Coroll. 1. Ergo Deus non potuit creare sola entia irrationalia; eorum enim finis est manifestare excellentiam divinam; sed manifestatio supponit existentiam entis rationalis cui fiat manifestatio.

2. Ergo Deus amat creature non propter se ipsas, sed uti habent ordinem ad ipsum h. e. a) uti in iis reluet aliqua perfectio divina; b) uti tribuuntur libere ab eis laus, honor, amor. Ideo quo major praestatur gloria, eo major est Dei dilectio.

3. Ergo finis-quo mundi est a) interna perfectio rerum tum singularium tum complexive inspectarum; b) vita honesta hominis; c) aeterna beatitudo post mortem.

CAPUT X.

DE PERFECTIONE MUNDI.

100. Sententiae. I^a est Leibnitzianorum. Juxta eos *mundus est simpliciter optimus* (quae bonitas ab aliis dicitur *absoluta*) h. e. *mundus est optimus ex omnibus mundis possibilibus*, ita ut Deus meliorem mundum condere non potuisset.

II^a est Scholasticorum. Juxta eos *mundus est optimus secundum quid*. (Quae bonitas ab aliis vocatur *relativa*). Haec mundi perfectio varia comprehendit : a) Mundus absolute in se inspectus, secundum diversas naturas quibus constat et ordinem inter has naturas, *valde bonus* est, imo multo melior quam cogitando umquam assequi poterimus. b) Inspectus relative ad gradum bonitatis divinae, quem Deus libere manifestare intendit, *hunc gradum perfectissime manifestat*. c) Inspectus relative ad alios gradus gloriae quos Deus intendere potuisset, et consequenter ad alios mundos possibles, mundus praesens *non est omnium mundorum optimus*.

Thesis 22. Mundus a Deo conditus, optimus est, non simpliciter sive absolute, sed secundum quid sive relative.

101. I^a PARS. *Mundus non est optimus simpliciter, sive absolute.*

PROB. Ille mundus non est omnium mundorum simpliciter optimus, quo melior a Deo, libere hoc volente, creari potuisset. Atqui Deus potuisset excellentiorem condere mundum. Ergo mundus non est simpliciter optimus.

Prob. Min. Mundus est finitus, et quidem triplici ratione : a) omnes species possibles, quae multitudine sunt infinitae, in ordine rerum non fuerunt positae; b) singulae naturae mundanae sunt finitae ideoque complexus earum est finitus, quandoquidem ex finitis non oritur nisi finitum; c) singulae res

existentes possunt esse accidentaliter perfectiores. Atqui, his habitis, Deus potuisset condere mundum exellentiorem. Ergo.

Prob. Min. Respectu mundi perfectioris quam est mundus noster finitus, habetur a) *possibilitas intrinseca* : nam quovis finito dari finitum majus non est contradictorium; b) *possibilitas extrinseca* : habetur enim ex parte Dei : a) *potentia absoluta* : haec enim versatur circa omnia ea quae instrinsecam impossibilitatem non involvunt; b) *potentia ordinata* : ut enim bonitas infinita fuit Deo ratio ut manifestaretur mundo nostro imperfectiori, sic ex eadem infinita bonitate ratio desumi potuisse ut excellentius manifestaretur; excellentiori enim manifestatione apprime erat dignissima.

102. II^a PARS. *Mundus est optimus secundum quid, sive relative.*

A. *Mundus inspectus uti est in se, secundum diversas naturas quibus constat, optimus est.*

Prob. Ille enim mundus, inspectus secundum naturas quibus constat, est valde bonus : a) inter ejus naturas mirificus exstat ordo coordinationis et subordinationis, isque talis ut tota ejus perfectio cognita non sit, et in dies progressu scientiarum naturalium melius cognoscatur; b) qui repreäsentat aliquatenus omnes perfectiones divinas. Atqui talis est mundus a Deo conditus. Ergo.

Prima pars minoris constat ex probatis thesi 15 n. 53 et sq.

Prob. 2^a pars. Mundus continet 1^o naturalia; 2^o supernaturalia. — 1. *Naturalia* sunt : a) entia mere materialia; b) entia mere spiritualia sive angelii; c) compositum ex corpore et spiritu, sive homo. — Inter entia materialia, alia non sunt viventia miraeque inter se sunt diversitatis; alia vero sunt viventia et distribuuntur tum in corpora quae sola vita vegetativa sunt donata, quorum alia ex aliis generantur, aliaque aliis perfectiora sunt; tum in corpora quae insuper vita sensitiva gaudent, inter quae iterum multiplices sunt species. — 2. *Supernaturalia* sunt : a) unio hypostatica Verbi cum sanctissima Christi humanitate; b) gratia sautificans gratis collata hominibus et angelis, secundum maximam graduum diversitatem; c) gratiae actuales quarum ope elicuntur actus supernaturales; d) visio intuitiva Dei. Ergo.

B. *Mundus inspectus respectu gradus gloriae quem Deus intendit, est optimus.*

PROB. *A priori.* Deus, infinite sapiens et infinite potens, in mundo condendo finem aliquem intendit. Atqui ens infinite sapiens et infinite potens per opus suum perfecte attingit finem intentum. Ergo Deus per mundum a se conditum perfecte attingit finem a se intentum, qui est gradus gloriae libere volitus.

103. CONTRA 1^m PARTEM Obj. 1. Deus non egit sine ratione sufficienti. Atqui nulla est ratio sufficiens cur Deus omississet condere mundum simpliciter optimum. Ergo.

Prob. Min. Ratio petenda foret vel ex parte Dei, vel ex parte mundi qui conditus est. Atqui ex neutra parte peti potest. Ergo nulla est hujusmodi ratio.

Prob. 1^a pars Min. Deus est maxime dignus mundo optimo et summe potens. Atqui ex parte entis summe digni optimo mundo et summe potentis, non potest peti ratio cur omississet condere hunc mundum. Ergo.

Prob. 2^a pars Min. Ratio petita ex parte mundi conditi, foret vel ejus bonitas praecise sumpta, vel minor gradus bonitatis praे mundis excellentioribus. Atqui neutrum valet esse ratio cur omissus fuissest mundus melior et praelectus deterior : — *Non primum* : quod enim est commune duobus, non valet esse ratio cur unum anteponatur alteri. — *Non secundum* : quomodo enim sapiens Deus posset velle mundum deteriorem quia est minus bonus?

Resp. 1. Unica ratio cur Deus creare voluerit aliquem mundum, petitur ex increata sua bonitate, in quantum hac manifestatione, laude creaturarum intellectualium, earumque amore est dignissima. — Illa Dei bonitas, cum sit infinita, adeoque nullius incrementi capax, potuisset esse ratio cur Deus, pro libitu suo, nullum creasset mundum.

2. Dei bonitas est ratio sufficiens ob quam voluntas creaverit mundum ceteris mundis possibilibus imperfectiorem. Nam ex una parte nullus mundus, sive nulla communicatio bonitatis increatae, est medium necessarium ad bonum infinitum etiam infinito modo possidendum, uti ex thesi 21^a manifestum est; igitur nullius mundi determinati creatio est necessaria; ex

altera parte, quivis mundus, cum manifestet aliqualem gradum gloriae divinae, a Deo creari potest; in divina enim bonitate habetur ratio cuiusvis manifestationis.]

3. Requiritur ratio sufficiens actuum liberorum entium creatorum; haec autem non est unice major objecti voliti bonitas: sic enim destrueretur libertas, uti in Psychologia probatur; sed est partialiter bonitas objecti voliti, partialiter libera voluntatis determinatio. Voluntas enim : a) non necessario versus bonum finitum vel infinitum imperfecte notum, vertitur, quia illud non est adaequatum suum objectum; b) ferri tamen potest versus istud bonum eo quod est bonum.

Quare *Dist. Maj.* Deus non egit sine ratione *determinante*, necessitante actum, *Neg.*; *secus*, *Conc.*; *Cdt. Min.* — Ad prob. *Min.* ratione habita hujusce distinctionis, *Conc. Maj.*, *Neg. Min.*

Ad prob. 1^{ae} partis *Min.* *Dist.* Deus est maxime dignus et nullo eget mundo, nullam perfectionem intrinsecam ex mundo acquirere potest, *Conc.*; potest aliquatenus perfici intrinsecus, *Neg.*; *Cdt. Min.*

Ad prob. 2^{ae} partis *Min.* *Dist. Maj.* Ratio ex mundo petita, foret vel ejus bonitas aut absolute sumpta, aut sumpta *respective*, respectu nempe excellentiae divinae quam manifestat, et gloriae formalis quam praestat per creaturas rationales, vel foret minor gradus bonitatis, *Conc.*, vel foret bonitas *absolute* inspecta vel *minor gradus*, *Neg.*; *Cdt. Min.* Ratio non est *minor gradus*, *Conc.*; *bonitas*, *Subd.* *absolute* considerata, *Conc.*; *respective*, *Neg.* — Ad prob. quod est commune duobus (intellige: bonitas respectiva), non est ratio cur unum ponatur praे altero, ab eo qui *necessario* agit, *Conc.*; qui *libere* agit, *Subd.*, qui non est infinite perfectus adeoque perfici potest per haec bona, *Transm.*; qui est *infinite perfectus* et cujus gloria manifestatur diversis modis, *Neg.*

Obj. 2. Nequit admitti id e quo consequens foret Deum non esse causam optimam et sapientem. Atqui hoc esset consequens ex eo quod mundus non esset simpliciter optimus. Ergo.

Prob. Min. Illa causa non est optima et sapientissima, quae agens propter finem optimum, non adhibet modo optimo, media optima. Atqui eo quod mundus non esset simpliciter optimus,

sequeretur Deum egresso quidem propter finem optimum, nimirum gloriam suam, nec tamen adhibuisse optimo modo, media optima. Ergo.

Prob. Maj. Artifex sapienter agens eo fine ut artem suam manifestet, exsequitur opus quo melius facere non potest. Ergo causa optima et sapientissima agens ob finem optimum, adhibet modo optimo, media optima.

RESP. Conc. Maj.: Neg. Min.; ad prob. Dist. Maj. Illa causa non est optima quae agens propter bonum optimum *intrinsecus perfectivum sui*, sive ob finem sibi acquirendum non adhibet media optima modo optimo, *Conc.* Qui agit ob bonum manifestandum *Subdist.*; si bonum illud communicare tantum valet per media optima, *Conc.* Si bonum istud communicare valet *mediis pluribus* quae omnia sunt *valde bona*, licet alia aliis sint perfectiona, *Neg.*; *Cdt. Min.* — *Ad prob. Maj. Dist. Ant.* Artifex agens ob bonum *sibi intrinsecum*, quod resultat ex manifestatione artis, exsequitur opus quo melius facere non potest, *Conc.*; Agens ob bonum *intrinsecum*, *Subdist.* exsequitur opus omnium optimum eo quod fortassis *alio medio finis obtineri non possit*, *Conc.*; *Secus*, *Neg.*

Obj. 3. Bonum est diffusivum sui quantum potest. Atqui Deus est summe bonus; summa vero diffusio est creatio mundi simpliciter optimi. Ergo Deus condidit mundum optimum.

RESP. Deus est bonum diffusivum sui dupli ratione. a) Quia potest perfectiones suas communicare ad extra, idque sine fine. b) Quia perfectiones ad extra non manifestare potest nisi ob bonum perfectivum entium rationalium, quae sunt finis cui operum divinorum.

Inde *Dist. Maj.* Bonum *creatuum* est diffusivum sui quantum potest, *Transm.*; bonum *increatum*, *Subdist.* Est potens se diffundere, sive se communicare ad extra quocunque modo possibili *sine fine*, idque ob bonum *intrinsecus perfectivum* hominis, *Conc.*; est necessario actualiter se diffundens quantum potest, *Neg.*

INDEX PARTIUM ⁽¹⁾.

	Pag.
INTRODUCTIO AD UNIVERSAM PHILOSOPHIAM	1
LOGICA.	
PRAENOTIONES	8
LOGICAE PARS PRIOR.	
DIALECTICA.	10
CAPUT I.	
DE IDEA ET DE TERMINO.	
ART. I. DE APPREHENSIONE SEU DE IDEA	10
§ 1. Notio apprehensionis et ideae	11
§ 2. Partitiones idearum	12
I. Partitio idearum ratione comprehensio- nis notarum	12
II. Partitio idearum ratione objecti repre- sentati	13
III. Partitio idearum ratione extensionis objecti	14
IV. Partitio idearum ratione perfectionis secundum quam objecta repraesentantur	22
ART. II. DE SIGNO IDEARUM	22
§ 1. De signo in genere	22
§ 2. De signis idearum seu de terminis	23
CAPUT II.	
DE JUDICIO ET DE PROPOSITIONE.	
ART. I. DE JUDICIO	27
ART. II. DE SIGNO JUDICIU SEU DE PROPOSITIONE	28
§ 1. Notio propositionis	28

(1) Numeri indicant seriem paginarum.

sequeretur Deum egresso quidem propter finem optimum, nimirum gloriam suam, nec tamen adhibuisse optimo modo, media optima. Ergo.

Prob. Maj. Artifex sapienter agens eo fine ut artem suam manifestet, exsequitur opus quo melius facere non potest. Ergo causa optima et sapientissima agens ob finem optimum, adhibet modo optimo, media optima.

RESP. Conc. Maj.: Neg. Min.; ad prob. Dist. Maj. Illa causa non est optima quae agens propter bonum optimum *intrinsecus perfectivum sui*, sive ob finem sibi acquirendum non adhibet media optima modo optimo, *Conc.* Qui agit ob bonum *manifestandum Subdist.*; si bonum illud communicare tantum valet per media optima, *Conc.* Si bonum istud communicare valet *mediis pluribus* quae omnia sunt *valde bona*, licet alia aliis sint perfectiona, *Neg.*; *Cdt. Min.* — *Ad prob. Maj. Dist. Ant.* Artifex agens ob bonum *sibi intrinsecum*, quod resultat ex manifestatione artis, exsequitur opus quo melius facere non potest, *Conc.*; Agens ob bonum *intrinsecum*, *Subdist.* exsequitur opus omnium optimum eo quod fortassis *alio medio finis obtineri non possit*, *Conc.*; *Secus*, *Neg.*

Obj. 3. Bonum est diffusivum sui quantum potest. Atqui Deus est summe bonus; summa vero diffusio est creatio mundi simpliciter optimi. Ergo Deus condidit mundum optimum.

RESP. Deus est bonum diffusivum sui dupli ratione. a) Quia potest perfectiones suas communicare ad extra, idque sine fine. b) Quia perfectiones ad extra non manifestare potest nisi ob bonum perfectivum entium rationalium, quae sunt finis cui operum divinorum.

Inde *Dist. Maj.* Bonum *creatuum* est diffusivum sui quantum potest, *Transm.*; bonum *increatum*, *Subdist.* Est potens se diffundere, sive se communicare ad extra quocunque modo possibili *sine fine*, idque ob bonum *intrinsecus perfectivum* hominis, *Conc.*; est necessario actualiter se diffundens quantum potest, *Neg.*

INDEX PARTIUM ⁽¹⁾.

	Pag.
INTRODUCTIO AD UNIVERSAM PHILOSOPHIAM	1
LOGICA.	
PRAENOTIONES	8
LOGICAE PARS PRIOR.	
DIALECTICA.	10
CAPUT I.	
DE IDEA ET DE TERMINO.	
ART. I. DE APPREHENSIONE SEU DE IDEA	10
§ 1. Notio apprehensionis et ideae	11
§ 2. Partitiones idearum	12
I. Partitio idearum ratione comprehensio- nis notarum	12
II. Partitio idearum ratione objecti repre- sentati	13
III. Partitio idearum ratione extensionis objecti	14
IV. Partitio idearum ratione perfectionis secundum quam objecta repraesentantur	22
ART. II. DE SIGNO IDEARUM	22
§ 1. De signo in genere	22
§ 2. De signis idearum seu de terminis	23
CAPUT II.	
DE JUDICIO ET DE PROPOSITIONE.	
ART. I. DE JUDICIO	27
ART. II. DE SIGNO JUDICIU SEU DE PROPOSITIONE	28
§ 1. Notio propositionis	28

(1) Numeri indicant seriem paginarum.

	Pag.
§ 2. De partitione propositionum	31
I. Partitio propositionum ratione formae	31
II. Partitio propositionum ratione quantitatis	32
III. Partitio propositionum ratione materiae	34
§ 3. De oppositione propositionum	39
I. De oppositione propositionum simplicium non modalium et absolutarum	39
II. De oppositione propositionum compositarum	41
III. De oppositione propositionum modalium	42
§ 4. De aequipollentia propositionum	43
§ 5. De conversione propositionum	44
 CAPUT III. DE DIVISIONE.	
§ 1. De toto	46
§ 2. De divisione totius	48
 CAPUT IV. DE DEFINITIONE	
49	
 CAPUT V. DE ARGUMENTATIONE	
53	
 ART. I. DE ILLATIONE	
§ 1. De illatione generice considerata	54
§ 2. De illatione immediata	54
I. De illatione ab una propositione ad ejus oppositas	55
II. De illatione unius suppositionis ad aliam	55
III. De illatione a possibiliitate ad esse, et vicissim	57
§ 3. De illatione mediata	57
 ART. II. DE SYLLOGISMO	
§ 1. Notio, principia, divisio syllogismi	58

	Pag.
§ 2. De legibus syllogismi	62
§ 3. De variis figuris et modis syllogisticis	66
§ 4. De probatione modorum syllogisticorum	70
§ 5. De inventione medii	74
§ 6. De syllogismis compositis	77
§ 7. De syllogismo demonstrativo	82
§ 8. De syllogismo sophistico	84

LOGICAE PARS POSTERIOR.

CRITICA

CAPUT I.

DE NATURA CERTITUDINIS.

§ 1. Definitio certitudinis	88
§ 2. Divisio certitudinis ratione objecti materialis	90
§ 3. Utrum certitudo accidentaliter sit una an multiplex	93
§ 4. De probabilitate	94

CAPUT II.

DE CERTITUDINIS EXISTENTIA.

ART. I. STATUS QUAESTIONIS	97
ART. II. DE SCEPTICISMO	101
§ 1. De scepticismi absurditate	101
§ 2. De disputacione cum scepticis	106
ART. III. DE PRINCPIO PHILOSOPHANDI	107
§ 1. Status quaestionis	107
§ 2. Rejicitur dubium methodicum cartesianorum	108
§ 3. Stabilitur sententia dogmaticorum consequentium	112

CAPUT III.

DE OBJECTO ET DE FONTIBUS CERTITUDINIS

116

SECTIO Ia.

DE MATERIA ET DE FONTIBUS CERTITUDINIS.

	Pag.
ART. I. DE CERTITUDINE FACTORUM INTERNORUM PER SENSUM INTIMUM COMPARATA	117
§ 1. Notiones. — Quaestiones	117
§ 2. De certitudine factorum sensu intimo relatorum et judiciorum immediatorum de his factis.	119
§ 3. De certitudine existentiae subjecti cogitantis et corporis proprii	120
ART. II. DE CERTITUDINE EXISTENTIAE CORPORUM EXTERIORUM EORUMQUE QUALITATUM, SENSUUM OPERE COMPARATA	121
§ 1. De existentia corporum exteriorum per sensus externos certificata	121
§ 2. De qualitatibus corporum	130
ART. III. DE CERTITUDINE ACQUISITA PER AUCTORITATEM	123
§ 1. Praenotiones	133
§ 2. De certitudine factorum per auctoritatem comparata	135
§ 3. De probabilitate ex motivo auctoritatis	138
ART. IV. DE CERTITUDINE JUDICIORUM ANALYTICORUM IMMEDIATORUM EX IDEIS HAUSTA	141
§ 1. Notiones praeviewe. — Status quaestionis	141
§ 2. De valore objectivo idearum	144
§ 3. De certitudine judiciorum analyticorum immediatorum	147
§ 4. De judiciis syntheticis a priori. Exponitur et refutatur sistema Kantii	148

SECTIO II.

DE AMPLIFICATIONE COGNITIONUM CERTARUM.

ART. I. DE RATIOCINIO	152
ART. II. DE INDUCTIONE	156
§ 1. Notiones. — Variae quaestiones	156
§ 2. Inductione incompleta acquiri potest notitia certa legis physicae	158

	Pag.
ART. III. DE UNIVERSALIBUS	160
§ 1. Status quaestionis	160
§ 2. Rejiciuntur falsae sententiae de universalibus	163
§ 3. Stabilitur vera sententia	167
ART. IV. DE SCIENTIA ET DE METHODO	172
§ 1. De scientia	172
§ 2. De methodo	174

CAPUT IV.

DE ULTIMO CERTITUDINIS MOTIVO.

§ 1. Status quaestionis	178
§ 2. Rejiciuntur falsae sententiae	181
§ 3. Ostenditur evidentiam objectivam esse ultimum motivum	184

ONTOLOGIA.

PRAENOTIONES

ONTOLOGIAE PARS PRIMA.

DE ENTE EJUSQUE PROPRIETATIBUS.

CAPUT I.

DE ENTE.

ART. I. DE CONCEPTU ENTIS	191
I. De unitate conceptus entis ut sic	192
II. Definitio entis	192
III. De habitudine conceptus entis ad ceteros conceptus	193

ART. II. DE COGNOSCIBILITATE ET DE CHARACTERIBUS ENTIS SEU ESSENTIALE	196
§ 1. De cognoscibilitate essentiarum	196
§ 2. De characteribus essentiarum	198

ART. III. DE POSSIBILITATE	201
§ 1. De potentia et actu	201

	Pag.
§ 2. De possibilium discriminé a nihilo	203
§ 3. De ratione proxima possibilitatis	203
§ 4. De ultimo fundamento possibilium	206
ART. IV. DE DISTINCTIONE INTER ESSENTIAM FINITAM EJUSQUE EXISTENTIAM	208
§ 1. Exponitur quaestio	208
§ 2. Resolvitur quaestio	209
ART. V. DE PRINCIPIIS QUAE EX NOTIONE ENTIS IMMEDIATE EFFLORESCUNT	211
APPENDIX	213
DE ENTE RATIONIS	213
CAPUT II.	213
DE PROPRIETATIBUS ENTIS	213
ART. I. DE UNITATE TRANSCENDENTALI ENTIS	214
§ 1. De unitate quae entibus competit	214
§ 2. De principio individuationis	216
§ 3. De distinctione	219
ART. II. DE VERITATE TRANSCENDENTALI ENTIS	223
§ 1. De conceptu veri et falsi	223
§ 2. De veritate et de falsitate ontologica	225
§ 3. De veritate et de falsitate logica	228
ART. III. DE BONITATE TRANSCENDENTALI ENTIS	232
§ 1. De bono	232
§ 2. De malo	234

ONTOLOGIAE PARS SECUNDA.**DE DECEM CATEGORIIS.****CAPUT III.**

DE SUBSTANTIA ET DE HYPOSTASI.

ART. I. DE SUBSTANTIA	237
§ 1. Notio substantiae	237
I. Conceptus substantiae et accidentis	238

	Pag.
II. Vindicatur valor objectivus conceptus substantiae	239
III. Falsae notiones substantiae	241
§ 2. Divisio et proprietates substantiae	242
ART. II. DEFINITIO ESSENTIALIS HYPOSTASEOS	244

CAPUT IV.

DE ACCIDENTIBUS.

ART. I. DE ACCIDENTIBUS IN GENERE	247
ART. II. DE ACCIDENTIBUS ABSOLUTIS	248
§ 1. Notiones	248
§ 2. De distinctione reali accidentium absolutorum a substantia	250
§ 3. De permanentia accidentium absolutorum seorsum a substantia	252
§ 4. De qualitate	254
ART. III. DE ACCIDENTIBUS RESPECTIVIS	257
§ 1. De relationibus in genere	257
§ 2. De relatione similitudinis	259

CAPUT V.

ART. I. DE CAUSIS IN GENERE	261
ART. II. DE CAUSA EFFICIENTE	262
§ 1. Definitio, divisio, elementa causalitatis efficientis	262
§ 2. De principio rationis sufficientis. — De principio causalitatis. — De valore objectivo conceptus causae	265
§ 3. De causalitate entium creatorum	267
§ 4. De causis per se subordinatis	269
§ 5. Quomodo specificentur actiones et potentiae	271
§ 6. De distinctione actionis et potentiae a natura	272
ART. III. DE CAUSALITATE FINALI	274
§ 1. Definitio et divisio finis	274
§ 2. De iis quae propter finem agunt	276

ONTOLOGIAE PARS TERTIA.

DE ENTIUM PERFECTIONIBUS.

CAPUT VI.

	Pag.
ART. I. DE FINITO ET DE INFINITO	278
§ 1. Notiones. — Quaestiones	278
§ 2. De conceptu finiti et de conceptu infiniti	279
§ 3. De multitudine et magnitudine infinita	281
ART. II. DE NECESSARIO ET DE CONTINGENTE	287
ART. III. DE ORDINE	287
ART. VI. DE PULCHRO	289

COSMOLOGIA.

PRAENOTIONES	292
------------------------	-----

COSMOLOGIAE PARS PRIOR.

DE CORPORIBUS SINGULATIM

CAPUT I.

DE ESSENTIA CORPORUM.

ART. I. STATUS CONTROVERSIAE	295
§ 1. Fundamenta controversiae	295
I. Descriptio corporis	295
II. Hypothesis Chemicorum	296
III. Hypothesis Physicorum	297
IV. Facta ordinis teleologici	299
§ 2. Exponuntur diversae de corporum essentia sententiae	300
I. Dynamismus et Atomismus	300
A. Dynamismus purus	300
B. Atomismus purus	302
C. Atomismus chemicus	303
II. Systema Aristotelicum	304
A. Dogmata communia omnibus scholasticis	304
B. Systema thomisticum	307
C. Systema Suarezii	309

	Pag.
ART. II. CRISIS DYNAMISM ET ATOMISM	309
§ 1. Crisis dynamismi	309
§ 2. Crisis atomismi	312
ART. III. DE SYSTEMATE PERIPATETICO	315
§ 1. Ostenditur moleculam corpoream esse substantiam proprie unam	316
§ 2. Substantiae corporeae constant ex materia prima et forma substantiali	320

CAPUT II.

DE PROPRIETATIBUS CORPORUM.

ART. I. DE QUANTITATE	327
§ 1. Notiones. — Quaestiones variae	327
§ 2. De partibus et de divisibilitate continuo	330
§ 3. De impenetrabilitate	332
ART. II. DE VIRIEBUS CORPORUM	333
§ 1. Corpora pollent vi generandi formas substanciales	333
§ 2. Quaedam vires ex essentia corporis emergunt	334
§ 3. De necessitate et contingentia legum physicarum	336

CAPUT III.

DE ACCIDENTIBUS CORPORUM.

ART. I. DE QUALITATIBUS CORPORUM	339
ART. II. DE MOTU ET DE UBICATIONE CIRCUMSCRIPTIVA	342
§ 1. De nisu ratione cuius corpora moventur	342
§ 2. De distinctione ubicationis circumscripтивae a substantia, quantitate et extensione locali	343
ART. III. DE CONDENSATIONE ET RAREFACTIONE	344

CAPUT IV.

DE INTERNA FINALITATE CORPORUM

345

COSMOLOGIAE PARS POSTERIOR.

DE COMPLEXU CORPORUM SEU DE MUNDO.

CAPUT. V.

	Pag.
DE INDOLE MUNDI	348
§ 1. De ordine mundi	349
§ 2. De unitate mundi	351

CAPUT VI.

DE HIS QUAE AD EXTENSIONEM ET AD MOTUM CORPORUM CONSEQUUNTUR.

ART. I. DE SPATIO	352
§ 1. De natura spatiil	352
§ 2. De loco et de vacuo	359
ART. II. DE TEMPORE	360
§ 1. De duratione et de tempore	360
§ 2. De tempore absoluto	363

CAPUT VII.

DE PANTHEISMO.

§ 1. Status quaestionis	364
§ 2. Refutatur Pantheismus	366

CAPUT VIII.

DE ULTIMA CAUSA EFFICIENTE ET ORDINANTE MUNDI.

ART. I. DE CREATIONE MUNDI	371
§ 1. De conceptu creationis	372
§ 2. De possibilitate creationis	373
§ 3. Mundum solius creationis beneficio existere posse ostenditur	376
§ 4. De tempore creationis	377

I. An mundus sit necessario ab aeterno creatus	377
II. An possibilis sit creatio ab aeterno	380

ART. II. DE ULTIMA CAUSA ORDINANTE MUNDI	385
--	-----

CAPUT IX.

DE ULTIMA CAUSA FINALI MUNDI

390

CAPUT X.

DE PERFECTIONE MUNDI

394



NUEV
LIOTE